VAN DER WIEL. C
OBS. RARIORUM. DE UNICORNU.
1687

VAN DER WIEL. P
DE NUTRITIONE FŒTUS
1687



XVI 3.

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

STALPART VANDER
WIEL, C.

65810/A

7.5.89.

£

Willm Parker

G G


l

1

65

SOCIETY OF LONDON

X 5



En tibi Stalpartum, medicâ qui quicquid in arte
Rarius occurrit, ſedulus hîcce notat.
Ut noſcas totum, dabit hæc tibi pagina vultum
Sedula ſcripta notant interiora viri.

N. Ruyſch del. — J. de Blois ſcu


CORN: STALPARTII vander WIEL
Medici Hagienſis
OBSERVATIONUM RARIORUM
Medic Chirurgic Anatomicarum
Centur. Prior.

C. STALPARTII VANDER WIEL

Medici Hagienſis

OBSERVATIONUM RARIORUM MEDIC. ANATOMIC. CHIRURGICARUM

CENTURIA PRIOR,

ACCEDIT

DE UNICORNU DISSERTATIO.

Utraque tertia parte auctior, longeque emendatior.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud PETRUM vander AA, Bibliopolam,
CIↃ. IↃ. C. LXXXVII.

OF LONDON • MEDICAL SOCIETY

DEDICATIO.

Nobiliſſimis Ampliſſimiſque
VIRIS

D. ADRIANO ROSA, JC.
Prætori.

D. NICOLAO SPLINTER, JC.
D. JOHANNI BYEMONTIO.
D. EWALDO BRANDT, JC.
Coſſ.

D. JOHANNI ROSA, JC.
D. WILHELMO ROTTERMONT.
D. JOHANNI DEDEL, JC.
D. HENRICO POTS, JC.
D. MARCELLO BRUINESTEYN,
D. PAULO AB ASSENDELFT, JC.
Scabinis.

Nec non

D. HEYMANNO BEUKELAAR,

Quæſtori.

D. NICOLAO HOEKIO,

Syndico.

Quique eorum à Secretis,

D. ANTHONIO DE VEER, JC.

S. P.

NON levi certe jure merito notandus fuiſſem ingrati animi maculâ, ſi qualeſcunque laborum fructus Vobis, Viri Ampliſſimi, atque Præſtantiſſimi, non obtuliſſem: cum non Hagienſis tantum natalibus, ſed

ſed & annuo honorario Medicus veſter ab anno uſque labentis ſeculi quadrageſimo ſecundo remuneratus ſim. Quid enim juſtius, quid naturali æquitati convenientius, quam quorum ſub auſpiciis, muneribuſque profeceris, commoda ad eos ut perveniant? Veſtrâ inſuper tutelâ, patrocinioque indigere mihi videbar, quo ſecurus manus perambulans iniquorum (quos ego homines Anticyras navigare jubeo) morſus contemnam. Hac itaque ſpe fretus, fiduciaque plenus, quam nota animorum veſtrorum nobilitas neutiquam falli

li permittit, Vobis, generoſa conſpicui Conſeſſus lumina, haſce meas conſecro Obſervationes, Summumque Mundi, quam poſſum maxume, Moderatorem rogo, uti Vos, Viri Excellentiſſimi, longo annorum curſu Civium bona, ut facitis, augere velit, ac à cujuſvis mali injuriâ incolumes præſtet, atque conſervet.

AD

AD
ARTIS PÆONIÆ
STUDIOSOS.

Quicunque animum ad Medicinam appulit, id ſibi negotii datum credat, ut, quod defendendum ſuſcepit, omni ope conſervare nitatur cæleſte depoſitum. Homo namque divinæ mentis umbra non tantum ventri obedientia dignitate, atque excellentiâ immane quantum anteit pecora, verum quæ ſingula unumquodque ditant, atque evehunt animal, univerſa ſolus poſſidet coacervata: Quare illum non immerito Microcoſmum dixere veteres Sapientiæ Antiſtites. Neque enim ad Creatoris ſolum imaginem effictus, ſed & nunquam interiturâ, utut ipſe mortalis, decoratus eſt anima; quæ quamquam ſeſe non una indies contaminet

labe, ſupereſt tamen uſque divivæ auræ particula extingui neſcia. Quamvis autem, ſi quorundam brutorum roboris habeatur ratio, homunciones videamur, in nullo tamen eorum tanta elucent fortitudinis documenta. Inſignem namque Deus T. O. M., præſtantemque nobis indidit vim, qua quævis, vel omnium maxime infeſtiſſima aut ſub jugum mittantur, aut domentur tandem, ut ſervire, ac prodeſſe diſcant, animalia; quibus & quæ Cœlum, Telluſque largiuntur, accedunt dona. Etſi autem rationis quoddam beſtiarum nonnullis ſupereſſe videatur veſtigium, hoc tamen quicquid eſt, non niſi conſervandi, alendique στοργὴν, *ac ſtudium miniſtrat. Soli namque homini rerum poſt Æternum Opificem cauſas cognoſcere, erectoſque ad ſidera vultus tollere datum eſt, conceſſumque, uti quævis, queis vel maxima efficiat, intelligat. Quin etiam nova Dei progenies alto demiſſa Cœlo, ac in terras delapſa ingens humano generi jubar, ſummamque addidit gloriam. Neceſſum itaque ante*

omnia

omnia eſt, ut, quiſquis præſtantiſſima medendi arte afflictis ſuccurrere animum induxit, non tantum diſcere bene incipiat, quod facti, ut ait ille, dimidium eſt, verum etiam, ſapientiæ, ingeniique largitoris opem flagrantiſſimis imploret precibus, ſcientiæque anguſtos, quoad ejus fieri poterit, promoveat limites. Ita enim fiet, ut, quam nactus eſt, ſtrenue Spartam ornet, atque evidentior longe, certiorque tandem evadat Medicina, quam non exiguo Dei beneficio, mortaliumque bono proximis aliquot annis indefeſſus præſtantiſſimorum virorum labor vicinis in Europæ regionibus ad ſummum perduxit faſtigium. Medicus autem, in quo ſempor non eſt, ut relevetur æger, cum homo ſit, nihil a ſe humani putet alienum: Quare quam ſibi præſtitam velit, aliis opem impertiat. Quæcunque denique rerum magiſtro didicerit uſu, ad Dei Omnipotentis gloriam, hominumque conferat ſalutem. Hæc ego non perfunctorie perpendens, quicquid dimidio fere labente ſeculo memoratu dignum reperi,

Ami-

Amicorum tandem & precibus victus qualicunque hac ſcriptione iis, quos ſcire juvat, innoteſcere volui. Nec operam luſurus mihi videbar, ſi filio unico tum, cum patrio primum hæc ſermone ederem, Lugdunenſis noſtræ Palladis alumno, ſtimulos adderem. Tantum autem abeſt, ut invidorum extimeſcam latratus, ut vel felicitatis eos umbram appellem. Tanta tamen animo non eſt ſuperbia, quin meliora edoctus lubentiſſime ſententiam mutem. Interim, Medicis me ſcribere quivis meminerit, velim; quorum dicendi modos totidem verbis apud Ciceronem haud exſtare non primus moneo.

OP DE
GENEES- HEEL- EN SNYKUNSTIGE
AANMERKINGEN
VAN DEN HERE
KORNELIS STALPART VANDER WIEL,
STADTS DOKTER IN 'S GRAVENHAGE.

*Non hæc humanis opibus, non arte magiſtra
Proveniunt.*

OCh hoe ydel woelen, wenſchen,
Roemen, dromen blinde menſchen!
Die de doot zo heimlyk zit
Met hare oorzaak, lit by lit,
In gebeente en vleeſch verholen,
Dat d'ervarenſte artſen dolen
In 't naſporen, in 't verhaal
Van zo velerhande quaal,
Door den gront niet kunnen delven
Dezer kennis van zich zelven.
Kunſt, geleertheid, vlyt, vernuft,
En ervaarnis ſtaan verſuft;
Daarze geen gemene plagen
Vinden, die d'aalouden zagen
Voor vele ewen, dag op dag,
Maar een overzelſaam ſlag
Zien van ziekten en van wonden
By geen Eskulaap gevonden,

Hooft

Hooft en herſſens, bekkeneel,
Ogen, oren, hals en keel,
't Hart, des levens bron, de nieren,
Aders, zenuwen, en ſpieren,
Long en lever, milt en maag,
Borſt en buik, voor 't lyf zo graag;
Bei de benen, die elkandere
Zo gedienſtig, voor al 't andere
Pylers ſtrekken, die hunn' laſt
Staag vervoeren, vlug en vaſt;
En de leên, die 't eerſte leven,
d'Eerſte vorm al d'andren geven,
Daar de hant, die 't al regeert,
Menſchen door den menſch bootſeert;
Och wat baren zy al pynen,
Daarze jammerlyk van quynen!
Hoe bederftze een ogenblik,
Harde ſlag, of ſnelle ſchrik!
d'Erfſchult wil geen kintſche jaren,
Minſt de zwakſte ſexe ſparen.
Gal en bloet, gelyk een beek,
Die verdwaalt is, houdt geen ſtreek.
Kan myn dicht met eedle klanken
Wyzen raat hier ooit voldanken,
Ooit volpryzen STALPARTS vlyt?
Dees Machaon (die zyn' tydt,
Door veel jaren hoog geſtegen
Tot veel kennis, allerwegen,
Trou beſteedt aan 't kranke bedt,
Duizenden voorzichtig redt,
Daar de doot met holle kaken

Haar'

Haar' gereetſten roof moet ſtaken)
Deelt aan elk nu even rê
Door den druk zyn' arbeit mê,
En 't gemerkte niet by kranken,
Door geopende aâr of dranken
Licht geholpen, maar het geen
Zelden beurde, of nooit voorheen.
Zyn papier melt ſtaag iet wonders,
Iet uitſtekends, iet byzonders:
Breuk of ſcheur, gezwel of ſteen
Buiten hun gewone leên:
Ramp, die elk niet kon bevroeden;
Heil, daar 't niemant zou vermoeden;
Hulp door geen' gebaanden weg,
Boven menſchlyk overleg:
't Lichaam levend wechgeſtorven,
Leên gemiſt, of ganſch bedorven,
Leden van gebruik berooft;
Brein ontbeert in 's menſchen hooft:
Schriklyk quaat van klene wonden,
d'Ergſte in ſchyn naar wenſch verbonden;
Sterken bloetvloet, of heel traag,
Of ſpoorbyſter: mont en maag
Lang van ſpys en drank verſteken:
Milt- en long- en hartgebreken,
Laſt, ontlaſting, misgeboort,
Vuilnis, zuivring, nooitgehoort:
Heilzaam, 't geen men plag te ſchromen;
Iet vergiftigs wel bekomen,
Diſchvreugt ſtof tot lykgeſchrei;
Boos vergift in tuin of wei

Voor

Voor een lekkerny gelezen;
En die andren trouw genezen
(Och wat regt de doot niet uit!)
Zelfs vergeven door hun kruit
Dees natuurgeheimeniſſen
Kloek te peilen, op te viſſen
Met haar oorſprong, recht gevat,
Zulk een' dierbren letterſchat
Aan de werelt te vereeren,
En geleerden dus te leren,
Eiſcht een' dankbren zegengalm,
Meer dan lauwerkrans of palm.
Lang moet u de Hemel ſparen,
STALPART, waardig Neſtors jaren:
Levens en gezontheits ſtut,
Leef veel menſchen lang tot nut:
Leef met uwen name onſterflyk
In dees bladen, nooit bederflyk.

AAN
DENZELVEN,
OP ZYN
TWEDE DEEL.

PÆONIUM IN MOREM.

ZO krygt men door vernuft den doot, elx vyant, onder,
Door zorg, Apol en zyn geneeskunſt toegewydt.
Zo holp Hippokrates het krankbedt door zyn vlyt,
Zich zelf aan ewige eer door ſchriften in 't byzonder.

Volgt STALPART hem niet braaf, die ons zo menig wonder
Van quale en hulpe ontvout, zelf na zyn levens tydt,
Den doot door 't melden van de kragt des doots beſtrydt?
Beſteedtge uw uren dus, ô kloek natuurdoorgronder?

Verplichtge al 't vaderlant dus met den Haag? en ſtaan

Ons zulke Zeldſaamheên by honderden voortaan,
Of by halfhonderden, te wachten in uw blaren?

Wie pryſt niet, wie volpryſt dien dierbren arrebeit?
Uw naam (dus dichte ik voort) verdient onſterflykheit,
Uw leven kracht en duur voor meer dan hondert jaren.

J. VOLLENHOVE.

AAN-

AANDAGHT

Op de hondert Seldzame

AANMERKINGEN,

DEN

Welwijſen, Hoog-geleerden, en ſeer Ervaren Heer

Hr. Cornelis Stalpart Vander Wiel,

Doctor in de Medicinen

Geduyrende een vijf-en-veertig jarige
Oeffening deſer Weetenſchap, ontmoet,
en by den ſelven behandelt,

EN

Ten dienſte van 't Gemeen in 't ligt gegeven.

Wie tragt een hegt Gebouw *De wijsheyt* op te regten,
Te ſluiten vaſt in een aan alle kanten, dat
De valſche Redenſchijn met domme kragt, en wat
Haar Woeſtheyt medebrengt, niet ſchudden kan, min ſlegten:
Die hoeft vry meer, als *Nett'* en *Heldere Gedagten*,
Het Algemeen vervult oorſpronckelijck den Geeſt.
En meerder niet; maar die het *Groote Boeck* door leeſt,

En

En al 't gewrogte telt van 't *Héel-Al*; ſpant ſijn
kragten
Met vrugt in, is bequaam den Hoeckſteen uyt-
tekieſen,
Den Regten Grondtſlag van ſo hegt een *Wyſ-
heyts* Kerck,
Bouwt met ſijn Zielen-oog hier op het verder
werck,
't Geen, gantſch onwrickbaer, noyt ſijn vaſtheyt
kan verlieſen.
Dit's Waerheyt: maer blinckt uyt in 't konſtige
geneſen
Van allerhande Quael, hier dient inſonder-
heit
Gelet op 't wonderbaer en groote onderſcheyt
Der Werken des Natuirs, indien men Wijs wil
weſen.
Merck, Leſer, hoe ſig hier Heer Stalpart
heeft gequeeten,
Hy, die ſoo meenigmael de wrede Doot ver-
kragt,
De Ziel, reets vlugtig, we'er ten lyve heeft
gebragt,
En in die oeffening ruym veertigh jaer verſleten.
't Is maer een kleyne proev', 't geen Hy ons hier
wil ſchencken,
Zijn Leſſenaer beſluyt een ongemeene ſchat,
En ſoo d'Afgunſt dit werk niet averegts en vat,
Zijn Gunſt ſal daer me' d'Eeuw', ook ſal Hem
d'Eeuw' gedencken.
't Is maer een proev; nochtans wat rare wonder-
heden
Ont-

Ontmoeten ons in 't eerſt, in 't midden, en
in 't leſt.
Zoo ſpeelt Natuir haer rol; en volgen haer om
beſt
Ons Hooft, ons Borſt, ons Buyck, en uyter-
lijcke Leden.
Siet hier eenEdelman de bittre doot ontſprongen,
Met driereys negenmael ſijn Herſenpan door-
boort,
Siet hier een Herteklop werdt buytens huys
gehoort;
Een anders Hert is plat, en tegens een gedrongen.
Siet hier een ſwangre Vrouw, om onbenauwt te
leven,
Wert d'ader vijftig-mael geopent, en geſont
Voldraegt haer vrugt ten eynd; ſiet hier een
Suyg'lings mont
Gevoet met Peſtig ſog, en ſonder ſmet gebleven.
Siet hier een Vrouwe-vrugt gantſch herſenloos
gebooren
Zijn leden roeren, en beleven nagt en dag;
Siet hier, hoe dat een Vrouw, dien 't niet en
gaet, als 't plag,
Gezuyvert wert door hand', oog, tepels, neus,
en ooren.
Siet hier dien Pruyſcher Boer, die 't mes inſwolg,
geneſen,
En 't ſcherpe yſer we'er ter mage uytgeſne'en;
Een Maegt baert hier een klomp met kermen
en Geween,
't Welk' buyten wonderwerck, noyt wierdt ge-
looft voor deſen.

Wagt u voor Coloquint, beſaemde Paddeſtoe-
len,
Oenanthes gift; ſiet hier, de doot in deſe pot,
Die met uw' gulſigheyt, en kleyne toeſigt
ſpot,
En doet u, maer te laet, uw miſſlag bitter voe-
len.
Gy Wijſgier, die op 't hoogſt uw' kennis wilt
verheffen,
En tragt te breyden uyt door Redenkave-
ling,
Tot dat gy, Hemel, Logt, Zee, Aerd', jae alle ding,
En al 't verwiſſelen der eeuwen kondt beſeffen;
En roept Gebreck van hulp, om dat een menſch
ſijn Reden
Wel oordeel vellen kan van al 't geen hem
ontmoet,
Maer dat een menſch ontbreeckt Tijdt, Oeffe-
ning, en Goet,
Om in een ider ſaek te ſien d'omſtandigheden.
Siet hier voor 't meerder deel uw' klagten wegge-
nomen,
Heer STALPART Leert ons, en niet met
ſijn Pen alleen,
Sijn Voorbeelt wijſt den weg, en prikkelt
yder een,
Om uw' Gebrek met vlyt, en ernſt te hulp te
komen.
Dank' hebb' ſoo meenig uyr ind' Oeffening ver-
ſleten,

Der ſieken *koortſig* Bet ſoo meenigmael beſogt,
En d'ondervinding aen het onderſoek ver-
knogt
Van 't geen de Jonger Eeuw' kan van d'Aloude
weten.
Wat ſal nu STALPARTS Roem in 't alderminſt
beſnyden?
Wie prijſt dit kleyn begrip, dog gulde blaren
niet?
Soo groot als 't nut is, 't geen 't Gemeen daer
uyt geniet,
Soo verr' ſal ook ſijn Naem op 's Werelts tongen
ryden.

Avunculo ſuo ἄμυσος αὐτομάτως

J. D. F. ALPHENUS, JC.

Nobiliſſimo, & Expertiſſimo

DN. CORN. STALP. VANDER WIEL,

SENIORI,

Hagienſium Proto-Medico,

Amico, & Fautori ſuo honoratiſſimo.

OBSERVATIONES CURIOSAS,

Tertiùm cum applauſu edenti, ὁλοψύχως congratulatur.

JOHAN. EGIDIUS EUTH,

Med. Doctor Archiater Saxonicus Practicus Hagienſis.

ECquis non novit STALPARTUM? ſcripta loquuntur:
Queis caſus raros, monſtraque mira refert.
Ingenia exacuit, multis ac dotibus ornat:
Erroreſque ſagax hinc procul eſſe jubet.
Perge novis partam ſcriptis extendere famam!
Ut pergam laudes deproperare tuas.
Non eſt, quod Momi cœcos verearis iniqui
Morſus. Infelix, qui caret invidiâ.
En igitur Tibi perpetuum vernantia ſerta
Nectam: ut in cœlis ſit bene, poſco DEUM.

EJUS-

EJUSDEM in EUNDEM.

CErnite ſolertem STALPART! qui cuncta revelat,
Et facit, ut vita hæc longa ſit, arſque brevis.
Ah! ſi complures STALPARTOS orbis haberet,
Frigerent COI non ita juſſa ſenis.

IN
OBSERVATIONES
MEDICAS

Viri Celeberrimi

CORN. STALPARTII vander WIEL

M. D. Hagienſis.

ERgo, novos iterum Stalparti accincte labores,
Indefeſſus amor, domitrixque induſtria ſortis
Haud ceſſant? Iterumne ſtudes, iterumne mereri
Læta Machaoniæ ſolers præconia gentis?
Succreſcit fama uſque recens; dum, legibus artis
Poſthabitis, rerum ſtupefacta mente Parentem
Suſpicere, ignotaſque jubes ſpectare cohortes
Morborum, & minimo latitantem vulnere mortem.
Quiſquis, ut eſt hominum pars vero haud credula, quondam
Viderit attonitus, ſtupuit quæ turba medentum
Optima, non renuat venerando credere teſti,
Qui tot mira oculis nuper ſubjecta fideli
Deſcripſit ſtudio, voluitque pateſcere cauſas.

Hu-

Humanos quiſquam potuiſſet credere ventres
Edere poſſe canem? Scyllæi fabula monſtri
Illa foret, fallax nunquam ni charta vetaret.
Grandior uva, nihil miror, ſi guttura vatis
Clauſerit egregii, cui Teia Muſa canenti
Adſtitit, & dio perfuſum nectare fovit;
Nec ſtupeo, exiguo lactis ſi flebilis hauſtu,
Immixtoque pilo Fabius periiſſe feratur.
Non minus hic ſævit fruticans, qui naribus arctis
Evulſus, pilus, eſt. pænas nam poſcit iniquas,
Ac feſtinati monſtrat compendia leti.
Audeat ut nemo non cauto vellere ſævos
Ungue pilos, queis vita comes parat ire ſub umbras.
Mortis mille viæ, mille officioſa, necentur
Ut miſeri, mala ſunt: Conceſſum hac vivere lege eſt.
Hic fruſtra Æmonias quiſquam decurrit ad artes;
Non tenera modo natus equus quod fronte gerebat,
Hippomaneſve malis notum, lectumque novercis,
Pocula nec Circes, medicatæ aut frugibus offæ,
Carminave indomitas mittent in pectora flammas.
Menſtrua maturis aufert quem luna puellis,
Mox agitat nimiis, potus, terroribus, humor,
Perturbatque ægras mentes, læditque veneno.
Pallida namque his philtra nocent. Hæc vincere norunt
Flos

Flos novus, & melior matura forma juventa.
Diliciæ juvenum, roſeum cum lumina vultum
Condecorant, lætique oculis afflantur honores,
Mentis opes caſtæ, pudor, & blandiſſima morum
Gratia, & hæc ſuperans multum dos ampla puellas
Commendant, animoſque trahunt, flectuntque rebelles.
His illi cedunt, inflammanturque venenis.
Quicquid ubique hominum degit, mutabile ſemper,
Ac varium eſt, ſibi nec conſtat; ſed fluminis inſtar
Mobile nunquam una fixum ſtatione quieſcit.
Nec tantum hoc juvenis vitio, ſeniumque laborat.
Vitales etiam ſimulatque in luminis auras
Transfuga materno de corpore prodiit, infans
Vagitu querulo mutatæ tædia ſortis
Indicat haud aliter, quam ſi genitricis in alvum,
Unde rubet, cupiat, deſertaque caſtra reverti.
Cernitur hic fœtus, mentemque, oculoſque moratur,
Qui velut impatiens ſtabuli, quod legibus iiſdem
Crœſus, & Irus init, paribuſque angoribus implet,
Ignarus tamen & vitæ melioris, & auræ,
Carcere proſiliit rupto: (Exhorreſcite quotquot
Viſcera maturo fertis turgentia partu.)

ut

Ut non ſede ſua miſeræ poſt funera matris
Viveret, ac ſaltem hoc moribundæ munus haberet.
Ergo puellarum quid non laſciva merentur
Furta, venus tantos peperit ſi caſta labores?
Toxica cum proſint, quos non ſperemus abunde
E tellure cibos, avidoque alimenta palato?
Tota fere venter gratum hic dat aranea ventri
Humano victum: Suavi placet illa ſapore,
Nec nocet eſca nocens; ſed quondam nomen edentis
Servabit, tineas, blattaſque fugabit inertes.
Sibila diffundat ſinuoſum arcentia vulgus
Horridus, agmen agens, turba & ſublimior omni
Imperio Libycas teneat Baſiliſcus arenas:
Adſpectu tamen, & ſtygii qui fingitur oris
Poſſe necare ſono, letali hic concidit ictu;
Exuat ut trepidam quivis formidine mentem.
Nobilius certe, cornu & præſtantius uno
Eſt animal, tellus merito quo ſe Africa tollit.
Quis non obſtupeat, pueri cum debile tergum
Corripuiſſe legit labem, pectuſque, latuſque,
Brachiaque, plantaſque, recens dum ventre latebat
Matris inaſſueto paſcentis lumina viſu;
Squameus illi horror, fuſcos ac ſparſa per artus
Ut frontis niveos ferrugo augeret honores?
An credat veſter, Medici, miracula Cous,
Si vacui haud finita ſciat jejunia ventris,

Ter-

Tertia dum reducis fulſerunt cornua Phœbes?
Nempe Deus vitæ fons, & ſpes unica, poſtquam
Nil opis humanæ eſt, tandem mortalibus ægris
Dexter adeſt, animoſque malis, & pectora ſolvit.
Relligio hæc eadem, & conceptis debita verbis
Sancta fides, quæ vos, Phœbeæ lumina turbæ,
Ulli hominum tacitæ temerare ſilentia linguæ
Non ſinit, o quantum præſtet, ſi pandere cogat
Aſclepî quodcunque juvat, decoratque nepotes!
Stalparti, hoc, ſed ſponte, facis: ferventior inſtas,
parque flagellanti morborum flagra retundens
Hæc priſcis indicta viris caligine mergi,
Urgerique vetas tenebris. Quam digna theatris,
Unde Palæphatiæ procul abſint ſomnia chartæ,
Prodigus haud levium pandis ſpectula rerum!
Plaudo equidem; plaudent, queis non inſcitia nube
Mentem Cimmeria leti ſoror horrida cæcat.
Pæonii quoniam mecum ſtent vota Senatus,
Non fundet ſtolidæ livor convitia linguæ.
O quoties ſtudiis tua, quamquam grandior, ætas
Immoriens juvenes pulchris ardoribus annos
Imbuit, ingenuaſque avidum me traxit ad artes!
O quo-

O quoties vulgi deliramenta furentis
Riſimus, & curas, cum doctior ipſe receſſi!
Sidera tardus adi, tempeſtivuſque vocantem,
Quem proavi longo ſcanderunt ordine, Olympum,
* Qui cecinere modis non interitura canoris,
Bilbilis alta ſui dicat quæ, carmina, vatis,
Quæque ſuo felix Verona adſcribat alumno.
Cum tamen emerito veniet lux ultima vitæ,
Non omnis moriere; tui pars multa ſuperſtes
Horrida vitabit Libitinæ ſpicula, & altum
Æthera pervolitans rabiem contemnet iniqui
Temporis, & feris conſtabit gloria faſtis.
Haud aliter, patrium, floreſcens accola, flumen
Qui bibit, Amſtelios qua ſpumeus Ya ſuſurros
Excipit omne Tagi pleno nunc ditior alveo
Provolvens aurum, plauſit, cum Tulpius ingens
Perſimile exegiſſet opus. Non celſior urbis
Faſcibus ille fuit, cui Tethys omnibus undis,
Oceanuſque Pater famulatur, victa vetuſtas,
Atque altæ cedunt arces, queis Hadria turget;
Quam, virtutis opus, cum famam extendere factis
Pergeret, & ſenibus nomen tranſcribere ſeclis.
Sic etiam, o Hagæ dudum laus inclyta noſtræ,
Non animum ſpe deceptum lactabis inani.

Quin

* Sic Auguſtinus, ac Joannes Stalpartii ſuis quiſque Poëmatiis inclaruere,

Quin tibi perſolvet dignas Germania grates,
Nec ſola in memores referet te lætior annos.
Ergo alios ſupra tollet ſe nominis olim
Fama, jubarque tui. Puro velut æthere quando
Luna micat, fugiunt late, noluntque videri
Vicini igniculi, pallet Cynoſura, minores
Lumina fuſca faces ſubmittunt, Cnoſſia languent
Sidera, & Oebalii cedunt, par nobile, fratres.
Commoda ſed quamvis jam non ignobilis otî
Percipere, & tantis poſſis te attollere rebus;
Perge tamen, dum fata ſinunt, turbaſque jacentes
Erige: pelle febres, lenta quæ corpora tabe
Fracta minutatim diris languoribus angunt.
Quid liquor excuſſus foliis, herbæque potentes
Quid valeant, ſenſi. Juvit ſua dextera Fluddum
Sæpius, & ſuccis morbi ceſſere minores.
Quantus agit mentem Phœbus, cum corpora ſanas
Quæ ſanie, taboque fluunt, atque arida marcent,
Queis neque Phillyrides præſtet ſolatia Chiron,
Stalparti, effœtos accerſere robur in artus
Quo melior nemo, quanto ardent pectora motu!
Intrepidum tibi nunquam animum furibunda canum vis
Ter-

Terruit, infeſtum quamvis in viſcera virus
Infundat morſu, cedit cui Sirius ardor.
Ipſe animam tandem latebris exire parantem
Siſtere,& erectis potuiſti reddere membris.
Sæpius illa licet jamjam morientis amicos
Feciſſet pariter dubios, pallenſne cadaver
Conſpicerent, oculos an certa morte gravatos;
Vivida, qui fuerat, rurſum color ora notavit;
Deinde, novæ poſtquam rediere in priſtina vires,
Idem oculos, idem incendit præcordia fervor.
Multi,quos Charites averſæ, ac lævus Apollo
Deſpexere, ſtylum necquicquam, unguesque
fatigant.
Mole tument alii: violas velut inter avenæ
Naſcuntur ſteriles, dominantique agmine vincunt.
Immanis prurigo ſuos agit: Horrida at illi
Non niſi monſtra fovent, & ſcombris digna locuti
Damnato, inveniunt tandem, conamine, laudem,
* Quam dedit Alpino Trojani everſor Achilles
Imperii, ac luteus, diffracto vertice, Rhœcus.
Res nimis arcta domi, ſcelerumque uberrima mater
† Paupertas quoſdam famam ſervare tacentes
Heu!

* Legeſis accuratiſſimas animadverſiones, notaſque Celebert. Dan. Heinſi ad lib. 1. Sat. 10. Horatii.

† Dea equidem Penia bonæ mentis ſoror. Verum
Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit
Uno, eodemque igni;
Sic & inopes pro indolis ductu in diverſa feruntur. ſed plures mali.

Heu! vetat. Uſque adeone nocet mortalibus aurum?
* Ipſane, at, utilitas, Stalparti, an Cimbricus ille
Hoc tibi Neſtor opus non parco extorſerit, ingens
Qui tibi ſcribenti ſtimulus, vix dicere poſſis.
Cumque hic mole liber nuſquam turgeſcat inani,
Copia non felix, dignarum aut pondera rerum,
Utilibus paſſim miſces dum dulcia, deſunt.
Ille levis procul eſſe jubet faſtidia Marſi,
Pectora cui Fabii nunquam arriſere loquacis.
Caſta placet brevitas, & amœnæ gratia linguæ.
Laus etiam ſua parva manet; præſtantior uſque eſt
In minimis natura: olim quod viderat ille,
Cui fuit exitio Ætnæos victura furores
Fumorum piceo cum turbine flamma Veſevis
Faucibus erumpens, candentique aucta favillâ.

* Joh. Lud. Hannemannus Phyſic. in Athenæo Chilonenſi Prof. S. R. Imperii Acad. naturæ curioſorum collega dictus *Neſtor II.*

IN EFFIGIEM EJUSDEM.

Quiſquis in artificis Stalpartum conſpicis ære,
Ora vides, ſummis quæ placuere viris.
Hac pictus cum parte ſilet, non muta loquuntur,
Quæ victura animi dat monumenta ſui.

J. FLUD. A. GHILDE.
Hagienſis.

C. STAL-

C. STALPARTII VANDER WIEL

OBSERVATIONUM RARIORUM

CENTURIA PRIMA.

OBSERVATIO I.

Cranii ſuturæ pavore quodam deſiunctæ.

ANimi motus inſolitos etiam corpus tangere, atque agitare, propter arctam, quæ illum, & hoc jungit, unionem, palam eſt: quâ non tantum, quæ ipſis obveniunt, bona, ſed & queis turbantur, mala continuo ſecum communicant. Quantas autem turbas hi motus dare, quantaſque ipſis corpori-

bus ærumnas excitare queant, quamquam vel quotidianæ experientiæ invicto conſtet teſtimonio, evidentius tamen, opinor, atque lucidius hac obſervatione,ac ſecuturis 16.& 79.pateſcet.

Uxor *Friderici* cujuſdam, qui Hortulanus, ac cuſtos fuit magnificentiſſimi prædii ſuburbani Illuſtriſſ. Viduæ *Friderici Henrici* Celſiſſ. quondam *Arauſionum* Principis, quod in Hagienſi viſitur nemore, uſque adeo ex pavit, furibus nocturnis non procul ipſâ infractionem auſis, ut præ nimio, quo corripiebatur, terrore, cerebrique ipſius agitatione, & concuſſione, quam & febris Chephalalgiaque ſequebantur, *oſſa parietalia* a ſe invicem diſſiluerint. Quam quidem ſuturarum disjunctionem non, niſi poſt unum, & alterum demum animadvertit menſem, quamquam illa vel adulti hominis minimum admitteret digitum. Hæc tamen mulier a Chirurgo *du Foix* (vulgo *Lucq*) priori ſanitati, adhibitis faſciis, & ligaturis, reſtituta fuit.

IN

IN OBSERVATIONEM I.

SIcuti ſuturarum ſeparatio, cujus modo facta mentio, ab externâ cauſâ ſubito provenerat, & quam minimo temporis intervallo; ita ſæpius in *Hibernia* (prout *Arnoldus Bootius de affectibus omiſſis cap. 4. pag. mihi* 17. memorat) capitis oſſa evidenti diſtantiâ disjunguntur, præſertim quâ *coronalis*, quamvis & quandoque, quâ *ſagittalis* excurrit ſutura. Quod tamen lente, atque internâ cauſâ, quam exterior vis non præceſſit, tam maſculis, quam fœminis, nec minus robuſtis, quam tenellis accidit. Hanc ſuturarum ab invicem ſeperationem gravis, illo teſte, ſequitur *Cephalalgia*, quæ ex duræ matris cranio multis membranoſis fibris utplurimum adhærentis, ac dictâ oſſium divulſione tenſæ, atque dilatatæ ſtimulis oritur. Qui dolor tolli vix poteſt, niſi conjunctione dictorum oſſium, ac in priorem ſedem reductione. Quod quidem imprimis Chirurgi manibus efficitur, quem laborantis caput, ſi *coronalis* diſiungatur ſutura, oportet comprimere, & unâ manu frontem, alterâ occiput adducere; ſi vero *ſagittalis* aperiatur ſutura, ab utrâque parte tempora comprimantur neceſſe eſt. Quo facto, requiſitis faſciis, queis dicta oſſa ſuo loco contineantur, obvolvendum caput eſt. De modis, quibus juncturarum diſtantiæ in oſſibus

capitis firmentur, legatur *Hippocrates de officio medici.*

D. Sennertus prax. lib. 1. *part.* 1. *cap.* XXI. *pag. mihi* 52. etiam nonnihil de hoc mali genere refert, cum dicit internis aliquando cauſis ſuturas capitis, quæ alias contiguæ ſunt, ita disjungi, ut evidens inter eas ſit diſtantia, quod ab humorum copiâ fieri judicat, quæ diſtendendo facit, ut ſuturæ magno ſpatio diſtent, ut docet *P. Agineta libr.* 3. *cap.* 7. nec non *Jacob Fontanus*, qui *Prax. libr.* 1. *cap.* 3. exemplum profert juvenis cujuſdam, cujus capitis ſuturæ tanto disjunctæ erant ſpatio, quantum quatuor adimplerent digiti.

G. Fabrit. Hildanus Centur. 1. *obſerv.* 1. *p.* 1. duo etiam adduxit exempla divulſarum ſuturarum, quarum prima disjunctio e diuturnâ *Hemicraniâ* orta erat, quâ durante, ac inflammatione, nec non humorum copiâ in cerebro urgentibus, ſuturæ adeo hiabant, ut ſe *ſyſtolen*, & *diaſtolen* cerebri ſatis diſtinctè ſenſiſſe memoret: Altera autem disjunctio è morbo graviori, ardentique febri, cum dolore capitis acutiſſimo provenerat.

Quin & Thom. Mermannus Conſultat. 4. *libr.* 1. *fol.* 15. *Cephalææ*, quâ præcipua quædam puella laborabat, mentionem facit, eâque ſuturam quâdam capitis parte disjunctam teſtatur.

Suturæ capitis, inquit Joubertus de Cephalalgia cap. 9. *pag. mihi* 437. *interdum a ſe invicem*

ſepa-

ſeparantur, quod ego ſemel obſervavi in fronte cujuſdam puellæ, cui unius lateris os alterius ſuperabat altitudinem poſt pertinacem in infantiâ capitis dolorem.

Ex inflammatione hoc malum oriri poſſe aſſerit *Ætius libr. 6. cap.25.*, ut & *Hippocrates 7. de morb. popul.* Idem affirmat *Avicenna fen.1. tract.3. cap.40.*

De ſutura *cap. Lambdoide* hiſcente in Infante vide ſis *miſcell. curioſa German. decur.* 1. *anni* 9. *obſerv.* 139. *fol.* 438.

Thom. Bartholinus centur. 5. *hiſt.* 92. *pag. mihi* 173. hujus etiam rei mentionem facit, ut & *Fabrit. Hildanus Centur.* 2. *obſerv.* 7. *pag. mihi* 84. nec non *Anthon. de Pozzis miſcell. curioſ. med. phyſ. Decur.* 1. *an.* 2. *obſerv.* 34. de Tribuno quodam narrans non militiæ minus, quam potandi egregie gnaro: qui cum ſe aliquando vino annoſo plus æquo ingurgitaſſet, ob ſanguinis inflammationem, & inde ortam vaſorum cerebri dilatationem, divulſâ magno cum cruciatu durâ meninge, nunquam quieverit, niſi cum cranii contiguæ extremitates circa *coronalem ſuturam* ad pollicis latitudinem eſſent disjunctæ. Ex hoc tamen malo id percepit commodi (ſi fas ita dicere) quod nempe poſtea abſque cerebri perturbatione abunde ſe Liberi patris flore aſpergere, ebriæque compotorum turbæ ſolus mentis compos ſupereſſe poſſet.

Petr. Marchettis obſ. Med. Chirurg. cap. 15.

pag. mihi 31. mentionem injicit vulneris frontis uſque ad *Diploen* penetrantis, ac gladio inflicti, citra ullam cerebri, & membranæ labem, omnibus licet ſymptomatibus vulneris capitis præſentibus, quare ipſe poſtridie trepano uſus eſt, ſubjectam membranam nonnihil inflammatam inveniens, cui apta procuravit remedia. Cum vero vulnerati, ac 14. die mortui caput aperiretur, conſtitit a vulnere nec membranam, nec cerebrum quidquam incommodi ſenſiſſe, imo ipſam vitream tabulam manſiſſe illæſam: licet ſutura *Lambdoides* tam late eſſet aperta, ut minimum intromitteret digitum, dum ſaniei non multum inter ipſas ſuturas, ac ſupra duram matrem lateret. Haud abſimile exemplum deſcribit *J. Baptiſt. a Lamzweerde obſ.* 8. *p. mihi* 232.

Denique cranii ſuturæ etiam disjunguntur in infantibus, qui *Hydrocephalo* laborant.

OBSERVATIO II.

Infans abſque cerebro in lucem editus.

OCtavo die *May*, 1678. à Medicis *P. Chriſt. Romphio*, *J. Stalpartio vander Wiel*, *Adriano Veermanno*, *nec non Chirurgo Frid. Kempio* inſpectus fuit infans ſartoris Hagienſis, cui nomen *Bont*, viginti quatuor horas etiam poſt nativitatem vi-

vivens, cujus mater (ut dictus *Bont* teſtabatur) ſexto, ex quo uterum ferre cœperat, menſe ceciderat in ciſternam impacto capite, quem caſum, quod referre paro, malum ſecutum eſt. Poſt ternos quippe menſes fœtus perfectus fungoſâ caput obtectus inter *Coronalem*, ac *ſagittalem* ſuturam, excreſcentiâ prodiit. Hæc autem tres digitos transverſos altitudine, duos latitudine, unum vero craſſitie æquabat, ejuſque baſis unum pollicem lata erat; ſumma vero pars extra cranium minimi digiti latitudine eminebat. Oſſa *parietalia* eum in modum erant depreſſa, ut non rotunda ſed omnino plana, ac circum dictum *fungum* nonnihil intro recedentia, ac, quanta minimi digiti eſt latitudo, carnea apparerent. Aperto cranio oſſium *jugalium* craſſities, eorumque, quæ ſupra naſum erant, cum minimi digiti latitudine conveniebat, poſteriorem autem oſſium, eorumque, quæ latera, qua in Occiput vergunt, conſtituunt, naturalis erat craſſitudo. In capite nihil conſpiciebatur cerebri, nihil materiæ corruptæ, humoriſve proxime ad ſerum acce-

 den-

dentis, nec cerebro quidquam ſimîle; cujus loco exigua tantum cavitas apparebat, quæ ne columbinum quidem ovum caperet; eratque illa, tanquam naturaliter, intus cerebri membranis veſtita, nec ex eâ (quod obſervatu digniſſimum) dicta *excreſcentia* procedebat, ſed a medullæ ſpinalis principio, prope primam colli vertebram oriebatur, ac adulti hominis digito craſſitie, & rotunditate par erat. Ex fungoſâ hac carne poſt diſſectionem humor quidam ſero non multum diſſimilis, qui variis continebatur veſiculis, effluebat.

IN OBSERVATIONEM II.

Z*Acutus Luſitanus prax. med. adm. libr.* 1. *Obſerv.* 5. *pag.* 2. Narrat de puero decenni, cujus occiput gladio ita vulneratum erat, ut in ipſam cerebri ſubſtantiam vulnus penetraret, e quâ jam pars juglandis magnitudine per vulnus effluxerat: dicitque hunc puerum, nullo impedimento ſuperſtite, plane fuiſſe ſanatum, quamvis idem poſt triennium, quoniam paulatim nonnulli humores ad hanc debilitatam partem ſeſe conferrent, *Hydrocephalo* laborare inciperet, hincque decederet.

Dif-

Diſſecto dein poſt obitum capite deeſſe cerebrum, ac duram matrem duplicem eſſe conſtitit, inter cujus duplicaturam multum aquæ puræ delitefcebat.

Nicol. Fontanus reſponſ. & Curat. Medicinal. libr. 1. pag. 16. mentionem facit infantis, qui abſque cerebro, *anno* 1629. 24. *Decemb.* natus erat, quem ſe oculis vidiſſe teſtatur.

J. C. Geilfuſius ait loco cerebri membranam craſſiorem in capite repertam fuiſſe, additque ſe vidiſſe fæminam in *Noſocomio Argentoratenſi*, cujus cerebrum omnino putrefactum erat, quæque eo delata triduum tamen integrâ mente vixerat, quod & teſtatur *Schneiderus de Catarrho lib. 4. cap. 3. fol. mihi* 57.

Sennertus in Paralipomenon ad libr. 1. prax. part. 1. cap. 24. de veritate modò memoratæ *Zacuti Luſitani* Hiſtoriæ dubitat, cum dicit ſe perſpicere vix poſſe, quo pacto quiſquam vel momentum temporis abſque cerebro vivere poſſit: concedit equidem partem cerebri tolle poſſe, verum tam diu quemquam, omni cerebri ſubſtantiâ ſublatâ, aut conſumptâ, vivere poſſe, a nullo unquam demonſtratum aſſerit.

Hujus etiam eſt opinionis *Caſpar a Reyes Franco, campo Elyſio, quæſt.* XXXI. Unde & *Fontani, Zacutique* narrationes rejicit.

Miſcell. med. phyſ. German. Decur. 1. *an.* 8. *obſerv.* 64. *pag.* 107. Legimus puellam, 3 *Janu.* 1677. abſque cerebro, & cranio *Presburgi*

natam, cujus tamen corporis partes omnes perfectæ, atque elegantes eſſent, præterquam quod cerebri, craniique loco, maſſam aliquam carneam haberet in ſupremitate pulſantem, & neſcio quid, ſeroſi emittentem. Hæc puella cum nata eſſet, more infantum non vagiit, ſed vagitus loco quaſi ſtertens, aliquot rhonchos duxit. Porro caput, reliquaque membra ſatis commode movere potuit, quin & immiſſum ab obſtetrice digitum in os, parum, ſed debiliter, ſuxit. Poſt vitam autem 24. ferme horarum acerrimis infeſtata eſt epilepticis convulſionibus, atque ita interiit. Intra carneam hanc maſſam duæ conſpiciebantur cavitates, ventriculis haud diſpares, reliquâ ſubſtantiâ ſpongioſâ, atque diſſolutâ. Nihil medullæ repertum ſpinalis, & quicquid in ſpina deliteſcebat, a coagulato ſanguine vix differre viſum. Nervi optici juſto rubicundiores ſeſe in protuberantes, ac ſuperne orbitâ carentes oculos inſerebant. Illi autem nervi e dictâ maſſâ proveniebant, ex quâ & innumera huc illuc diſpergebantur filamenta itidem rubicunda, nervis ſimilia, vel eorum ad minimum ſupplentia defectum. *Iiſdem miſcell. med. phyſ. Decur.* 1. *anni* 3. *obſ.* 129. *fol.* 205. gravidæ fæminæ fit mentio, quæ medio graviditatis ferme tempore ruſticum detecto capite, eoque ſaucio, ac ſanguinis plurimum ejiciente viderat, quo illa repente conterrita, caput perfricuit manibus, atque ſolito partus tempore edidit puellam, quæ

ali-

aliquoties vagiit, brachia, cruraque commovit, ſupra caput carneam excreſcentiam habuit, ac ſedecim prope horas vixit, poſtquam gravibus attrita fuiſſet convulſionibus. In ipſo capite pro cerebro maſſa plurimis conſtans veſiculis reperta eſt, quæ ſibi invicem tenuiſſimis fibrillis cohærebant, per ſpatia intermedia vaſa ſanguifera incedebant, & quælibet veſicula minutiſſimis, ac rutilis vaſis decorabatur. Veſiculæ hæ erant inæqualis figuræ, & magnitudinis, omneſque pauciſſimis exceptis, aquam limpidiſſimam intra ſinus ſuos coercebant, quam ſauciæ, & preſſæ cum impetu projecerunt, integræ vero ne guttulam quidem vel profuderunt, vel vicinæ ſuppeditarunt, ceu omni exitu privatæ, *hydatidum* plerarumque more, quæ alibi in cadaveribus animalium nonnunquam reperiuntur.

Totus veſicularum acervus tantus erat, ut cerebrum, & cerebellum fætus humani vel adæquaret, vel ſuperaret. Omnibus veſiculis ablatis, baſis cranii maximam partem plana erat: *oſſa petroſa* utrimque, & anterius *criſta Galli* leviter prominebant: *os cribroſum* obliteratum videbatur. In medio baſis, ubi *ſella equina oſſi Sphœnoïdi* inſculpta eſt, ſinus erat ſuperficiarius, in quo duo conſpiciebantur corpuſcula juxta ſe poſita, quorum ſingula Phaſeoli magnitudinem æquabant, quibus in parte poſticâ aliud rotundum piſi mediocris magnitudine adiacebat:

A tri-

A tribus iſtis corpuſculis medulla ſpinalis in progreſſu amplior procedebat per ſinum alium ſuperficiarium ad foramen magnum occipitis, obtinuitque magnitudinem, figuram, colorem, & conſiſtentiam legitimam, & perfectiſſimorum fætuum ſimillimam, omnibus que numeris abſolutam. Tria hæc corpuſcula medulloſa erant, & ſubcinericea. Ab illis antrorſum duo nervi, ſeu potius fibræ graciles verſus oculos pergebant, &c. Ejuſdem libri *pag.* 495. *obſ.* 280. mentio fit bene nati pueri, qui anno 1666 a matre poſt 11. menſium faſtidia in lucem editus erat cerebro carens, cranioque, quorum loco carneum corpus inſtar jecoris, at illo paulò durius conſpiciebatur, quod undique e capite dependens medio ſui oſſi *Sphænoïdi* adhærebat, ac apertum aliquantulum emittebat ſanguinis. Superius deerat cranium, ſed duo parva, ac imperfecta admodum occipitis, & ad latera, anteriuſque duo *parietalia* oſſa inveniebantur frontis ſupplentia defectum, quæ vix aliud quam oculorum orbitam efformabant, altius quippe non aſcendebant. Oculorum ſinguli pro nervis opticis, debito loco duo conſiderabilia venoſa habebant vaſcula, ſanguine ſubnigro repleta, ab hac ſubſtantiâ hepaticâ prodeuntia: ſpinalis medulla ſanguini coagulato per omnia ſimilis erat. Omnia porra viſcera ſatis benè ſe habentia, atque minimè defectiva erant.

De alio infante, ſine fronte, calvariâ, cerebro-

que

que, ac cerebello nato, cujus truncus, & extrema ſatis benè conformata erant, & præter faciem, auriumque plagas vix aliud in capite occurrebat, cujuſque in oppoſitâ faciei parte, durum quoddam corpus, figurâ primæ vertebræ alatâ, carneâ mole obductum protuberabat, ſub quo foramen inſigne penetrabat ad vertebrarum cervicalium, & dorſalium thecas, &c. Conſule eadem *miſcell. med. phyſ. German. Decur.* 1. *an.* 2. *Obſ.* 36. *pag.* 60.

Mauricæus Gallicus ſcriptor *lib.* 1. *cap.* IX. de gravidarum, nec non enixarum morbis agens, meminit infantis cujusdam anno 1665 nati, qui nec cerebrum, nec cranium, ſed eorum loco carneam tantum habebat maſſam.

Idem infans ejuſdem conditionis fuerat novem, queis maternâ in alvo creverat, menſibus. Omnes autem ejus corporis partes ad maturitatem pervenerant ſanæ admodum, atque perfectæ. Vivus quidem ille ex Utero prodiit, at non diu poſtea ſuperfuit.

Actis Philoſoph. Societ. Regiæ in Anglia an. 1667 *pag. mihi* 125. de infante immaturo agitur, qui loco capitis, & cerebri habebat maſſam carnis ſimilem hepati, comperiebaturque moveri, hic autem vixit iv dies, & poſt obiit. Nulli nervi fuere inventi, qui a cerebro prodibant, ſpinalis medulla erat ejuſdem ſubſtantiæ.

Theod. Kerckringius obſ. Anatom. 46. *p.* 102. refert de infante, qui poſt quinque cum dimidio men-

menſium vitam, *Hydrocephalo* interiit, cujusque cranii ſuturæ plurimum erant disjunctæ, nec in capite cerebrum, at ejus loco aqua viſcoſa reperta. Hujuſmodi exempla ait cuidam Lanioni ſæpius in ipſis ovibus obveniſſe, quæ etiamnum vivæ adeo ſtupidæ, & fatuæ erant, ut neque edendi, neque bibendi a naturâ cunctis animalibus ſuggeſtos ſentire viderentur ſtimulos, ſed fame periiſſent, niſi in os vi apertum alimenta idem ingeſſiſſet Lanio.

Th. Bartholinus Centur. 1. *Hiſtor. Anatom.* 83. *fol.* 124. ait in *Norvegia anno* 1639 puellulam natam, quæ dimidiæ tantum horæ ſpatium vivebat, quæque pro fronte, cerebroque informem rubicundioris carnis gerebat maſſam, mitræ Epiſcopali exteriore parte non omnino diſſimilem.

Ephemerid. eruditorum Galliæ conventione 12. *anno* 1673 fit mentio infantis *Novemb.* 1673 nono menſe abſque cerebro nati, qui illico poſt partum moriebatur: ac quamvis idem ſatis robuſtus, ac pinguis eſſet, juſtæque magnitudinis haberet membra, deeſſe tamen frontis os, pelle, ac capillis ſuperiorem ac poſteriorem capitis partem carere conſtitit, eorum autem loco reperta fuit rubræ carnis maſſa coagulati ſanguinis inſtar, quæ poſteriorem obtegebat capitis partem, ſub qua carne rubente os quoddam repertum eſt, abſque omni ſutura, reliquarumque, quæ in cranio reperiuntur, partium diſtinctione: Illud os inſuper

ſuper anteriori parte adhærebat oſſi faciei, poſteriore autem nequaquam vertebris colli conjungebatur. Prima vertebrarum colli ita peculiari membranâ erat obtecta, ut credere vix liceret ſpinali medullæ quidquam cum capite communionis eſſe, quamquam id ipſum debito more nervis non careret. Hic fœtus denique partus tempore materno in utero valde ſe quaquavorſum commoverat.

Si quis quærat, unde hi dictis infantibus motus, ut pote cerebro carentibus? Reſponſum ferat; Quamvis illi cerebro ad recipiendos, communicandoſque ſpiritus caruerint, medulla nihilo minus ſpinalis, quæ revera non niſi productio, ac veluti cauda quædam cerebri eſt, ortus nervorum reliquarum partium exiſtit, iiſque mediantibus, membris, partibuſque corporis ſpiritus ad motum neceſſarios impertit, quorum materia dictæ medullæ per *carotidis*, & vertebrarum arterias illam undique rigantes ſubminiſtrari poteſt, licet ille motus eo quidem caſu minus validus ſit, atque durabilis.

Nicol. de Blegnii Zod. Med. Gall. an. 3. *fol.* 54. *obſ.* 3. refert de puella, in cujus poſt mortem cranii capacitate nihil præter aquam limpidam deprehendere licuit omnino adimplentem membranas, nullo præſente cerebro, aut ſubſtantiâ ſolidâ; unde concludit, quando cerebrum rite conſtitutum eſt, functiones animæ probe fieri, valere ſenſus, ac ſpiritus ſubtilius in cerebro filtrari,
nec

nec non majori copiâ diſtribui; cum autem illius ſubſtantia ex toto, aut parte conſumpta eſt, ſatis eſſe ait, ſi cæteræ partes, quæ intra cranium continentur, atque intra ſpinam conſtitutionem ſuam nativam ſervaverint, ad jugem, & perennem actionum animalium motum, etiamſi tunc temporis imperfectius, edantur. E quibus duo, inquit, conſideratu digna inferre licet. I. Si cerebrum totum, aut maximâ parte conſumptum fuerit, hominem neque ingenio, neque judicio pollere. II. Cum cerebrum eo modo conſtitum eſt, motum, qui vitæ principium eſt, nihilominus continuum eſſe in ſanguine, ac partibus ſolidis, dummodo nulla immutatio in meningum, medullæ productæ ſpinalis, & nervorum ſtatu naturali contigerit.

OBSERVATIO III.

Abſceſſus in fronte infantis.

QUantopere Chirurgorum interſit omnem oſſium ſtructuram probè noſſe, tum demum illi ipſi ſentiunt, cum in oſſibus, vel circa eadem mali quidpiam exoritur. Neque enim ſuffecerit, ſi ſciant, quomodo illa ſibi invicem jungantur, cohæreantque, verum etiam exacte

exacte noverint, neceſſe eſt, cujus illa ſint naturæ, ſubſtantiæque, quænam eorum ſit forma, qualiſque diverſitas, quænam etiam ſit craſſities, quæ planities, cavitaſve, quam denique illa cum reliquis corporis partibus, quæ illis junguntur, agglutinanturque, habeant communionem.

Non ita diu eſt, quod cum Chirurgo quodam trium, aut quatuor circiter annorum infanti mederer, qui e cubili obverſâ in ſaxeum pavimentum fronte ceciderat, ita ut maxima in fronte mediâ appareret contuſio, cui commodis remediis non ita poterat reſiſti, quin tandem in abſceſſum degeneraret. Quare neceſſum fuit, ut aperiretur, verum lapſu temporis obſervatum omne pus per factam aperturam non poſſe educi. Nec tamen placuit alterâ inciſione (erat enim puellula) frontem deformare: quare parumper exſpectavimus, & pus pulvillis ad dictam aperturam propellere adniſi ſumus, quod tamen neutiquam ſucceſſit. Tunc mihi in mentem venit de oſſe frontis infantum ad ſeptimum plerumque, octavumve annum futurâ in duas diviſo

partes, per quam ſuturam dura mater etiam tranſmiſſa pericranio adhæret, atque ibi interſtitium quoddam efficit, quod ipſum nos adegit, ut & aliam frontis partem inciſione aperiremus, quâ puella brevi tempore ſanata eſt.

IN OBSERVATIONEM III.

OS frontis infantum communiter in duas diviſum partes Deus Opt. Max. prudentiſſimo conſilio ideo ordinavit, ut præter cætera calvariæ oſſa, bina hæc etiam in partu non aliter, ac duæ ſcandulæ, ſive laminæ tanto melius ſibi invicem cederent, atque aliud ſuper aliud everetur, ac tanto facilior foret enixus. Rariſſime dictum os in adultis maſculis, quanquam aliquando in fœminis duplex reperitur. In ſenioribus illud ipſum non eſt duplex, quoniam in illis tractu temporis ſiccefcit, adeo ut ſutura præ ſiccitate paulàtim evaneſcat, ac per conſequens duræ etiam matris productiones, quæ antea pericranio oſſis frontis alligatæ erant, evaneſcant. Quando tamen dictum os in adultis reperitur duplex, tum *ſagittalis* ſutura frontis os medium diſcernit, atque ad naſum uſque excurrit. Hoc autem plerumque ejuſmodi contingit hominibus, queis poſt ſeptimum circiter, octavumve annum capitis oſſa circa verticem non coaleſcunt, ſed

ſed cavitas ibidem remanet, quæ vel vigeſimo anno parum preſſa dolorem ciet. In illis enim hominibus os frontis ut plurimum invenietur duplex, quæque dictum os medium ſeparat, minimo negotio admotis digitis ſentietur ſutura.

OBSERVATIO IV.

Abſceſſus oſſis capitis.

MOrbi Gallici inveterati proprietas veluti quædam eſt, ut oſſibus multo magis, citiuſque, quam carni noceat. Illa quippe lues non ſolum extus, ſed & intus oſſa haud aliter, quam tineæ pannos, ac vermes ligna, rodit. Ego domi meæ oſſis partem quandam ſervo volæ manus magnitudine parem, quæ ex oſſe frontis mulieris cujuſdam dicto morbo laborantis provenerat, atque ita a toto ſui ſeparata erat. Eſtque eadem paſſim tam ab interiore, quam ab exteriore parte veluti blattis comeſa, cujus tabula inferior omnino eſt conſumpta, nec non haud exigua oſſis Sphænoidis pars, quam illa mulier ore ſuo emiſit cum dentibus aliquot, ut & quibusdam

 palati

palati oſſiculis, quæ omnia mihi ſuppeditavit, prout in adjectâ figurâ videre eſt.

IN OBSERVATIONEM IV.

MIrari equidem merito licet, cur ipſa cranii oſſa morbo gallico conſumantur, ac putreſcant, capitis interea pelle integrâ, atque illæſâ. *Benivenius de abdit. morb. cauſ. cap.* 18. *pag. mihi* 166. de quodam Monacho *S. Auguſtini* ordinis narrat, cujus frons jam tota pene oſſibus carebat, intactâ tamen ejuſdem pelle, ac carne.

R. Dodoneus in annotat. ad illam narrationem vidiſſe ſe ait in cadavere mulieris, quæ iſto laboraverat morbo, oſſa ſub incorruptis membranis tumentia, atque medullitus exulcerata.

Alardus Cummenus Pariſiis notavit, Nobili cuidam *Burgundo* ex confirmatâ & inveteratâ lue Venereâ oſſa tam fragilia fuiſſe, ut ad minimum impulſum frangerentur.

P. Marchettis obſ. med. Chirurg. 18. *fol.* 47. meminit viri cujuſdam ſeptuaginta jam annos nati, ex cujus cranio ipſe, poſt *cephalæam*, nec non plura accidentia gravia, magnam ſuſtulit oſſis partem, quod hîc illic comeſum, nec aliter corruptum erat, quam ſi per integrum decennium ſepulchro fuiſſet conditum. Ille tamen ſub eo oſſe

oſſe non reperit membranam cerebri, ſed carnis aliquid rubentis ac planæ.

G. Fallopius cap. 96. fol. mihi 745. quandoque ſe vidiſſe ait cranium totum quantum comeſum. Cujus rei non unum profert exemplum, e quorum numero illud eſt, quod *libro de ulceribus cap.* 47. adfert. Id ipſum autem in quovis morbo gallico inveterato contingere negat, at eo tantum fieri autumat, cui curando inunctiones mercurales adhibitæ ſunt.

Sæpius autem os palati dicto morbo conſumitur, atque excidit; quo defectu linguæ minuitur, ſoniqueclaritas: Vocis enim quidquid perit ſonantis, per naſum egreditur.

Fabritius tamen *Hildanus centur.* 2. *fol. mihi* 101. *obſ.* 12. docet, quo pacto apertus palati locus argenteâ laminâ, cui ſpongiæ fruſtum affixum ſit, claudi queat. Quâ de re vide etiam *A. Paræum libr.* 22. *cap.* 3. *Amat. Luſitanum centur.* 5. *curat.* 14. *p. mihi* 490. *Fallopium cap.* 97. *fol. mihi* 747. *Tulpium obſ. medicinal. lib.* 1. *cap.* 37. *fol.* 75.

Quanquam autem oſſium corruptio tam circa cranium, quam circa naſum, ac palatum morbo Gallico plerumque Originem debet, ſæpenumero tamen hæc putrefactio ex acri, ac maligno humore oſſa haud aliter, quam ſolet *Cancer*, atterente, & velut comedente oritur. Calvariæ oſſis cariem ſive marcorem experti meminit *Hippocrates* 2. *de morb. ſect.* v. *fol. mihi* 469. *Cum ca-*

ries, inquit, *facta fuerit in oſſe, dolor ex hoc corripit os ipſum, & progreſſu temporis attenuatur, atque inflatur, & fit in ipſo fractura, & ſi hanc reſecueris, comperies ipſum os elevatum & aſperum, ac fulvum, quibuſdam vero etiam ad cerebrum uſque corroſum. Cum ita habentem offenderis, ſiquidem ultra corroſum fuerit, ſinere optimum, & quam citiſſime ulcus curare.*

Ejuſmodi etiam caſus exemplum illuſtre poſuit *Amat. Luſitanus centur.* 1. *curat.* 76. *fol.* 106. Poſt ulcera fœda, & talpariam orti. Ut & *A. Paræus libr.* 9. *cap.* 20. Vidi olim infantem, inquit *H. Fabrit. ab Aquapendente operation. Chirurg. p.* 175. *cap. de Gummat*, è cujus partibus cranio ſubjectis, durâ ſcil. matre, acerrimus quidam, ac malignus humor proveniens per ipſum os penetrabat, illudque paſſim plurimis variæ magnitudinis perforabat foraminibus, inferiore nihilominus membranâ integrâ. Qui ſane humor oſſi capitis, nequaquam vero membranæ ſubjectæ erat adverſarius.

Zacutus Luſitanus prax. med. mirab. libr. 1. *obſ.* 83. *p.* 20. ſcribit detergentibus tantum remediis palatum amiſſum, cujus morbus Gallicus non fuerat cauſa, reſtitutum fuiſſe, quod ipſum non immeritô rariſſimum ducit.

Sic quoque *Jacob. Bontius p.* 37. *cap.* 10. *de Medicinâ Indorum*, ait eodem modo pene omnino ſublatum dictum os frontis fuiſſe ſanatum. Idem *obſ.* 6. *fol.* 36. earum quas *Bataviæ Batavo-*

rum in Indiâ Aſiaticâ urbis, obſervavit, ac collegit, narrat de nautâ quodam, cujus caput inter cymbam, atque aliam navim ita compreſſum fuerit, ut nemo dubitaret, quin totum quantum diffractum, & comminutum eſſet, cum & ipſe ſanguinis plurimum ore, naſo, atque auribus emitteret. Cranium ejus repertum in multa fruſta diviſum, quorum nonnulla tollebantur. Per ſex menſes continuos Chirurgi illi operam præſtitere; intra quod tempus, totum illud os, quod ſuturâ *Lambdoide* ambitur, fruſtatim eductum eſt, paulò ſupra id foramen cui inſeritur prima cervicis vertebra, dentiformis dicta. Convaluit tandem, cerebrumque ab externâ injuriâ ſemi-galeâ argenteâ defendit, ipſi ab *Indiæ*, quæ in *Batavorum* ditione eſt, Rectore, (*Generalem* vocant) dono datâ.

OBSERVATIO V.

Cranii dedolatio.

INter multifaria Capitis vulnera meritò numerandam exiſtimo ipſius cranii *dedolationem*, ſive *amputationem*, cujus rei exemplum ipſemet cum Fratre meo P. M. *Joh. Stalpartio vander Wiel* (qui tempore belli inter *Fœderati Belgii Proceres*, *Re-*

gemque Galliæ geſti, vulneratis militibus cum Chirurgo *Cornelio vander Hoog* medebatur) hîc Hagienſi *in Noſocomio* in milite vidi, cui ægro oſſis *parietalis* pars, nummi, quem *Imperialem* vocant, inſtar, cum utrâque tabulâ, inferiore tamen ſuperiori magnitudine cedente, prope verticem amputata erat, quam partem pellis aliquid, ac membrana carnoſa etiamnum affixam tenebat. Quamprimum autem dictum os detractum fuit, pelle ſuâ adhærente caput iterum contectum eſt, non exſpectatis pluribus vulnerati cranii extremitatum ſeparationibus: Atque ita dictum vulnus quam breviſſimo tempore omnino percuratum eſt.

IN OBSERVATIONEM V.

JObus Mekeranus cap. 1. *obſ. med. Chir. pag.* 4. meminit inciſuræ oſſis *parietalis* ſiniſtri ad *ſagittalis* ſuturæ latus acinace factæ, quâ a primâ ſeparatum fuerit tabulâ oſſis ſegmentum ejus figuræ, quam ille ibidem exhibet delineatam. *Scultetus in Armament. Chirurgico obſ.* 17. *fol. mihi* 214. primæ tabulæ *Dedolationem* narrat, ejus nummi, quem modo nominavi, magnitudinis, inque ipſum penetrantem *meditullium*.

Haud

Haud abſimile quid *P. Marchettis p. mihi* 10. memorat. Illius autem caſus quo utrâque cranii tabulâ uno, eodemque ictu ſublatâ, vulneratus vivus permanſit, unum ego vel alterum tantum proferre exemplum habeo. Refert *Philip. Jac. Sachs miſcell. med. phyſ. curioſ. Germ. decur.* 1. *an* 2. *obſ.* 119. *fol.* 195. de *Polono* quodam bene poto, qui dum digladiaretur, in ſiniſtro capitis ſummo latere per ſuturam *coronalem* uſque ad frontem, tale reportarit vulnus, ut non ſolum cutis cum carne duos tranſverſos digitos lata, unâ ulnæ quadrante longæ, ſed & magna cranii pars penitus diſſecaretur, quo facto læſus ſemianimis in terrâ aliquantiſper proſtratus jacuit, mox dein reſiliens, manu caput tangens, partem cranii fere abſciſſam, & parumper cute adhuc hærentem detrahere voluit, ſed in hoc furore fruſtum ſaltem cranii arripuit, & in terram projecit. Chirurgus poſtea accedens reliquam carnoſam portionem vulneri denuo adaptavit, & licet varia prava *ſymptomata* dein ſupervenerint, integræ ſanitati nihilominus reſtitutus fuit.

Legitur etiam apud *Cabrolium obſ.* 29, *&* 34. *pag.* 18, *&* 25 ſimile quid, quam Hiſtoriam ob mirum rei eventum ipſis adſcribam *Cabrolii* verbis: *Ut alii*, inquit, *exemplo meo ſapere diſcant, quod mihi olim Juveni contigit, dum Gaillac degerem, paucis enarrabo. Ad divitem quendam ruſticum curandum vocatus ſum, qui maximo gladii impetu ictus fuerat, ita ut magna*

pars bregmatis ablata eſſet, cumque eo portio quædam tam duræ, quam piæ matris, nec non ſubſtantiæ ipſius cerebri. Adſpectu primo obſtupui, deinde ita egi, ut ejus curatio alii committeretur: hic quoque vulnere inſpecto, nullo modo curari poſſe cogitans, patientem abſque auxilio deſeruit, donec ruricola quidam advenit qui ardenti veru laridum transfixit, quod in vas aquâ plenum deſtillabat, ex eoque ſæpius abluto, ita ut nivem candore ſuperaret, medicamentum confecit, quo linamenta omnia, turundas, & lanas carptas inſuccabat, cujus præſidio patiens integram valetudinem intra duos menſes adeptus eſt, poſteaque diutiſſime vixit; Hujus rei gnarus, miſeris ſemper ſuccurendum, nec unquam deſperandum eſſe didici.

Neſcius equidem non ſum *Jobum Mekeranum dicto cap.* 1. *ſuarum obſ. fol.* 7. & 8. referre Nobilis cujuſdam caput *Tartari* gladio ita fuiſſe vulneratum, ut fruſtum oſſis ab ejus cranio cum pelle, ac capillitio avulſum eſſet, ipſumque quam latiſſime hiaret cranium, nec non Chirurgus, ut factum foramen clauderet, haud diſſimilem oſſis partem e cæſi canis capite ſumptam hianti cranio ſuperimponeret. Quod os poſtquam cum aliis oſſibus conjunctum, & capitis cute contectum eſſet, dictum Nobilem priorem valetudinem recuperaſſe ait, hæc autem ipſe ſcriptor, quamvis ſibi a *Theologo* narrata, videtur ridere, nec immeritò, meo quidem judicio.

OB-

OBSERVATIO VI.

Depreſſio cranii.

CUm filiolus G.P. civisHagienſis quatuor natus annos hîc Hagæ in vicis luderet, caſu ſatis infelici vexillum quoddam, quod è ſublimi funeſtrâ ſpectandum propendebat, obverſo in illius latus ſiniſtrum oſſis frontis manubrii acumine incidit, unde non tantum vulnus, ſed & oſſis *depreſſio* facta eſt. Vulnus tamen hoc ſatis feliciter Chirurgus ſanavit, quanquam quondam vulnerato, nunc ſeneſcenti, etianum cavitas in illo oſſe ſuperſit tanta, ut adulti hominis pollicis extremam intromittat partem.

IN OBSERVATIONEM VI.

CRanii depreſſio haud aliter ſe habet, quam ſtannea, aut plumbea vaſa, quæ caſu, vel concuſſione intus cedunt, deprimunturque. Hîc autem animadvertendum eſt, licet oſſis calvariæ tabula hoc fracturæ genere non perſpicue a ſe invicem recedat, fieri tamen in ipſa diploe totius ſeparationem, quæ primæ tabulæ impreſſione con-

contunditur, friaturque. Dicitur autem hæc fracturæ ſpecies Græcis θλάσμα, ſive θλάσις, infantulis ſæpius, ac tenellis contingens, teſte *Galeno libr. 2. de morb. cauſis cap. ult. claſſe 3. p. mihi 9.* quoniam in his multo facilius fieri poteſt, ut pote quorum oſſa tenuia etiamnum, atque infirma ſunt valde. Neque enim fieri poteſt, quin id, quod contunditur, cedat retro, intuſque; quod vero ita cedit, tenue ſit, nec omnino durum, requiritur.

Tales cranii depreſſiones in pueris, facile abſque inſtrumentis Chirurgicis curantur.

De conſiderabili ac magnâ oſſis frontis infantis depreſſione ſupra os Temporis ex lapidis jactu ortâ, peſſimiſque ſymptomatibus ſubſequentibus, abſque ullis tamen mali reliquiis ope fomentorum ſanatâ, agit *Lyſerus pag. 279. Item P. Marchettis p. 18., Riverius obſ. p. 355. Sculteti armament. Chirurg. pag. 109. Roſſius p. 121 nec non Smetius pag. 563.*

Oſſa capitis depreſſa, inquit *Paræus lib. 9 cap. 5.* aliquando per ſe reſiliunt reſurguntque priſtinæ æqualitati reſtituta, quod aliquando puerorum, fæminarum molliorum, humidiorum, ac pituitoſarum oſſibus contingit, quod ſi ipſa per ſe non reſiliant, admovenda eſt cucurbitula cum magna flamma, & imperandum ægro, ut ore, naribuſque compreſſis, ſpiritum magnâ contentione ſurſum exprimat, &c.

In adultioribus hujuſmodi Depreſſiones (cu-

te præſertim integrâ) rariſſimè cernuntur. Quibus autem contingunt, iis, aliorum intuitu, tenue admodum eſt cranium, quod ſi tale non ſit, haud dubie, ſi in tabulâ ſuperiore non animadvertitur fiſſura, infima tabula magis erit diviſa, quam ſuprema, quoniam, docente *Hippocrate*, illa in medio ſui ſubſidere nequit. Id vero quibus contigit vitii, abſque cranii terebratione vix ſanantur niſi forte in exteriore oſſis frontis prominentiâ depreſſio foret, cujus exemplum Centur. noſtræ ſecundæ obſervatione quartâ daturi ſumus. De plurimis jam adultis, quibus nec cutis, nec exterior cranii tabula, ſed interior fracta fuerit, narrat *Tulpius fol. mihi* 4, *Sculteti Armament. fol.* 212, *Smetius pag.* 570. *Marcellus Donatus p.* 560.

De Cranii depreſſionibus in adultis abſque manifeſtâ fracturâ, cutiſve ſolutione, quæ fomentationibus, ac emplaſtris ſanatæ fuere, ſcribunt *Carpus de fractura Cranii*, *Marcellus Donatus p.* 531. *libr.* 5. *c.* 1, *Laz. Riverius obſerv. pag.* 327, *Scultetus Armament. Chirurg. fol.* 111. & 240. Quærere equidem hîc liceat, utrum cranium depreſſum loco ſuo reſtituatur neceſſe ſit?

G. Fabrit. Hildanus obſervat. centur. 2. *obſ.* 3, *& centur.* 3. *obſ.* 21. *ut & epiſt.* 90. *fol.* 1023, id ipſum aſſerit, adducens exemplum pueri honeſtæ familiæ decem jam annos nati, ſubtilioriſque ingenii, qui caput cadendo læſerat, unde cranii

de-

depreſſio prope futuram *Lamboiden* orta erat: Quod vero gravia non adeſſent accidentia, parvi fecere parentes hunc caſum, ita ut ille puer poſtea memoriæ dono non tantum privatus, ſed & pedetentim tantâ ingenii obrutus fuerit ſtupiditate, ut denique ineptus fuerit, qui quidquam addiſceret.

Verum *Wurtzius part. 2. cap. 6.* ait, non tanti faciendam Chirurgo cranii depreſſionem, præſtare judicans rem ipſam Naturæ perficiendam relinquere, parumque referre, utrum cranium nonnihil maneat depreſſum, nec ne, quoniam non ſemper, nec neceſſario inde impeditur cerebri motus lato ſatis ſpatio duram matrem inter, ac cranium ſuperſtite. Meo quidem judicio Chirurgi operâ ſuperſederi poteſt, ſi in infantibus colliſiones cranii reperiuntur, non multum intro cedentes, quas nec fiſſura, nec fractura, aliave comitantur accidentia graviora, ita tamen, ut, detonſis pilis, læſum locum fomentis adjuvemus, Modum invenient Chirurgiæ Tyrones apud *Julium Cæſarem Arantium* ad calcem *comment. in lib. Hippocr. de vulneribus capitis.*

Quando autem ſive in infantibus, ſive in adultis, depreſſio ſine exteriore fiſſurâ deprehenditur, ac gravia ſeſe manifeſtant accidentia, omnino perforationem requirerem. Quo pacto infantum depreſſionibus eundum ſit obviam, vide *Lyſerum pag:* 278, *Paræum*, *Fabrit. Hildanum centur. 2. obſ. 5. fol.* 83, *Sculteti Armament*

ment. fol. 110. Cranium in pueris ſub illæſis tegumentis, & citra diviſionem depreſſum, cucurbitâ communi in ſuum ſitum naturalem reducunt quidam.

Quomodo vero adultorum ſanandæ ſint depreſſiones, vide *Job. Mekeranum pag.* 18, *Sculteti Armament. Chirurg. fol.* 8. 112., *&c.* 193, 197, 200, 208, *Item Riverium p.* 326. 354. *nec non Fabrit. Hildanum centur.* 2. *obſ.* 3. *&* 4. *fol.* 78, *&c.*

Perficitur hæc cura utplurimum terebrâ quadam *Triploide* dictâ, quâ pars depreſſa elevatur, cavendo tamen ne hæc ambas cranii laminas perforet, & duram matrem pungat.

OBSERVATIO VII.

Gravis caſus capitis abſque trepano ſanatus.

UXor L. O. infortunio quodam in fulcrum incidit focarium, quod 25. libras pendebat, quo ita læſit caput, ut omnia deprehenderentur accidentia, in fracturis cranii obſervari ſolita: Quare judicarunt Medici, Chirurgique terebrandum eſſe cranium, licet vulnus tantum cum contuſione abſque fracturâ, fiſſurâ, aut depreſſione oſſis animadverterent, ideoque ſtatuerent re-

quiri

quiri loci perforationem. Eam autem ægra admittere neutiquam volebat. At, ecce! quarto decimo poſt læſionem die caput ejus, facieſque admodum tumere, plurimiſque hæc, ut & frons notari coepit hinc inde veſiculis. Atque ita dicta mulier abſque trepano, ſed non abſque axilio divino, modo certe inſolito, paulo poſt omnino fuit priſtinæ reſtituta valetudini.

IN OBSERVATIONEM VII.

VEro ſimile eſt dictam materiam infernè ſub cranio prodiiſſe. Quoniam enim nulla manifeſte deprehendebatur fractura, fiſſurave, neceſſe eſt, tenuis ille, & ſeroſus humor per ſuturas, aut tranſudationem, vel denique per occultam rimam extra cranium pervenerit,

Id ipſum autem per tranſudationem fieri poſſe multi teſtantur Scriptores: ut *Thom. Bartholinus obſ. centur.* 2. *hiſt.* 41. *pag.* 214. *Marcellus Donatus de med. hiſt. Mirab. lib.* 5. *cap.* 4. *pag.* 200, *Wepferus pag.* 398, *Tulpius obſ. lib.* 1: *cap.* 2. *p.* 4. qui etiam profert exemplum in quo innumeræ ſanguinis guttæ per calvariam (quæ tamen integra erat, quamvis aliquantum mutata colore, adeoque naturali ſoliditate parum debilitatâ) erumpebant, inſtar roris univerſam calvariam

variam cooperientes: Quibus ſpongiâ aliquoties deterſis, repullularunt continuò & aliæ: monſtraturæ velut nihil naturæ eſſe invium: ſed omnia pervia, neque oſſa ullibi tam ſolida, quin per ea libere permeet, cum ſanguis, tum pus. *Galenus in librum 7. Hipp. Aphor.* 54. hæc confirmat dicens arbitrari *Hippocratem, naturam ſemper, ſi robuſta ſit, materiæ viam moliri & invenire, etiamſi quam maxime craſſa ſit, & per exiles tranſitura meatus: quando per oſſa etiam abſceſſus fieri dicat.*

Sicut autem ab intra foras pus per calvariam, ita etiam contra facilius foris reſudat in interiora. Hac de re etiam videatur *Avicenna fen.* 14 *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 5. ac *Jacobus de Carpo de ſignis commoti cerebri*, è quo *Marcell. Donatus de med. hiſt. mirab. lib.* 5. *pag*, 200. teſtatur contingere aliquando in capitis vulneribus non dari liberum ſaniei tranſitum per ipſum vulnus, eamque eo caſu per poroſitates oſſis reſudare ad intra cranium, cujus rei teſtis eſt *Hippocrates lib. de vuln. cap.* dum ſcribit vulnera in poſteriore cranii parte reperta minus eſſe letalia, quoniam os propter craſſitiem diuturniori tempore pus contrahit & ad cerebrum inferius tranſſudat.

Petrus Marchettus celeberrimus Chirurgus, poſteaque Chirurgiæ Profeſſor *Paduæ obſ.* 12. *pag.* 24. ait duo vidiſſe ſe exempla vulnerum capitis, ac contuſionum abſque fiſſurâ, in quibus ſine terebratione emittebatur pus, quoniam id

per cranii poros, haud aliter, quam per cutem ſudor, exibat; quamvis uterque hic æger, diutius dilatâ perforatione, poſtea deceſſerit.

Quare ille artem profitentes monet, ſi vulneratis medeantur, quorum ſymptomata arguunt internas partes etiam læſas, ut in tempore trepano utantur, dictante etiam *Hippocrate ſi quid movendum videtur, principio move.* Unde ſequitur, ſi terebrandum, initio terebra. *Joh. Baptiſta de Lamzweerde Append. obſervat. pag. mihi* 238. *obſ.* 11. duo ſimilia vidit exempla, in quibus ſaniei pars quædam per cranii poros tranſudare conſpiciebatur; huic autem evacuationi dum quidam nimium fiderent, ſerò trepani opera acceſſit: ſubjecta enim ſanies aliquando nimis copioſa, tardiorque ejus eſt exoneratio, unde tandem internæ corrumpuntur partes. Et licet frequenter trepanum fracto fiſſove cranio utile ſit, idem tamen quandoque, ſalvo etiam, atque integro cranio, adhibetur, præſertim cum timor eſt, ne intus vaſa quædam rupta ſint. Trepani enim ope non tantum ſanguini effuſo datur exitus, verum ita etiam inflammationi, putrefactioni, delirio, febribus, aliiſque letiferis accidentibus itur obviam, quamquam hoc agendi modo artis magiſtri ſperata non ſemper aſſequantur, optime id ipſum oſtendente *Tulpio obſ. lib.* 1. *cap.* 1. *pag. mihi* 3. *&c.* fieri enim poteſt, ut materia, quæ extra vaſa ſua fluxit, alio, quam quem ictus, caſuſve læſit, contineatur

lo-

loco. Ex gr: ſi ſiniſtrum alicujus *os parietale* lædatur, ſanguis in adverſam partem repulſu quodam poteſt effundi, licet falce à ſe invicem ſeparentur bina hæc oſſa. Item: Si ictus, lapſuſve frontem tangat, poſteriore capitis parte poteſt manifeſtari ſanguis, quod ſequenti probatum imus obſervatione.

Continetur etiam quandoque humor qui effluxit, inter binas membranas, vel etiam ſub piâ matre: uti is ipſe inter cerebri fiſſuram ſupra *corpus calloſum* in ventriculis aliquoties apparuit locatus, cujus poſterioris ego poſtea narrationem inſtituam.

Aliquando etiam incerta ſunt ſigna, quibus dignoſcatur, ubi lateat, quæ efluxit, nec loco ſuo contenta materia, quamvis ea plerumque, ſi fractura, fiſſurave adſit ſub eadem reperiatur, & nonnunquam alibi ſimul, notante *Tulpio obſ. lib.* 1. *cap.* 2. *pag. mihi* 4. Contingit enim ſæpius, (at non ſemper) ut vi illâ, quæ fit loco plagæ, vel ictus (quamvis nulla fiſſura, fracturave adſit) ſanguis extravaſatus ibidem reperiatur, qui exitum non inveniens, ac proinde ibidem tractu temporis putreſcens, pravorum ſæpe ſymptomatum, nec non mortis interdum cauſa eſt.

Verum quidem eſt, fieri aliquando, cum nec manifeſta apertura cranii reperitur, virium robore ſubjectam exonerari materiam, ſive id eo fiat modo, de quo ſuperiori obſervatione dictum, ſive per nares, aureſque, uti *Wepferus pag. mi-*

hi 223. *ac Bartholinus centur.* 2. *hiſt.* 4. *pag. mihi* 215. pluresque teſtantut, vel, quia aliquando per collum ad pectus, ventremve defertur, atque illic abſceſſus cauſa eſt, quod *P. Marchettus obſ. Med. Chirurg.* 15. *fol. mihi* 35. ſæpius ſe expertum ait, ac *Jobus Mekeranus obſ. cap.* 2. *pag. mihi* 28. *Paræus lib.* 10. *cap.* 8. *Marcellus Donatus lib.* 5. *cap.* 4. *pag. mihi* 201.. nec non *Roonhuſius part.* 2. *lib.* 1. *obſ.* 3. *pag.* 190. indicant,

Qui vero viribus ægri, cum internæ læſionis deprehenduntur ſigna, ſolummodo fidere ſtatuit, deceptum ſe ſæpius, ſed ſero, dolebit.

OBSERVATIO VIII.

Unius, ejuſdemque caput vigeſies ſepties trepano terebratum.

PAulus Godefridus *fæderati Belgii Procerum, dum viveret, Chirurgus ſupremus*, mihi retulit. *Illuſtriſſ. D. Philippi Naſſavii caput ab Henrico Chadborn Chirurgo Neomagenſi* vigeſies ſepties perforatum eſſe. In cujus rei fidem dictus *Godefridus* mihi veritatis teſtimonium ipſius *Ph. Naſſavii* Chirographo munitum donavit, quod etiamnum domi meæ ſervatur, atque hujus eſt Argumenti.

Ego

Ego infraſcriptus atteſtor me ab Henrico Chadborn *Chirurgo* Neomagenſi, *poſtquam vigeſies ſepties mihi caput perforaſſet, recte fuiſſe ſanatum. Datum Weichemi* 12. *Auguſti Anni* 1664.

IN OBSERVATIONEM VIII.

P*Hilippus* Hic *Naſſavius Weichemi* Dominus, pagi duabus horis *Neomago* diſtantis quondam inter Equites Præfecti munere fungens militaverat, eratque filius *Iuſtini Naſſavii Gubernatoris olim Bredæ*, quem *Guilelmus Primus Arauſionum Princeps* extra matrimonium genuerat. Ille equo exciderat obverſo in palum capite monſtrabantque ſymptomata haud dubie alicubi ſanguinem vaſis ſuis emiſſum eſſe, quare terebratio cranii certa fuit, quâ aliquoties fruſtra in oſſe frontis, atque alibi factâ, viſum fuit Trepanum etiam poſteriori capitis oſſi admovere, ſi forte repulſu vas quoddam ſanguiferum ibidem ruptum fuiſſet. Quod ita ſe habere compertum: ac poſt vigeſimam ſeptimam demum perforationem manifeſtavit ſe in Occipite ſanguis coagulatus. Dictus Dominus aliquando acum comatoriam argenteam per utramque perforati cranii partem tranſmittebat, videntibus id ipſum amicis, qui vulneris obligationi intererant. Ipſe tamen ſatis feliciter fuit ſanatus, valetudinemque, ac

ingenium conſervavit integrum, vixitque multos annos poſtea, ita etiam, ut vini hauſtum majorem, ſalvo mentis ſanæ uſu, ferre poſſet.

Glandorpius ſpeculi Chirurgici obſ. 3. fol. 46. Narrat *Adrianum Spigelium Profeſſorem Chirurgiæ Paduæ* aurigæ cuidam medicinam feciſſe, cujus dextra capitis pars vulnerata, contuſumque, ac fiſſum fuiſſet cranium, cujuſque *os parietale* ipſe ſepties perforaverit, ita ut magna cranii pars auferretur. Sæpe etiam, ubi magna depreſſio fragmenti cujuſdam oſſis capitis adeſt, variæ requiruntur perforationes ad dicti oſſis extractionem, quale exemplum *Scultetus Armament. Chirurg. obſ. 7 fol.* 198. deſcribit, in quo circum depreſſum os ſeptem factæ fuere terebrationes.

Sæpe etiam illud ipſum neceſſarium eſt valde cum nempe ſuperioris tabulæ parva, inferioris autem magna eſt fractura.

OBSERVATIO IX.

Gravis lapſus capitis non ſine ipſius cerebri Læſione.

MEnſe *Auguſto* an. 1671. ego cum hujus urbis Medico *Arnoldo Boſchio*, nec non Chirurgis *Petro le Francois*, *Paulo Terbario*, ac *Nicolao Winter-kamp* arceſſi-

ſitus fui à *Joh. la Court* 17. annorum juvene, cujus Pater *Belgii Procerum* miniſter erat, qui Juvenis é tecto D. *Sixti* Curiæ *Hollandiæ* Senatorum à ſecretis ceciderat, dum erigendo camino cum aliis operabatur, pluſquam octoginta pedum altitudine ſupra terram educto. Cadentis bracca alicubi affixa hæſit, ruiturumque velut mitius labi voluit, quamquam paulo poſt verſo in terram capite præceps miſerrime decideret. Ipſe aliquamdiu animi deliquium paſſus domum delatus eſt: ac continuo ipſi vena ſecta fuit, unde parum ad ſe rediit. Capite à Chirurgis ubique tentato magna ſeſe in ſiniſtro *oſſe parietali* manifeſtavit fiſſura à ſuturâ *Coronali* ad os frontis procurrens, ſeque ad illius oſſis prominentiam uſque extendens ſupra oculum ſiniſtrum, ubi fractura ſatis magna reperta fuit, per quam cerebri ſubſtantiæ pars effluebat; atque læva pars cranii totaquanta cute, nec non pericranio deſtituta erat eo ſpatio, quod adulti hominis vix tegeret palma. Omiſſa hic fuit terebratio, utpote vix neceſſaria,

ſat latè hiantibus ad effuſi ſanguinis evacuationem cranii rupturis.

Quod vero in hoc patiente mirandum duco, dicam: vulnere nempe quotidie inſpecto, obligatoque, cum continuâ puris bene cocti ejectione, atque etiam partis cerebri amiſſione, ipſe ad ſeptimum decimum uſque diem nullâ laboravit febri, quo etiam tempore dentes paſſim ſine dolore ſatis arcte comprimemere potuit; poſt illud autem linguâ ſubito obmuteſcente, vita intra biduum miſero é corpore receſſit.

IN OBSERVATIONEM IX.

PRæclarè *Hippocrates Aphoriſmo primo vitam brevem, artem longam, occaſionem præcipitem, experimentum periculoſum, judicium* autem eſſe *difficile* dixit. Quæ poſteriora verba in vulneribus capitis præcipue conſideranda exiſtimo. Nullibi enim magis Medici, Chirurgique falluntur errantque. Ipſe ne nos uſus docet plurima capitis vulnera primo intuitu minime viſa gravia poſtea deflendas malorum extitiſſe cauſas? Anne etiam letalia viſa fuere, quæ nullius prope momenti eſſe tempus oſtendit? Idem *lib. 7. aphor.* 58. *quibus*, inquit, *occaſione*

ne aliquâ cerebrum fuerit vehementer concuſſum mutos protinus fieri eſt neceſſe. Eadem prope alibi in ejus ſcriptis reperiuntur, ut *lib. De morbis, Cui,* inquit, *Cerebrum concutitur, doletve, is ſtatim obmuteſcat, nec videat, audiatve, neceſſe eſt.* Et in *Coacis* §. 499. addit: *Cerebri concuſſionem lapſu poſſe fieri, eos autem, quibus ejuſmodi concuſſio accidit, utplurimum mori.* Verum enim vero *Hippocratem* prædictis locis non de quauis cerebri concuſſione ita ſtatuere, ſed de inſolito tantum, vehementique putandum eſt, atque eâ, cui gravior quidam caſus, ictuſve dedit cauſam, quâque patientes veluti *Apoplectici* abſque ſenſu, motuque ferme conconſpiciuntur. Quando enim tam gravis non eſt cerebri concuſſio, nec mutos, nec *paralyticos* illico efficit, ſed lente, ac poſt aliquot plerumque dies, uti ei contigit, de quo *R. Dodonæus cap.* 1. *obſ. med.* 1. *fol.* 1. narrat, nec non illi, de quo modo citatus *Hippocrates* memorat, quique à *Macedone* quodam ictu lapidis in caput iniecti vulneratus humi procubuit, ac tertio demum die obmutuit, quique non ſine multo angore, febriculâque, nec non ſurditate & delirio tandem deceſſit.

Hujus ratio hæc dari poteſt, quod ſanguis initio extra vaſa effundi incipiens non ſtatim ad eam quantitatem effluxerit, quæ tot ſymptomata producere poſſit. *Valleriola obſ. Med. lib.* 5. *obſ.* 9. *fol. mihi* 348. memorat de ſutore *Ave-*

nione agente in capite gravi vulnere percuſſo cum cranii fracturâ ad duram uſque meningem pertingente reſolutione ſimul, & convulſione poſt ſeptimum diem correpto, quem linguæ uſus deſtituerit quique eodem in ſtatu totos ſeptem dies permanſerit. Curatum autem poſtea hunc fuiſſe magno labore, & nullâ relictâ labe integræ tandem reſtitutum valetudini narrat. Obſervandum autem exiſtimo huic homini (licet ualde vulneratum eſſet ejus caput, cerebrumque vulneris inflictione haud dubie concuſſum) initio cerebrum non ita fuiſſe læſum, ut vocis defectui cauſam daret, quamprimum vero ad ipſum cerebrum malum perveniſſet, tum demum vulneratum obmutuiſſe, nempe poſt ſeptimum diem, cum ipſe pariter delirare, *paralyſique*, quam & *ſpaſmus* comitabatur, invadi inciperet, propter tenſionem proculdubio, inflammationemque duræ matris cerebrum obtegentis, quæ prædicta peperit *ſymptomata* cerebri læſionem per conſenſum indicantia. Quale exemplum *Marcellus donatus adducit lib. 5. de hiſt. mirab. pag. mihi 557. excerptum ex Appendice prædicti Valleriolæ ad loca communia.*

Hunc autem patientem, de quo modo narravimus, non voce tantum, ſed & viſu, audituque privatum, ac veluti *Apoplecticum* aliquandiu fuiſſe ſupra ex obſervatione liquet. Quoniam vero illi, quamprimum fieri potuit, vena ſcindebatur, ut affluxus ſanguinis ad læſam par-

partem ſiſteretur, & quia præterea, quæ extra vaſa ſua effluxerat, materia per fracturam aliquo modo exonerabatur, non uſque mirum cuiquam ſit, ſi paululum ad ſe redierit, licet propter vulneris magnitudinem gravitatemque mortem non effugerit.

Nec ſane quiſquam miretur ipſum poſt dictum caſum ſemper dentes potuiſſe comprimere. Ad notitiam enim fracturæ cranii, non ſemper inquirendum num patiens dentes arcte conjungere, vel ſine aliquo malo ferrum mordere, vel etiam lapillos morſu frangere queat, quoniam ejuſmodi experimentum non uſque adeo certum eſt, ut & ſentit *Paræus lib.* 9. *cap.* 2. *pag. mihi* 199. *aph.* 6. quamquam *Hippocrates Coacis lib.* 3. *tract.* 2. Hunc inquirendi modum admittat. Hic enim modus tum maxime uſu venit, cum oſſis cujuſdam depreſſio facta eſt, quod cerebri membranas ſtimulare, ideoque gravem dolorem ciere valet.

Ad eorum quæ modo dixi, fidem facit exemplum ſequens, quod *Scultetus Armament. Chirurg. obſ.* 19. *pag.* 217. de imperatorii exercitus milite quodam narrat 27. annos nato, cujus occipite gladio læſo, non tantum cranium, ſed & membranæ, ipſumque cerebrum vulneratum erat nono *Auguſti* die an. 1638. quamvis hoc vulnus artis quidam ignarus tanquam levius ſanare geſtiebat uſque ad ultimum *Januarii* an. 1639. quo in *Noſocomium* delatus eſt vulneratus: ad quem

quem dictus *Scultetus* cum aliis arceſſitus, poſt debitam inquiſitionem ſpecillo factam, ita læſum reperit cerebrum, ut magna inde ſaniei copia proflueret. Die 17. *Februarii* in dextro latere ſtuporem ſenſit, ac vegeſimo idem repertum eſt *paralyticum.* Die 22 ejuſdem menſis vocis demum uſu privabatur patiens, dein lethargo corripiebatur, dextrumque brachium epilepticis convulſionibus huc illuc commovebatur, ita ut 23 *Februarii* (poſtquam jam ſex amplius menſes poſt inflictum vulnus vixiſſet) decederet; illud autem hic animadvertendum eſt, quod is, non obſtante tam gravi capitis vulnere, non avellanas tantum nuces, ſed & juglandes imo etiam ceraſorum pomorumque *Perſicorum* lapillos dentium morſu fregerit, quin & munere ſuo militari functus, nec unquam de cephalalgiâ fuerit conqueſtus. Magis autem certe mirandum eſt, ipſum tam graviter læſum nullâ laboraſſe febri, ipſo etiam *Hippocrate* dictante *lib.* 6. *aph.* 50. *Quibus diviſum eſt cerebrum, his febrem ſupervenire neceſſe eſſe.* Quæ verba idem repetit *lib.* 1 *de morbis. Coac.* autem *lib.* 3. *tract.* 2. *aphor.* 3. *plerumque febrem eos invadere* tradit. Defectus febris forſitan cauſa fuit exoneratio effluentis puris (quæ febris plerumque alias eſt cauſa) per dictam fracturam, hiatumque ab initio uſque facta: fuitque hic patiens nimiâ forte hujus humoris copiâ ortâ ab aliquo errore, neglectuve, vel etiam externâ aliâ cauſâ ſubito oppreſſus:

Qua-

Qualem errorem dictus *Scultetus* eum edendo ſæpius commiſiſſe memorat. Quin & naturale ejus robur fortaſſis, bonumque tem peramentum, validum, minimeque antea morboſum corpus, aliæque circumſtantiæ à febre, aliiſque ſymptomatibus tam diu defendêre.

Sic quoque *Berengarius de fractura Cranii cap. 4. fol. 3. & cap. 13. fol. 84., &c.* ſe vidiſſe ait vulnera non membranarum tantum, ſed & ipſius cerebri, quibus nec febris, nec aliud quoddam ſymptoma ſeſe junxerit.

Prædictus etiam *Valleriola obſ. Med. lib. 4. pag. mihi* 300. teſtatur *Claudii Allobrogis* caput gladio ita fuiſſe percuſſum, ut illud totum quantum ab unâ ad aliam partem ad ſuturam *Lambdoiden* uſque diſſecaretur; nec hic unquam, ut ſcribit, febri laboravit, ullumve eorum pertulit ſymptomatum, quæ ita vulneratis plerumque ſupervenire ſolent.

Nicol. fontanus Reſponſ. & Curat. Medicin. lib. 1: pag. mihi 13. Militis cujuſdam mentionem facit, cujus ipſa cerebri ſubſtantia haſta cæſa fuerit, quique poſtquam cicatrice vulnus obductum, multaque oſſis fragmenta ex eo ſublata eſſent, ſex amplius hebdomadas continuas ſano ſatis corpore aliis ægris miniſtraverit. Is cum poſt membrorum contractionem octavâ moreretur hebdomade, dictus ſcriptor in cauſam tam inopinæ mortis inquirendi avidus fuit, reperitque partem cerebri jam putrefactam, corrup-

ruptamque, ac viſu mirabilem, imo penitus conſumptam, atque in putrilaginem mutatam. Hunc tamen idem *Fontanus* nunquam febri laboraſſe, mutumve fuiſſe memorat.

OBSERVATIO X.

Abſceſſus intus in ipſo capite.

I. V: B: ultra 60 annos natus, corpulentuſque jam aliquamdiu pulvere ſternutatorio uſus fuerat, unde paulatim veluti quoddam pondus in anteriori capitis parte animadverterat, quod tandem abſceſſus in cerebro ſequebatur; quandoquidem ille quodam tempore copiam bene magnam tam viridis, quam flavæ, ſed putentis puris dextrâ exonerabat aure: quod ipſum illi initio quoddam levamen afferre viſum; ita ut liberatum ſeſe à diuturnâ illâ cerebri obſtructione (ita enim vocitabat) jam ſibi firmiter perſuaderet. Verum paulo poſt mentis uſus deficere, nervique contrahi coepere, ita ut ipſe intra biduum fere poſt ruptum abſceſſum moreretur.

IN

IN OBSERVATIONEM X.

ABuſus pulveris ſternutatorii nunc temporis maximus eſt, eoque multi in tam perverſam trahuntur conſuetudinem, ut ne minimo quidem temporis intervallo eo uti deſinant: quamquam fatendum ſit alioquin hunc pulverem debito modo, ac tempore ſumptum, cum nimio ſcilicet humore gravatur cerebrum, non inutilem eſſe, verum tum eorum corpora antea bonis remediis præparata ſint, oportet, aliter continue corporis humores ſuperflui exonerantur per caput, iidemque è toto corpore ad optimam, nobiliſſimamque ejus partem vergunt, quibus emittendis non ſolum longe vilior, ſed & multo aptior nobis via conceſſa eſt. Præcipue autem nocet ille pulvis ſternutatorius, cum *Helleborus Albus* ei miſcetur, cujus rei *Theod. Kerkringius obſ. Anat. cap. 2. pag. mihi* 3. flebile memorat exemplum cujuſdam ruſtici, quem inter vectores navis Harlèmo Amſtelodamum vehebat, quique circumforanei cujuſdam perſuaſu ejuſmodi pulveris periculum faciebat, quo tam vehementer ſternutare primum, deinde & tantum emittere ſanguinis per naſum cœpit, ut tanquam mortuus humi procumberet, ac portatus *Amſtelodamum* aliquamdiu ibi remanere neceſſe habuerit.

Thiermairius lib. 2. cap. 9. fol. 133. ſe expertum

tum ait quendam potui valde deditum, crebris ſternutationibus valde commotis capitis humoribus, atque ipſo vehementer concuſſo cerebro, depreſſoque, in *Apoplexiam* incidiſſe.

Simon Pauli Tract. de abuſu herbarum Tabaci, ac Thè periculoſum eſſe ſcribit aſſueſcere minutatim contriti tabaci uſui, quoniam ſæpe patuit eos qui eodem abundanter uſi ſunt, odoris privatos fuiſſe dono, ſive dictæ herbæ pulvis, odoratus inſtrumento diſtinguendi ademerit vim, ſive oſſis *cribroſi* foraminulis paulatim occluſis, variis odorum generibus ad cerebrum penetraturis viam obſtruxerit.

Plurimos idem fuiſſe tradit, qui nimio ejuſdem pulveris uſu cæci evaſerint, quia viſcoſus humor in viſum incidens, nervorum opticorum obſtructionem effecerat. De aliis itidem narrat, quibus vehementioribus ſternutationibus venæ in capite apertæ, & diſruptæ fuerint.

Th. Bartholinus Actorum tom. 2. *pag. mihi* 166. De puellâ quadam narrat, cui poſtquam ſuccum rad. *Betæ* naribus attraxiſſet, illico non ſine maximo, ac intolerabili fere dolore, caput ita tumuit, ut altero tanto majus videretur, quam quidem naturaliter eſſet. *G. Fabrit. Hild. centur.* 1. *obſ.* 24. *pag. mihi* 26. de puero quatuordecim annos nato memorat, qui, plegmatici habitus cum eſſet, ſponſione cum ſocio factâ, centies ſe exiguo temporis intervallo ſternutaturum promiſerat, quod cum crebris na-

rium titillationibus, ſtimulationibuſque jam pene perfeciſſet, magna mox illi *cephalalgia*, viſuſque imbecillitas ſupervenit, quem poſtridie totum abſque oculorum inflammatione, febrive (erant enim *Optici Nervi* obſtructi) amiſit. Poſtquam autem illi corpus idoneis remediis purgatum, ſetaceumque ejus cervici, nec non cucurbitulæ humeris admotæ fuiſſent, intra paucos dies viſum recuperavit.

Zodiaci Medici Gallici, *anni* 1. *obſ*. 2. *fol*. 44. legimus quandam *Matronam*, quam jam per annos octo *Cephalæa* infeſtaverat, levaminis ergo ſternutatorio uſam fuiſſe, quod multis ſternutationibus effecerit, ut *diaphragma* ita ventriculum premeret, ut ipſe depreſſus ita pendere pergeret.

OBSERVATIO XI.

Abſceſſus in cerebri Ventriculis.

CUm fabri cujuſdam ferrarii famulus, cui nomen *Martino*, equo caudam amputaſſet, jamque, ut reliquam partem ignito ferro ureret, intentus eſſet, equus ſepto clauſus calce ſupra trabem, quam tranſverſam vocant, elevatâ frontem paulo ſupra ſupercilium percuſſit ita, ut ibidem cranii fractura reperiretur,

ſalvâ tamen ſecundâ tabulâ, quoniam cranium eo loco inſigni concavitate præditum eſt. Continuo illi ſyncope ſupervenit, multumque ſanguinis naribus emiſit, & quoniam abundabat, hujus illi non parum adimi juſſi, poſtea valde ſomniculoſus, parumque mentis compos evaſit, quandoque etiam ligamina, & faſcias diſſolvebat, ac ſurgebat è lecto, ſeque veſtiebat. Quarto tandem die febri ſupcrveniente, ipſe quinto obiit. Aperto capite, repertus in cerebri ventriculis Abceſſus.

IN OBSERVATIONEM XI.

EX proximis duabus obſervationibus patet Abſceſſus in capite tam internis, quam externis cauſis naſci; cujus rei Chirurgiæ Scriptores minimam paſſim, & non niſi pro parte, mentionem fecere: quamquam ego hac de re nullibi reperiam plura, quam apud *Botium de affectibus omiſſis cap.* 1. 2. & 3. Hi abſceſſus ſeſe manifeſtant vel ſupra cerebri membranas, uti *Laz. Riverius obſ. a P. Pachequo communicatis obſ.* 38. *pag. mihi* 30. teſtatur, de tribus abſceſſibus in diverſis ſubjectis ſeſe manifeſtantibus omnibus tamen (ſi ſatis recte animadver-

vertantur circumſtantiæ) inter cranium, duramque matrem ortis; Vel iidem etiam inter utramque cerebri membranam proveniunt, uti ipſe ante ſex annos ſatis aperte ſum expertus in *Theodoro Drebus caupone*, *cujus* ædibus *Lieſveldicæ impreſſionis Bibliorum ſignum affixum erat*, hic Hagæ commorante, ut & paulo ante in cujuſdam famulo, utroque vulneribus, altero quinto, altero undecimo die extincto.

Iidem etiam reperiuntur in ſinubus duræ matris tam in anteriori, ſuperiorive, qui totum cerebri corpus ſub ſagittali ſuturâ magnâ, latâque aperturâ uſque ad corpus calloſum in duas partes diſtinguit, quam in poſteriori, quo in occipite cerebrum a cerebello ſeparatur, de quibus dictus *Botius de aff. omiſſis cap.* 1. *pag* 1. latius. Aliquando iidem abſceſſus in cerebri ventriculis reperiuntur, ut proximâ obſervatione monſtratum. Denique & in ipſâ cerebri ſubſtantia, cujus rei idem *Botius cap.* 3. *pag.* 13. adfert exemplum, nec non *Bartholinus centur.* 2. *hiſt.* 34. *pag. mihi* 205. *Dodonæus obſ. cap.* 7. *pag. mihi* 18. *& cap.* 2. *fol. mihi* 5. *Tulpius obſ. lib.* 4. *cap.* 1. *pag. mihi* 292. *Blaſius obſ.* 17. *part.* 1. *pag. mihi* 29.

Id ipſum etiam confirmat *Hippocrates aph.* 50 *lib.* 7. *& Coacis prænot. ſect.* 2. *pag. mihi* 48. ubi ita ſcribit: *quibus cerebrum ſideratum eſt, intra tres dies intereunt: ſi vero hos ſuperaverint, ſani fiunt.*

 Non-

MEDICAL SOCIETY ESTABLISHED 1773

Nonnulli dictorum Abſceſſuum, tradente *Botio*, membranâ circumvolvuntur, alii haud item; membranâ autem involutum, *Vomicam* appellat *cap.* 2 *&* 3. qualis vomicæ ille ibidem duo profert exempla: priorem abſceſſum, qui inter cranium, ac duram matrem erat, *Vomicam Hypocrániam* dicit. Alterum, quoniam in cerebri ſubſtantia latebat, *Vomicam Cerebri* appellat. *Wepferus obſ. Anatom. pag. mihi* 398. narrat de quadam, quæ ovum gallinaceum magnitudine referebat, ac veluti tunicâ pennæ columbinæ craſſitie pari induebatur, dextroque in cerebri ventriculo latebat.

Borellus Hiſt., & obſerv. Rarior. med. phyſ. cent. 1. *obſ.* 73. *pag. mihi* 72. teſtatur alicui ſe medicinam feciſſe, qui poſt gravem *Cephalalgiam*, cui pellendæ omnia nequicquam adhibita erant, ſubito fuerit ſanatus poſt ruptum *apoſtema* cerebri, puriſque per os, nares, aures, oculoſque emiſſionem.

Hunc liberationis modum confirmat *Hippocratis Aphoriſmus* 10 *ſect.* 6. *cap. dolenti, & vehementer laboranti pus, vel aqua, vel ſanguis per nares, aut os, aut aures effluens morbum ſolvit.*

OBSER-

OBSERVATIO XII.

Lapillus in Glandulâ pineali, ac vaſis ſpermaticis repertus.

CUm cadaver cujuſdam mulieris ante annos aliquot hic Hagæ in *Theatro Anatomico* à Fratre meo *Joh. Stalpartio vander Wiel* Medico aperiretur, vidi in *Glandulâ pineali* lapillum magnitudine grani Cannabini. Alii etiam in vaſis ſpermaticis viſebantur. Unde merito quis concluſerit dictam Glandulam non eſſe Animæ ſedem, nec præcipuas ejus operationes (quod multi ſtatuere) ab eâdem provenire. Quoniam etiam eadem hæc glans in multis animalibus, quibus nec imaginatio, nec memoria, nec excellentes Animæ operationes eſſe videntur, ſatis magna reperitur.

IN OBSERVATIONEM XII.

R*Egnerus de Graef* *epiſtolâ ad G. Joachim: Elſnerum* (quæ extat *Miſcell. curioſ. Med. Phyſ. anni* 1. *obſ.* 127. *pag. mihi* 285) reperiſſe ſe ait in Glandulâ Pineali plurimas arenulas

 aſperas

aſperas, quarum nonnullæ ob magnitudinem calculi nomen merebantur. Quod & *Bartholino Act. tom. 2. pag.* 34. accidit.

Jobus Mekeranus cap. 55. *pag.* 336. duos fere rotundos lapillos in dictâ Glandulâ ſe reperiſſe narrat.

Juſtus Schraderus obſ. Anat. Med. Dec. 1. *obſ.* 3. *pag.* 186. expertum ſe refert dictam glandem quandoque fuiſſe ejuſmodi rudiori materià plenam. Ipſemet vidi nuper inter rariora Clariſſ. Viri *D. Anth. Nuck*, Anatomiam hic Hagæ, cum laude publicè profitentis 14. inæquales lapillos, quos ſe Lugduni Batav. è Glandulâ pineali cujuſdam cadaveris extraxiſſe, ac omnibus oſtendiſſe aiebat.

In plurimis humani corporis partibus lapillos produci poſſe quotidianus uſus docet, multorumque teſtantur ſcriptorum id ipſum expertorum monumenta.

A multis eorum iidem in capite reperti memorantur. Ita *Schenkius in Lithogeneſia cap.* 1. *fol.* 1. *&c. Dominic. Panarolus pentec.* 5. *obſ.* 14. *p.* 150, *Iſaacuſque Cattierius obſ.* 15. *p.* 45. id ipſum de lapillo ſub dura matre nato, eique adhærente, oſtendunt.

Kentmannus de Lapid. in corpore inventis, refert de lapide in cerebro reperto, mori figuram, magnitudinemque habente.

Cornel. Gemma lib. 2. *Coſm. cap.* 6. de paulo minore narrat. Ejuſmodi lapillorum exempla

re

reperies plura apud *Braſſavolum comm. ad Aph. 26. lib. 3. Hippocratis. Thom. à Veiga, Holler. ſchol. cap. 48. pag. 508.*

Kerkringius obſ. 35. pag. 77. Lapillum avellanæ nuci magnitudine parem in dextro invenit cerebri ventriculo.

De calculo in cerebro ad falcis dextram partem invento, monent *miſcell. med. phyſ. curioſ. German. decur. 2. an. 1. obſ. 131. fol. 332. Guilh. Fabrit. Hildanus centur. 1. obſ. 11.* in aperto capite filii *D. Bernhardi ab Hazveld* Lapidem è gypſeâ materiâ concretum, & membranâ inclusum in poſteriore capitis parte, inter duram, & piam matrem, invenit fortiter adhærentem.

Th. Bartholinus hiſt. Anatom. 33. centur. 1. p. mihi 48. Nobilem quandam virginem per naſum varios calculos emiſiſſe memorat.

Georg. Horſtius lib. 4. obſ. 47. mentionem facit lapidis parvæ caſtaneæ magnitudine paris, qui poſt *cephalæam* pone naſum per palatum ejiciebatur.

Nonnulli; quandoque calculi in ciliis inventi fuere, ut *Ætius*, *Juliuſque* Scaliger *de ſubtilitate exercit:* 108. *ſect.* 34. *teſtantur. Zod. Med. Gall. an. 1. fol.* 81 fit mentio calculi, phaſeoli magnitudine in origine, atque in ipſâ nervorum opticorum ſubſtantiâ reperti, qui cephalalgiæ, nec non cæcitatis cauſa fuerat.

De calculis è cantho majori oculi virginis cujuſdam poſt diutinos dolores digito expreſſis le-

gantur. *Ephemerid. Gallic. an.* 1679 *menſ. Mai fol.* 138.

Sæpius etiam ſub linguâ reperiuntur teſtantibus *Gentili*, *Abenzoare*, *Th: a Veiga*, *Alex. Benedicto*, *H. Montuo*, *Cardano*, *Jouberto*, *Kentmanno*, *nec non Borello*, *&c.* De calculo ſub linguâ feliciter exciſo magnitudine nucis avellanæ referunt *Ephemerides Germ. Decur.* 1. *an.* 3. *obſ.* 1. *fol.* 1., *&c.*

N. Tulpius obſ. lib. 2. *cap.* 25. *pag.* 141. provenire eos vidit ex ipſâ linguâ, ut & è colli glandulis.

At *Joh. Langius lib.* 2. *Epiſtol. Medicin.*, *Kentmannuſque*, & *Avicenna* intus è colli tonſillis eos procedere viderunt. *Borellus obſ.* 87. *centur.* 2. ex apoſtemate humeri.

Kerckringius obſ. 27. *pag.* 65. eoſdem invenit ſupra arteriam Tracheam pendulos. *Schraderus* autem *obſ.* 3. *Dec.* 1. *fol.* 186. eos reperit in glandulis ſupra aſperam arteriam poſitis.

Multi illos ex ipſo pulmone viderunt ejici ibidem natos, quod & poſtea *obſ.* 28. demonſtraturus ſum. Sæpiſſime itidem illi in ipſis tam hominum, quam brutorum cordibus apparuere, teſtibus *Bartholino hiſt. Anatom: cent.* 6. *obſ.* 93. *pag.* 365, *Zacut. Luſitano pr. admir. lib.* 1. *obſ.* 131 *pag.* 122. *Hollerio cap.* 29 *de morb. internis, lib.* 1. *in ſcholio*; *ut & in ſcholio cap.* 59. *p.* 531, *Th: Eraſto in conſilium Scholzii num.* 103. Lapidum etiam variè figuratorum in ipſâ cordis ſub-

ſubſtantiâ repertorum mentio fit *Zod. Med. Gallico an.* 2. *fol.* 122.

Modo adductus *Greg. Horſtius obſ.* 47 *lib.* 14. *pag.* 238. narrat prope valvulas dextræ cavitatis cordis lapillum fuiſſe repertum inſtar minoris, planiorisque caſtaneæ, membranaceæque valvularum prædictarum ſubſtantiæ adhærentem.

Alii in ramo arteriæ aortæ prope ſiniſtrum renem ſito delituere, uti videre eſt apud *Tulpium lib.* 2 *obſ. cap.* 25. *pag.* 141. Alii in fundo arteriæ pulmonalis, ut apud *Corn. Gemmam.* De lapillo avellanæ nuci ſimili initio arteriæ pulmonalis affixo ſcribit *Rhodius cent.* 3 *obſ.* 4 *pag.* 130.

Apparuere etiam in Arteria Carotide, ut patet ex Epiſtolâ *R. de Graef* ad *Joach. Elſnerum* miſſâ *Ephemerid. German. an.* 1. *pag.* 285. In venâ thoracicâ apud *Tulpium lib.* 4. *obſ. cap.* 21. *pag.* 328. In venâ portæ repertos narrat *Columbus.*

De lapide in ventriculo invento ſcribunt *Anth. Muſa Braſſavolus*, *Hollerius in ſcholiis cap.* 48, *Gentilis Thom. a Veiga*, *Gilbertus Anglicus*, *Conr. Geſnerus*, *Corn: Gemma*, *Marcellus Donatus*; *Item in Miſcell. Curioſ. Med. phyſ. Dec.* 1 *an.* 2. *obſ.* 181 *pag.* 278, *& decur.* 2 *an.* 1 *obſ.* 32. *fol.* 67.

De ſimili itidem *G. Horſtius in Epiſt: medic: lib:* 1 *ſect.* 9, nec non *Fabrit: Hild: centur:* 6 *obſ:* 22. De lapide in hepate invento poſtea *obſ.* 45 agam. Eoſdem etiam in veſiculâ fellis reperiri

minimè novnm eſt; Sœpius enim illud contingit. Rarius tamen eoſdem videas in meſenterio. Cujus tamen rei *Hollerius cap.* 48 *pag.* 508 exemplum profert, ut & *Fernelius*, *Thom. a Veiga*, *Corn*: *Gemma*, nec non *Scholiographus ad Galeni lib*: *de loc. affectis*, ubi latius.

Hoc anno 1686 *D*: *Profeſſor Anth*: *Nuck*, (cujus modò mentionem feci) in meſenterio cadaveris muliebris, me, aliiſque artis Medicæ peritis præſentibus, invenit lapillum, dicens ſe olim majorem illo in *Pancreate Aſellii* reperiſſe, quo è viſcere varios extractos fuiſſe, ſe præſente, teſtatur *Cl*: *Wilhelmus ten Rhyne Schediaſm. de promontorio bonæ ſpei fol*: 34.

Quandoque & in Inteſtinis cernuntur, uti videre eſt apud *Ludov*: *Duretum cap.* 48 *Hollerii de morb*: *internis pag.* 517, ipſumque Hollerium *in Scholiis cap.* 48 *p.* 508. Quibus adde *Rhazen lib*: 10 *cent*: *cap*: 2, *&c. Gentilem*, *Anth*: *Muſam* Braſſavolum, *Anth. Guainerium*, *Columbum*, *denique & Trincavellium* alioſque. *Matth. de Gradibus ad* 9 *Rhaſis cap.* 2 *de Colic* tres vidit duros admodum, oviſque gallinaceis magnitudine pares. Idem teſtantur *Franc*: *Pedemontanus*. *Anthon*: Benivenius de quodam ovo columbino ſimili loquitur; De aliis nuci juglandi; paribus agunt *Fernelius Pathol*: *lib.* 6 *cap.* 4. Verum *Ioh*: *Arculanus* ſe prope 50 vidiſſe à muliere per anum ejectos. Ultra mille lapillos nucleis meſpilorum, vel mali aurei non abſimiles

ex-

cretos fuiſſe per alvum, fidem nobis faciunt *Miſcell. carioſ. med. phyſ. German. decur. 2 an. 1 obſ. 96 fol. 222.*

De lapidibus in Liene repertis agere video *Hollerium in ſchol. ad cap. 48 Gabr. Fallopium, Turneiſerumque. De iis itidem narrant Laurentius Wolfſtrigelius obſ: carioſ: med. phyſ. decur. 1 an. 2 obſ. 89 p. 163, Veſalius lib. Fabricæ* Hum. *corp. 5 cap: 9. Iſbr: de Diemerbroeck* Anat: *corporis humani fol. 146.*

In matrice repertos aiunt *Hippocrates 7. de morb. popul.* & *lib. de humoribus*, Item *Galenus lib. de humoribus, Ætius ſect. 6. cap. 98. Hollerius in ſcholiis cap. 48. Duretus in cap. 48. Hollerii, Marcellus Donatus hiſt. mirab. med. lib. 4. cap. 30. fol. 522. Corn. Gemma, Joh. Wierus, ac Thom. a Veiga.* Ex utero prodiiſſe calculum 4. librarum, colore fuſco, & multis eminentiis præditum meminit *Bartholinus centur. 4. hiſt.* 64. De calculo 44, annos in utero geſtato refert *Hippocrates lib. 5. epidem. parte* 12.

De abortu, qui 28. annos in utero delituerat, ibique in lapidem verſus erat, refert *Alboïſius.*

De matrice ne lapidi quidem duritie cedente narrant Sch*enkius Lithogeneſiæ cap. 16. pag.* 61. *Marcellus Donatus lib. 7. cap. pag.* 663 *miſcell. carioſ. med. phyſ. decur.* 1. *anni* 2. *pag.* 118.

De lapillis in teſticulis eorumque membranis inventis memorant *Paulus Ægineta, Conrad. Geſnerus, felix Platerus, ut & Schenkius litho-*

thogeneſiâ. Fab. Hild. autem centur. 6. obſ. 57. de quodam narrat, qui per ſcrotum penetrarit, cujus etiam exemplum poſtea dabimus.

Cnoblochius obſ. propriis anno 1569. in dextro teſticulo decollati cujuſdam hominis lapillum ſubalbidum lentis magnitudine ſe inveniſſe, eumque, quod rarior ſit, in hunc uſque diem aſſervare ſcribit. De alio inter teſticulum, & membranam intimam reperto lege *Zod. med. Gall. an. 2. fol.* 122. Gubernator *Promontorii bonæ ſpei*, vir probatiſſimæ fidei, ut ait modo adductus *W. ten Rhyne eodem* ſchediaſmate, calculum è medietate virilis teſticuli exſectum, & propter adamantinam pelluciditatem annulo inſertum, ſe poſſediſſe, aſt eum ſuperſtitioſo, & ingentem de eo amuleti vim ventilanti, nigritarum Regi donaſſe ait.

Borellus centur. 1. *obſ.* 4. *pag.* 8. mentionem facit lapidis ex ulcerato crure provenientis, quale exemplum poſtea obſervat. 92. dabo.

De ſimili etiam teſtatur *Galenus lib. 2. de tumoribus, & 2. ad Glauconem*, nec non *Arculanus comment. ad cap. 69. Avicen. G. Fallopius Joh. Kentmannus, Trincavellius, Paræus l. 24. cap. 19. de monſtris, & prodigiis*: Item operum ſuorum lib. 6. cap. 19. *de Tumoribus*, his adde *Marcellum Donatum cap. 30. lib. 4. p. 526.*

De lapidibus è medio Deltoideo muſculo exemptis teſtatur *D. de Blegnii Zod. med. Gall. an. 2. fol.* 122.

Deni-

Denique & lapilli proveniunt ex ipſis junctu-ris, quod ſatis norunt illi, qui podagra l-bo-rant. De his autem vide *Schenkii Lithogeneſiæ cap.* 19. *Joh. Kentmannum*, *Anth. Muſam Braſavolum*, *Cæl. Rhodiginum*, *Zod. med. Gall. decur*. 1 *an*. 1. *fol*. 99. alioſque.

Chirurgus *W. à. Bourgognie* nuper lapillo-rum numerum ingentem è genu cujuſdam fæmi-næ infra patellam, paululum his urgentibus ſurſum preſſam, ſuſtulit, quorum ipſe ali-quot vidi.

OBSERVATIO XIII.

Turunda è capite per naſum emiſſa.

Retulit mihi *Henr. Holegeeſt*, Chirur-gus Hagienſis arceſſitum ſe fuiſſe ad *Petrum Makaa* ceſpites Limoſos (Hol-landiæ illi paludibus eduntur, ac poſt-quam ſolibus inaruere, ligni præſtant uſum) acceptâ mercede in emptorum ſo-litum deportare ædes, in cujus oſſe frontis ipſe fracturam repererit enſis ca-puli ſummitate factam. In quod capitis vulnus cum quotidie varias turundulas filis, ne interiora peterent, alligatas demiſiſſet, contigit, ut harum una in-ſpira-

ſpiratu aëris intro gliſceret, ſive rupto filo, ſive alio modo. Illam tamen ipſam poſtea per naſum emiſit.

IN OBSERVATIONEM XIII.

MIrum equidem eſt, nec cuivis obvium, quo pacto turunda illa per os cribroſum tranſierit.

Magis tamen mirabitur, quiſquis viva animalia mediocris magnitudinis, nec non lapillos, aliaque dura corpora è capite per nares prodiiſſe intellexerit, quod probatæ fidei ſcriptores non pauci teſtantur.

Petrus Paulus magnus ſcriptum reliquit Chirurgum an. 1572. Romæ cuidam hirudinem applicaſſe, quæ paulo poſt uſque ad tunicas cerebri penetraverit, hominemque interfecerit. Idem tradunt *Hercules Saxonia*, & *Zacut. Luſitanus.*

Benivenius obſ. cap. 100. *fol. mihi* 271. de verme narrat, palmam manus magnitudine referente, quem ejus amicus *Philippus* poſt vehementem cephalæam dextrâ emiſerit nare, unde mox omnis dolor ceſſaverit.

Hollerius 1. *de intern. affect. Scholio cap.* 54. *pag.* 561. puellulæ mentionem facit, quæ prædictæ magnitudinis vermem emunctionibus ejecerit. Haud abſimilia habent *Fabritus Hildanus obſ. Chirurg. cent.* 1. *obſ.* 8. *pag. mihi.* 19. & 381. *obſ.* 5. *Ronſſeus epiſt. medicinal.* 10. *p.* 31.

Nicol:

Nicol. Tulp. obſ. med. lib. 4. *cap.* 11. *fol.* 315. *Zacut. Luſitanus lib.* 1. *admir. prax. obſ.* 7. *pag.* 2. *Zod. med. Gall. an.* 1. *fol.* 73. *Alſar. à Cruce cent.* 3. *fol.* 193. *miſcell. med. phyſ. curioſ. Decur.* 1. *an.* 2. *obſ.* 147. *p.* 231. *Kerkringii obſ. Anatom. cap.* 43. *fol.* 97. *Thom. Bartholinus cent.* 1 *hiſt.* 64. *p.* 101. *Steph. Blankardus collect. med. phyſ. cent.* 1. *cap.* 39. *pag.* 41. *Item cent.* 3. *cap.* 74. *pag.* 272. *Idem etiam cent.* 2. *cap.* 80. *pag.* 151 quendam dicit poſt biennem cephalæam illico pôſt ejectionem vermis cujuſdam è naſo fuiſſe ſanatum.

Proculdubio huic noſtro ægro, ut & aliis modo memoratis oſſis *Ethmoidei* foramina vi morbi vitiata fuerunt. Tunc enim ſunt patentiora, & facile dilatari poſſunt, quemadmodum etiam lue venereâ corrumpuntur.

Ita *Ioh. Rhodius cent.* 1 *obſ.* 88 de quodam refert, qui à difficili reſpiratione, os *Ethmoides* carioſum, ac copioſâ pituitâ viſcatum poſtridie cum ſputo ſanguinis excreverit, quod ſpongioſum à diuturna coryzâ in lue venereâ deſquammatum in pulmones delapſum erat.

Schneiderus lib. de oſſe cribriformi experimentis nonnullis planum facit os cribriforme, os ſpongioſum, & cartilaginem ſummam narium, aut pulveris ſternutatorii uſu nimio, aut ulcere luis venereæ aliquando vitiari, conficique in tantum, ut naribus injectus pulvis, aut liquor, recto tramite in cerebri membranam tunc temporis poſſit penetrare.

Vermes autem in cerebro generati poſſe fidem facere videtur *Avicenna* 1 *fen.* 3, *tran.* 2. *cap.* 3. *de ſoda.* Apud *foreſtum lib:* 9 *de raris cap. doloribus, Scholio obſ.* 4: fit mentio vermis ſupra duram matrem velut Curculionis, cranio perforato, & aperto, inventi, quo ablato æger diuturno capitis dolore, à quo antea maxime torquebatur, tot fruſtra adhibitis auxiliis, ſtatim liber evaſerit. Refert etiam *Fabrit. Hildanus* pus foetidiſſimum, & vermes ad duram matrem repertos fuiſſe: vide ſuper his etiam H. *Montui Anaſcevem* 4 *morborum cap.* 19. Ut & H*ollerii lib.* 1. *de morb. iutern. fol.* 2. *Item ephemerid. Germ. Decur.* 2. *an.* 1. *obſ.* 99. *fol.* 228, *& Decur.* 1. *an.* 2. *obſ.* 57. *fol:* 93.

Verum equidem eſt vermes ex inteſtinis in ventriculum, hincque per fauces in os pervenire poſſe, quod ſi clauſum maneat, ipſos quandoque per palati cavum in nares pervenire conſtat, ac tandem per naſum exire, nec minus verum eſt, in ſtricturâ narium vermes gigni poſſe. Id enim peritiſſimus Anatomicus *D. Anthon. Nuck* exemplo quodam demonſtravit, cum mihi nuper vermem in ſpongioſo narium oſſe deliteſcentem oſtenderet, narraretque ſe quondam & alterum in canis cujuſdam nare reperiſſe.

At cum vehemens præceſſit Cephalæa, eademque illico poſt ejuſmodi animalculorum ejectionem ceſſat, certiſſimum adeſt indicium ipſa è cerebro proveniſſe.

Lapil-

Lapillorum per naſum emiſſorum poſt gravem cephalæam, mentionem facit *Th. Bartholinus cent.* 1. *fol.* 48. *hiſt.* 33. Celeberrimus vir D. *Joh. Ludov. Hannemannus* literis notum mihi fecit, poſt immanem cephalæam, & uſum pulveris ptarmici ruſticum ſternutationis niſu lapillum è naribus ejeciſſe, quo ejecto dolor fugerit. Plura ejuſmodi extant exempla ſcholio præcedenti ad obſ. 12. Sæpius etiam jam adductus *Zacut. Luſitanus lib.* 1. *prax. med. admir. obſ.* 73. *fol.* 17 narrat de fabro quodam lignario qui pituitoſi, humidique erat temperamenti, ſæpiuſque ipſi non ſine queſtibus indicaverat, jam diu ſe quater, quinquieſve uno anno per naſum emiſiſſe turundam dimidiæ palmæ longitudine, quæ craſſitiem calami ſcriptorii æquaret muco obſita, & concreta. Hanc autem excretionem per totum triduum vertigo, ingens cephalalgia, oculorum obtenebratio, oblivio omnium rerum, ſopor, & totius capitis gravamen præcedebant, poſt quod alacriter vivebat.

Ex hiſce igitur patet quam evidentiſſime, valentibus viribus miros interdum produci effectus. Quod ſuo etiam tempore teſtatus fuit *Hippocrat. lib. de Lege, & decente ornatu. Arcano enim*, inquit *operandi modo miras ſanè, atque incredibiles natura quandoque res efficit.*

OBSERVATIO XIV.

De glandulâ parotide exulceratâ.

SIcuti glandulæ, quæ paſſim toto diſperſæ corpore, ac in duo diviſæ ſunt genera, cum naturali conditione, ac ſtatu ſunt, multa corporibus adferunt commoda; ita etiam, ſi quando ab eo ſtatu deturbantur, damni iiſdem plurimum, atque incommodi inferunt. Cujus ego rei hac obſervatione exemplum dabo, quod mihi nuper in quadam nobili virgine videre contigit, cui, poſtquam aliquamdiu contabuiſſet veluti, ac cum morbis colluctata fuiſſet: tandem parotis dextra ulcere obſideri coeperat, quod tractu temporis in fiſtulam degenerabat, è quâ poſtea ſeroſus humor effluxit, ſed præcipue, cum cibum dentibus morderet. Quod incommodum illi jam diu adhæſit.

IN OBSERVATIONEM XIV.

G. *Fabritius Hildanus cent.* 5. *obſ.* 80. *fol.* 471 ſtudioſi cujuſdam meminit, cui ætatis anno duodecimo ejuſmodi ulceratio ſub aure dextra provenerat, quæ itidem in fiſtulam vertebatur; narrat etiam, ut ille ſtudioſus, poſtquam per triennium necquicquam Chirurgorum imploraverat opem, à ſe cauſtico, quod interna labia, calloſitatemque exedebat, ſex hebdomadarum tempore ſatis feliciter fuerit ſanatus.

Galenus lib. 1. *de compoſit. Medic. ſec. genera cap.* 7. De adoleſcente 15. annorum refert cui poſt febrem, parotis glandula in tumorem ulceroſum degenerabat, quo curato fiſtula remanſit, quam cum poſt ſex menſes ipſe ſanaret, uſu emplaſtri catheretici, quod ibidem deſcribit, priſtinæ juvenem reſtituit ſanitati: fiſtula parotidis malum eſt contumax, cujus percurationem haud polliceri voluit *Galenus*, quoniam immiſſo in fiſtulam ſuillo pilo (non ferreo, aut argenteo ne dolor excitetur) ut penitius fiſtulæ obliquitatem indagaret, ad articuli commiſſuram accedere videbatur, oſſiſque corroſionem timens de ſalute ægri erat incertus, præſertim quoniam ea parte apertio major fieri non poterat, ſi os fuiſſet labefactatum; & ſine hac ferro, aut cau-

ſticis medicamentis perfecta curatio non contingit iis, quibus oſſa intus ſunt corrupta.

Experimur etiam bubones diutius protractos facile in fiſtulas degenerare non ſolum curatu difficiles, ſed interdum periculoſas, docente *H. Fabrit. ab Aquapendente lib.* 1. *de tumoribus cap.* 13. *fol.* 42. *Zacut. Luſitano, medicor. princip. hiſt. lib.* 1. *cap.* 72. *fol.* 104.

OBSERVATIO XV.

Multum aquæ poſt caput gravius ictum ex aure emiſſum.

A*Nnæ Pauli* hîc Hagæ habitantis os parietale ſiniſtrum ligneo cylindro (erat ille talis, quales Belgæ ludentes erigunt novenos variâ lege globo ligneo dejiciendos) ita fuit ictum, ut animo pariter, & corpore deficeret, nec non vomeret, ſanguiniſque non ita multum aure ſiniſtrâ erumperet: Quare ego cum *Jacobo Senâ* Medico, *Arnoldoque de Wilde*, Chirurgo ad illam fui arceſſitus. Nos autem cutis quidem contuſionem, minime verò cranii fracturam reperimus. Poſtquam igitur illi vena ſecta, omniaque jam adhibita eſſent, quæ ejuſmodi occa-

occaſio, & neceſſitas requirunt, paululum ea ad ſe rediit; verum per quatuor, aut quinque dies continuos non niſi aqueum, ſeroſumve humorem illâ aure emiſit tantâ copiâ, ut (noſtrâ quidem conjecturâ) quatuor cotylas impleſſet: plurima enim lintea quotidie dicto humore madefiebant. Illa tamen mulier, malo penitus ſublato, brevi convaluit.

IN OBSERVATIONEM XV.

MEdicinæ Doctor *Joël Langelottus, miſc. med. phyſicis curioſ. Germ. Decur.* 1 *an.* 6. *obſ.* 12. *pag. mihi* 22. de Principe quodam memorat, qui Romæ è cochlidiô 14. pedes longo prolapſus ſiniſtro capitis latere in inferiores gradus tam valide impegerat, ut ſemianimis, abſque ſenſu, motu, & loquelâ totum ferme diem jacuerit, qui poſt venæ ſectionem paululum reſtitutus viribus gravi coepit laborare cephalalgiâ, quæ nunquam ceſſans illum ita fatigavit, ut nec noctu, nec interdiu quieſceret, quibuſvis medicaminibus fruſtra adhibitis. Quare terebrandum eſſe ejus caput cenſuere Medici.

Omnibus ergo, quæ requirit trepanum, paratis, Præfectus quidam adſtans aqueum è Principis aure ſiniſtrâ profluere humorem animadvertit: quamobrem dilata tunc quidem fuit per-

foratio; ac tantum quidem liquoris effluxit, ut octo libras appendere pondere ſuo valuiſſet. Ille autem Præfectus curioſus admodum quoſvis Medicos interrogabat, unde tanta proveniſſet humoris copia; omnes autem tacuere, nec quiſquam ſententiam dicere ſuſtinuit. Sed nec ipſe memini à quoquam monſtratam unquam fuiſſe viam, quâ tantum aquæ ſe exoneraret. Dictus autem *Joël Langelottus*, ceſſantibus Medicis Italis ſententiam dicere, præcipuis Collegis *Academiæ Naturæ Curioſorum* in Germaniâ degentibus, quæſtionis hujus ſolutionem faciendam tradit.

Cæſar Odonus Bononienſis Medicus narrabat, ac jure jurando confirmabat tanquam prodigium, ſe vidiſſe ex aure cujuſdam, febri, ſimulque acri cephalalgiâ laborantis, plurimum aquæ puræ, abundeque effluere.

De ſimili tenui, ac aqueo humore *Platerum lib.* 3 *obſ. pag. mihi* 735 referre video, cum dicit tredecim annorum puellam jam diu plurimum emiſiſſe urinæ, eâque ſubito ceſſante, tenuem quendam humorem ex aure dextrâ copioſè coepiſſe fluere, ita ut ſæpe unâ vice per dies aliquot continuos menſuræ duæ emanarint. Quare illi inpræparari juſſit Medicus diuretica quædam, inter quæ etiam Therebinthina erat, quibus ſumptis ipſa ſæpius quater decies urinam emiſit; verum illa citò ſiſtebatur, atque iterum ex aure abunde profluere dictus humor cœpit; ita ut

24. ho-

24. horarum ſpatio menſuras aliquot Auguſtanas aquæ puræ, cui omnis odor, guſtuſque deerat, ejecerit, quamvis illa alioquin bene ſe habens de nullo conquereretur impedimento. Cum verò poſtea, repellendi gratiâ, capiti applicarentur oxyrhodina, & lotiones fierent pedum, rurſumque Therebinthinam ſumpſiſſet, denuo urinam reddidit, primum magnâ copiâ, remittente aurium hoc fluxu, poſtmodum vero naturaliter, nec quicquam inde mali paſſa eſt.

Humorem hunc è cerebro proveniſſe non credit *Platerus prax. tom.* 3. *de aquoſis excretionibus pag. mihi* 600. Quoniam enim nulla à cerebro pergit via præter foramen, quod nervi auditorii tranſitui patet; deinde etiam, quia ille hnmor, licet antea in internam auris cavitatem eſſet infuſus, ex aure non efflueret, quin membranæ tympani obeſſet, ſtatuit dictum fluxum in illâ puellâ hoc modo ſeſe non habuiſſe, quoniam nihil impedimenti inde auditus acceperat. Quapropter firma illi ſtat ſententia, humorem hunc è vaſis, quæ in externo auris continentur meatu, prodiiſſe.

Ejuſdem ſententiæ eſt *Melchior Sebiſius exercitat. patholog. pag.* 156. Aliunde, inquit
„ quam à cerebro pituita illa, vel aqueus humor,
„ qui ex auribus effluit, promanat, cum ab eo
„ non aliâ viâ ad auditus cameram, quam per
„ foramen nervo auditorio paratum, exiſtat,
„ per quod ſi illa intraret, interiorem tantum

„ cameram ſubiret, atque ad exteriorem meatum
„ minimè penetraret, niſi tympanum pervade-
„ ret, quod tamen citra illius læſionem, & au-
„ ditus defectum inde profectum, non faceret,
„ ſed cum citra auditus abolitionem hic fluxus
„ ex auribus contingat, atque ab externo auris
„ meatu prodeat, in eum pituitam hanc deferri
„ ſatis patet, quam externam ſedem, uti ſerum
„ exudans, madore ſuo humectare ſolet, ita ſi
„ aquoſus ille humor copioſè illic coacervatus
„ redundet è vaſis meatum hunc implicantibus
„ prodiens effluxum hunc illius efficit; quod
„ tamen rarius (cum longe convenientiores viæ
„ ſeri expurgationi deſtinatæ ſint) accidit. Ali-
„ quando tamen id fit, præſertim in nimium
„ laxatis hiſce ductibus ſicut in aliis fluoribus,
„ verbi gratiâ uterinis, pituitoſam materiam è
„ vaſis copioſe egeri poſſe, ſæpe videmus. De
„ viis, inquit idem, per quas materia hæc ad au-
„ res pervenit non admodum ſolliciti ſimus, na-
„ tura enim vias ſibi ſemper quærit, & invenit
„ etiam, tametſi illæ nobis ſint incognitæ. Totum
„ quippe corpus eſt σύῤῥουν καὶ σύμπνουν hoc
„ eſt *confluxile*, & *conſpirabile*.

His *Plateri*, nec non *Sebiſii* opinionibus (quantum quidem ad viam hujus humoris per externum auris meatum attinet) eò facilius accedo, quo magis recordor experientiâ aliquot annis proximis me didiciſſe, innumera humano in corpore reperiri uaſa lymphatica, tenellis ſuis ramu-

ramulis vaſa ſanguifera, præſertim vero venas, circumquaque ambientia, imo membranas totius corporis nil aliud eſſe niſi contextum, & congeriem innumerorum uaſculorum cujuſcunque generis, muſci arborei inſtar ſe mutuo implicantium, quæ de aqueo hoc humore participant, ita ut conſequenter membrana, quæ externum auris meatum inveſtit humore hoc aqueo abundet, quare nobis neutiquam mirum ſit, ſi externâ quâdam vi commoto capite, & concuſſo cranio, vel internâ etiam aliâ cauſâ vaſculo hoc rupto, vel exeſo, idem præter conſuetudinem extra vaſa ſua effundatur, ſive ille è cerebro ſive è toto corpore (quod modo demonſtravit *Platerus*) illuc fuerit propulſus.

Viæ autem, per quas hic humor immediate effluit, ſunt glandulæ auris, in membranâ meatum ejus externum inveſtiente ſitæ, quarum ſingula tubulo (ut notavit *D. Verney de organo auditus fol.* 35.) donata eſt, qui ſeſe in meatum prædictum à cerumine exonerat, quantumvis enim glandulæ aurium in ſtatu ſuo naturali ceruminis tantum ſeparationi deſtinatæ ſint, nihil tamen prohibet, quo minus etiam cloacæ quaſi ſint, per quas humores noxii expellantur.

Blaſius Appendice ad Veſlingii Syntag. Anatomicum, fol. mihi 478 aquoſas excretiones ſine ulla auditus læſione per aurem factas è glandulis auris vitiatis, vel nimium laxatis, originem ducere arbitratur. Certiſſimum quippe eſt ex humi-

humido, impuroque cerebro, eique contiguis partibus, ſaniem ſæpenumero, vel etiam ſeroſum quendam humorem per aurem expelli, unde merito ſtatuas eundem non in ſolâ collectum fuiſſe aure. In infantibus hoc ipſum non ſemel pateſcit, quibus quandoque ſatis diu aures effluenti humore madent, quibuſque, quod etiam ad opinionem noſtram ſtabiliendam facit, ante illam exonerationem cerebrum fuit male affectum. Infantes etenim plerumque ſuperfluo cerebri humore abundant, quare etiam ſomniculoſi ſunt valde, plurimumque pituitoſæ materiæ ore, naribus, auribus ejiciunt.

Neque aliam ob cauſam *Hippocratem Aph.* 24 *ſect.* 3 aurium humiditates inter infantum morbos recenſuiſſe putem, quod nempe, obſtructâ iis viâ, nec alibi reperto exitu, gravia non ſemel accidentia, videlicet epilepſia, apoplexia, paralyſis, vertigo, &c. oriantur.

Galenus comm. ad hunc Aphoriſ. non etiam palati, & narium excrementa numero morborum comprehendit, quoniam ſecundum naturam per nares, atque palatum cerebri excrementum derivatur, quod iis etiam, qui ætate jam ſunt perfectâ, uſu venit; præter naturam autem per aures dirivatio fit.

Braſſavolus dictum *Hippocratis Aphoriſm.* exponens, eſt mihi, inquit, filia *Laura* nomine, è cujus aure ſiniſtrâ ſanies illicò poſt nativitatem fluere coepit, qui effluxus per multos menſes

menſes continuos non ſine auris Foetore immani duravit, bene alioquin ſeſe habente illâ: ſiniſtrâ autem poſt aliquot menſes aure jam veluti ſiccatâ, dextra ſaniem emittere coepit ad ſeptimum decimum uſque menſem, poſt quod tempus, ceſſante fluxu, ipſa optimæ fuit valetudinis.

Marcus Sanctus Barolitanus comment. ad Avicennam, cum, ait, *Daniel Juſtinianus* ſplendidæ Venetiis homo familiæ fiſtulam in aure dextrâ haberet, unde multum prodibat ſaniei, erant quidam, qui contra meam opinionem eandem tollere geſtirent; ipſe enim, quicquid hoc erat materiæ, è cerebro deſcendere judicabam. Cum tamen, meâ quidem poſthabitâ admonitione, illi pergerent, alter paulò poſt occubuit, meæque prædictionis evidenter patuit veritas: plurimum etenim ſaniei naribus ejus, auribuſque effluebat.

OBSERVATIO XVI.

Continuus alterius lateris motus convulſivus.

ANno 1643. vocatus fui ad puellam fuſci coloris, capillitii omnino nigri, ac temperamenti melancholici, decem undecimve annos natam, hic Hagæ habitantem, cui brachium, nec non

non crus ſiniſtrum, nullo tamen dolore accedente, huc illuc valde commovebatur, fueratque in cauſa ingens quidam timor. Illa tamen puella, ſatis præparato convenientibus remediis corpore, per me Caſtorii maxime uſu priori valetudini reſtituta eſt.

IN OBSERVATIONEM XVI.

DIctu difficile eſt, quanta, quamque horrenda, ac ſæpe ſanationem reſpuentia inſolitum pavorem ſubſequantur mala. Nihilominus tamen quotuſquiſque eſt, qui non quotidie videat quam gravia incommoda veluti per luſum, jocumque temerariæ ætatis homines poſt incuſſum timorem ſibi invicem adferant, nec non ut alumnæ, famulæque (quanquam damnando plane more, & ſæpius, ſed ſerò dolendo) infantes, ut eos à pejore quadam abſterreant conſuetudine, ita quandoque tremefaciant, dum ipſos obſcuriore quodam includunt loco vel larvâ, ſimilibuſque nugis eos perſequuntur; unde fit, ut illos non leviter anxios non abſimilia ſolum infeſtent inſomnia, dum mira quædam per noctem ſibi imaginantur, ſed interdum præ nimio pavore ſubitò occumbant.

Ejuſmodi autem lugenda exempla non tantum à ſcrip-

à ſcriptoribus proferuntur plurima, ſed & haud pauciora longior uſus adfert.

Th. Bartholinus Hiſt. med. cent. 6. hiſt. 76. pag. mihi 386 de viduâ quâdam narrat, quæ, cum ipſi tantùm nunciatum eſſet cadaver peſte mortui transferri ædes ſuas, ſubitò deceſſerit: ut & de Nobili quodam, qui, conſcenſâ navi ſubitòque ortâ procellâ etiam extinctus fuerit. Ac *cent.* 3. *hiſt.* 41 de infante refert, qui terrore perculſus humi procumberet tanquam mortuus, quo incommodo ille per aliquot annos quandoque, ſed improviſò, laboraret.

G. Fabrit. Hildanus obſ. Chirurg. cent. 6. *obſ.* 12. *pag.* 508 de matronâ quadam memorat, quæ nuncio filii mortis accepto, præ mærore, ac tremore in Apoplexiam inciderit, unde poſtridie extincta fuerit. Alii cuipiam pavor letiferam nervorum attulit contractionem, ſcribente *Platero obſ. lib.* 1 *pag.* 33. Plura vide apud *Ioh. Rhodium obſ. med. cent.* 1. *obſ.* 45. *pag.* 34.

Anthon. Benivenius medicinal. obſ. cap. 63. *fol. mihi* 227 narrat de infante, qui præ terrore non longe poſt objerit.

Henric. Smetius miſcell. med. lib. 10. *fol. mihi* 529 de puellulâ quadam memorat, cujus dextrum brachium poſt tremorem ſpaſmus inſederit, non abſque ſenſuum, mentiſque perturbatione.

Quod malum ipſi inopinanter, & ſubitò ſuperveniebat, nec horæ unius quadrantem durabat, epileptica quandoque accedente convulſio-

ſione, crurisve dextri huc illuc agitati concuſſione.

Quamvis autem, quod ultimâ obſervatione retuli, incommodum timori imputandum eſſet, ejuſmodi tamen accidentia ſæpius naturali nervorum infirmitate oriuntur (quod non ita diu à me obſervatum eſt in Juniore quadam Dominâ) ſed & nimio fortioris vini hauſtu, quale exemplum refert *Rod. à Fonſeca conſultat. med.* 38. *fol.* 135 de puero 12. annorum, ut & acri vapore, qualem ex utero aſcendiſſe, & hujuſmodi motus convulſivos excitaſſe refert *Fabrit. Hildanus cent.* 6. *obſ.* 26. *fol.* 527, ut & *G. Horſtius lib.* 5. *obſ.* 50. *fol.* 298, nec non iracundiâ, vermibus, qualem caſum idem ſcriptor *lib.* 2. *de morbis cap. fol.* 120 ex *Thonnero* refert: Acribus etiam oriuntur medicamentis, uti *Sennertus* ait *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 28. præſertim autem externo frigore; quorum varia apud eundem *Horſtium lib.* 8. *de morb: extern. part. obſ.* 14. *fol.* 415, *Höechſtetterum obſ. med. dec.* 4 *caſu* 10. *fol.* 456, pluresque leguntur exempla.

Animadvertendum hîc etiam eſt hoc incommodum in eâ puellâ, quâ de obſervamus, non fuiſſe convulſionem, quoniam convulſio propriè dicta non niſi muſculorum verſus ſuum principium motus eſt, ita ut membrum extenſum maneat, atque immobile. In hoc enim à motu convulſivo differt convulſio, quod in illo huc illuc membra commoveantur, ac diverſimode agi-

agitentur, in hac non item. Neque tamen id quicquid mali eſt tremor vocari poteſt. Licet enim membrum aliquod durante tremore variis modis viciſſim moveatur, motus tamen ille non omninò contra hominis moti fit voluntatem, teſte *Galeno lib. 2. de ſymptomat. cauſis.* Nihil enim aliud eſt tremor, quam libera, malaque membrorum motui inſervientium agitatio, quâ illa continue, ac viciſſim veluti tolluntur, iterumque concidunt, qui malus motus ab infirmitate virium, & paucitate ſpirituum dependet, ût illud in vetulis, ebrioſis, reique venereæ addictis nimium animadvertere licet, qui omnes membra ſua propter virium defectum nec movere, uti decet, nec extenſa loco ſuo continere valent, ita ut partes trementes duobus contrariis motibus ferantur, altero voluntario, uti jam dixi, atque ſpirituum animalium beneficio proveniente, altero minus voluntario, unde membrum pondere ſuo gravatum, iterum ſubſidit. Habet ſe res hæc, ût in iis, qui pondus aliquod geſtant; ſi enim id leve ſit, & vires ei ferendo pares, nullus tremor fit, & muſculi ponderis inclinationi ſatis obſiſtunt. Si vero pondus ſit gravius, quam vires ferre queant, partes ſub onere tremunt. Malus autem ille puellæ, quâ de agimus, motus, mixtum quoddam videtur fuiſſe malum, non tantum ex mollitie, ac imbecillitate nervoſarum partium, ſed & ex earum contractione ortum. Docuit enim experientia in non-

nul-

nullis quandoque convulſionem cum paralyſi, vel Apoplexiâ fuiſſe conjunctam, fidem faciente *Bartholino hiſtor. Anatom. centur. 6. hiſtor. 3.* Non diſſimile quid *Galenus in Hipp. lib. 1. Prorrhet. comm. 3. text. 26.* refert: Item *Petr. Salius Diverſus not: ad Altimarum cap. 13,* nec non *Valeſcus de Taranta ſuo Philonio cap. de Epilepſiâ.*

Hæc dictarum partium mollities, debilitaſque ac contractio ex acri quodam proveniunt humore, vel potuis è tenui, ſeroſoque, nec non acri liquore, qui illas partes non emollit tantum, verum etiam ſtimulat pariter, atque ita ad malum hunc, inordinatumque motum incitat. Quod & confirmat *Fel. Platerus cap. 3. tr. 1. lin. 2, Thiermairius lib. 2. fol. 160. cap. 12, Dan. Sennertus lib. 1. prax. cap. 25 & 28. part. 2, Hoëchſtetterus obſ. Med. decad. 4. fol. 460.*

OBSERVATIO XVII.

Cartilaginea gingivæ excreſcentia.

IPſe jam ante annos 36. cum Chirurgo *Allerto Barringa* ad mulierem aliquam Hagam inter, ac Delphos habitantem fui vocatus, in cujus dentium molarium gingivâ tumor apparebat panem binis obolis vendi ſolitum magnitudine æquans

æquans, qui totum os ad alteram faciei partem trahebat, uti ſpaſmo cynico laborantibus contingit. Nos illico admonere, uti tolli hunc pateretur tumorem, illa autem tum quidem minime conſentire. Cum vero eundem breviſſimo tempore ita augeſcere videret, ut non abſque maximo incommodo cibis veſceretur, ſtatim aſſenſit. Æneo itaque tumorem cinximus filo, illoque magis, magiſque quotidie contracto, excreſcentia illa, dempto nutrimento, tandem decidit, quam cartilagineam eſſe mox comperimus. Quæ deinde ad perfectam requirebantur Sanationem remedia mulieri applicuimus, ac favente Numine illa convaluit.

IN OBSERVATIONEM XVII.

GRæcis hujuſmodi tumor ἐπύλις dicitur, eoque nomine gingivæ excreſcentiam circa dentes molares ſignificant, quæ immanè quantum nonnunquam creſcit, ita ut loquela, & manducatio inde præpediantur, imo cancroſa aliquando evadat, quod eo caſu calor, dolorque, nec non alia accidentia ſatis indicant; tum tamen intactam illam præſtat manere. Longe idcirco

melius eſt (ſcribente *Barbettio Anat. Pract. pag. mihi* 115.) ſi in tempore excreſcentia filo quodam à ſanandâ parte diſiungatur, ne in cancrum forte vertatur.

Balduinus Ronſſeus epiſtol. med. 7. pag. 19. de ſimili cartilagineo tumore loquitur, quem mulier 54, vel plures annos nata ſuper ſiniſtrâ geſtabat maxillâ, qui provenerat è parvis glandulis, verrucis haud diſſimilibus, ac proceſſu temporis in mali Punici magnitudinem excreverat, longèque ex ore propendebat, ita ut dicta mulier non niſi potum, tenuioremque cibum, eumque non abſque ſummâ moleſtiâ, (quoniam ſingulis vicibus minimi digiti ope egebat) in os ingerere poſſet, quam excreſcentiam fruſtatim quatuor diſtinctis vicibus filum contractum ſuſtulit, fæminamque liberavit.

Paræus lib. 7. cap. 4. pag. 71 ſe ejuſmodi excreſcentias vidiſſe ait tantas, ut magna ſui parte per ipſum os non abſque ingenti vultus deformitate expullularent, ſeque ait, ne redirent, prius eas filo abſcidiſſe, dein ferro candenti aduſſiſſe.

Nonnunquam etiam ſe vidiſſe narrat ejuſmodi carnem in cartilaginem, aliquando & in oſſeam ſubſtantiam longo tempore mutatam. De ſimili gingivæ excreſcentiâ cartilagineâ (quanquam tanta non eſſet, quanta fuit illa, cujus in obſervatione memini) mentionem facit *Blaſius obſ. 9. part. 6. pag.* 79, quæ forcipe abſciſſa fuerit.

Joh.

Joh. Daniel Major miſcellan. curioſ. med. phyſ. decur. 1. *an.* 2. *obſ.* 55. *pag.* 379., nec non *Scultetus obſ.* 82. *pag.* 301 ſinguli de diverſâ excreſcentiâ memorant, utraque tamen filo detractâ. Plura hujuſmodi adferunt *Marcellus Donatus lib.* 5. *cap.* 3. *de hiſt. med. mirab. necnon Platerus obſ. fol.* 625.

Albucaſis lib. 2. *cap.* 28, ſi poſt ſanationem, inquit, hujuſmodi caro iterum creſcere incipiat, (uti ſæpius fit) illam abſcindas denuo, atque aduras poſtea, neque enim tum revertetur.

Zacut. Luſitanus pr: med. Admir. lib. 1. *obſ.* 93. *pag. mihi* 22. de melancholicâ muliere refert, cui in gingivâ inferiori externâ caro excreverit dura, quæ paulatim ſpatio unius anni tantâ aucta fuerit mole, ut ovi minoris magnitudinem æquaret, cum dolore ſummo, & gravi odore, nam ex ulcuſculo tumoris ſanies quædam fætida promanabat, cum acrimoniâ conjuncta, cui tumori tollendo promptius nullum abſciſſione viſum fuit remedium, hanc tamen, quamprimum facta eſſet, magnum ſanguinis inſequebatur profluvium, qui cum nullâ ratione ſupprimi poſſet, dicta mulier brevi deceſſit.

OBSERVATIO XVIII.

Plurimum ſanguinis è dente molari emiſſum.

QUidam Militari munere non ſine Imperio fungens: N: G: nomine potui admodum deditus, anno 1657. tantum ſanguinis è dentium molarium quodam emiſit, ut inde valde debilitaretur, tractuque temporis poſt tantam ſanguinis emiſſionem palleſceret valde, ac paulo poſt, quanquam juvenis admodum, extingueretur.

IN OBSERVATIONEM XVIII.

QUam moleſtum, ac quam ſit periculoſæ malum plenum aleæ, ſanguis ex oculis, auribus, dentibuſve profluens, demonſtrat *Tulpius lib.* 1. *obſ. cap.* 49. *p. mihi* 96 ſive (ut ait) propter venas, & arterias, è quibus facile plus effluit, quam partes, quorum uſui deſtinatæ ſunt, ferre queunt: ſive quia remedia fluxui huic ſiſtendo idonea non niſi difficulter admodum ad apertorum vaſorum loca penetrare poſſunt. Narrat & ibidem divitis

cu-

cujuſdam mulieris exemplum, cui nimio ſe mero perfundenti hoc ipſum, de quo loquimur, malum ſupervenerit. Multum quotidie illa è dente molari emittebat ſanguinis: hoc tamen malo tandem fuit liberata dicto denti fungi quandam ſpeciem (Belgis *Boviiſt*) imponendo, cum jam ſæpius fruſtra Chirurgus illi denti vitrioli calcinati pulvere (*Colcothar* dicto) cruſtam induxiſſet. De magnâ dentis hæmorrhagiâ teſtatur *Joh. Helwigius obſ.* 27. *fol.* 103.

Per dentis alveum purgatas fuiſſe mulieres fidem facit *Heurnius*; *Joh. Rhodius obſ. med. cent.* 3. *pag.* 172 de menſibus è dentis alveo ſtillantibus refert. Simile quid notavit *Joh. Hollerius comm.* 2. *ſect.* 2. *lib.* 2. *Coac. Hippocratis prænot.* Item *Bald. Ronſſeus de vitæ humanæ primordiis cap.* 28.

OBSERVATIO XIX.

Sanguis è palpebris erumpens.

IPſe novi nautæ filiam etiamnum, dum hæc ſcribo, viventem, cui, cum paulò ceſſant menſtrua, iraſciturve, ſanguis guttatim lacrymarum inſtar per genas volvitur ex inferiorum, palpebrarum poris proveniens, præcipuè verò, quando eaſdem detergit.

IN OBSERVATIONEM XIX.

MEnſtruus ſanguis ſolito tempore proflue-re ſi ceſſet, diverſis corporis partibus, ubi commodiſſima datur via, ejicitur; aliquando per nares, gingivaſque, nec non per dentes, os, ac mammas, pulmoneſque, ſæpe etiam per umbilicum, ac per inguina, etiam per manum, genu, per pedem, talumque, &c. uti variorum artis Medicæ minimè ignarorum ſcripta, ac ipſa experientia obſervant.

Bartholinus cent. 1. *hiſt. Anatom.* 13. *pag. mihi* 23 de notâ ſibi narrat muliere, quæ ſanguine abundabat, præque ejuſdem copiâ ſæpiſſimè cephalalgiâ infeſtabatur, menſtruis plerumque minori, quam par erat, copiâ fluentibus. Inſtante itaque profluvii tempore, ſæpiſſime animadvertebat, ſi cutem ſiniſtræ manus, malæve dextræ quam leviſſimè fricaret, ſanguineas inde guttas vi quâdam, ſalienteſque provenire.

Rembert. Dodonæus obſ. med. cap. 15. *pag.* 37. vidiſſe ſe ait ſedecim annorum puellam, cui nec dum menſtrua fluebant, ſanguineas emittere lacrymas; quoniam ſuperfluus, & in motum actus cruor hac viâ ſibi exitum quæſivit: guttæ enim illius, tanquam lacrymæ ſæpius ex puellæ oculis proveniebant. Non diſſimile quid *Thom: Bartholinus centur.* 1. *hiſt.* 16. *fol.* 28, *Philip. Höechſtetterus obſ. rarior. decad.* 1. *pag.* 1, *Fore-*

Foreſtus obſ. medic. lib. 11. *obſ.* 13, *Zacutus Luſitanus pr. adm. lib.* 1. *fol.* 13. *obſ.* 54. *Zod. Med. Gall. an.* 2. *fol* 42 : Nec non *Ludov. Mercatus lib.* 1. *de mulier. Morbis cap.* 7, *Helwigiuſque ſchol. obſ.* 140. *fol.* 582. *memorant.*

Jobus Mekeranus cap. 4. *pag.* 55. de Mercatore quodam narrat, cui è ſiniſtro oculo tam abundè flueret ſanguis, ut ille vix deterſus ſiccatuſque hoc continuò repleretur.

Fabrit. Hildanus obſ. 16. *Centur.* 1. *pag. mihi* 92. etiam vidit ſeni 60 jam annos nato ſanguineas guttas ex oculis provolvi, quia varices in ejus cruribus non apparebant amplius, illos enim quotannis ibidem cernere conſueverat, qui tum etiam ſanguinis nonnihil emittebant.

OBSERVATIO XX.

Ranula.

SUb linguâ tumor nonnunquam oritur *Ranula* dictus, quod eo laborantes inter loquendum tanquam ranæ coaxent. *At M. Sebiſius Manuali, ſive ſpeculo Med. pract. cap.* 21: *pag: mihi* 491. ita dici ſcribit à figurâ, quam repræſentat: *Lazarus* quoque *Riverius lib. prax. pag.* 219. rimâ mediâ, dextram tumoris partem à ſiniſtrâ

ſtrâ dirimente poſteriorem ranæ partem referre tradit. Ante triginta, & qui excurrunt, annos, ipſe pauperem novi mulierculam, ſub cujus linguâ abſceſſum hunc ab unâ primum, deinde & ab alterâ parte animadverti. Quem cum, cujus modo facta mentio, Chirurgus *Allertus Barringa* ſcalpello aperiret, plurimum inde puris viſcoſi admodum, albo ovi non diſſimilis, effluxit. Idem tamen poſt menſem, aut ſex hebdomadas priorem magnitudinem æquaverat, ita ut iterum ſcinderetur, ac paulo poſt tertiò repeteretur ſectio: quare requiri videbamus, ut poſt ultimam exonerationem quædam corrodentia, ac ſiccantia abſceſſui huic tollendo applicaremus.

IN OBSERVATIONEM XX.

CErtiſſimum eſt humorem, unde hujuſmodi abſceſſus oritur, in glandulis, quæ ſub linguâ, ac propè ejuſdem vaſa ſitæ ſunt, contineri, ac propterea hunc abſceſſum inter eos, qui membranâ quâdam concluduntur, poſſe referri. Quod ipſum tunc [quidem] temporis me etiamnum ignoraſſe ingenue fateor, quoniam apud priſcos ſcriptores hujus rei omnino nullam, aut certè

certè perparvam mentionem reperi. Si itaque cum humore non ſimul tollatur ambiens membrana, ſive manu Chirurgi, ſive corrodentibus, ac ſiccantibus, facile dictus abſceſſus iterum accreſcet; videtur enim accedere ad naturam *Meliceridis*, quia materia in folliculo continetur, in quo interdum calculus ſublingualis creſcit, uti diximus Scholio ad *cap.* 12. ac *Schenckius obſ.* 388 *lib.* 10. Nec non lithogeneſiæ *hiſt.* 4. teſtatum reliquit. *Paræus lib.* 7. *cap.* 5. dicit, ſi quis hoc impedimentum tutò tollere conetur, cauterio ignito potius, quam ſcalpello utendum, quoniam illud facillimè denuò redit; demonſtrat & ibidem aduſtionis modum.

Petr. de Marchettis poſt tumoris inciſionem ipſam membranam ſingulari dexteritate tollere norat ſucci Chelidonii nonnihil eidem applicans. Quod & ipſum demonſtrat *Velſchius obſ. med. Epiſagm.* 26. *pag. mihi* 17. Idem *Marchettus obſ. med. Chirurg.* 31. *pag.* 73 de haud abſimili tumore ſub linguâ orto memorat, qui jam ovo magnitudine par erat, ſeque pone colli latus dextrum propè venas jugulares, ac carotides arterias ad fauces uſque infra tonſillas, & æſophagum extendebat, quique arteriam tracheam uſque adeo vi ſuâ, & pondere premebat, ut parum abfuiſſet, ni illam ſingulis menſibus diſſecuiſſet Chirurgus, quin ſuffocatus fuiſſet æger, vel nihil omnino, aut certe perparum per fauces immittere potuiſſet. Hunc tamen

 ille

ille tumorem non tantum longâ aperuit inciſione, ſimulque venas, unde ille alebatur, hic illic diſſolvit, atque pro parte radicibus privavit, verum etiam poſtea candenti ferro ipſum tam intus in ore, quam extra ad collum aduſſit, ac ſecundum artem porro intra dies 40. ſuſtulit. Tantus interdum hic apparet tumor, ut dentes inferiores ſuperet.

Nicol. Tulpius obſ. med. lib. 1. *cap.* 52. *fol.* 103 ait, juvenem quendam Gallum ranula ſub linguâ fuiſſe afflictum, quæ ipſi ita oberat, ut vix loqui, nec deglutire ſatiſve inſpirare aërem poſſet. Cum vero Chirurgus, ut hunc angorem tolleret, ſtatueret ſcalpello aperire viam phlegmati emanaturo, jam induruiſſe illud comperit, quare ferro ignito id conſumpſit, ſimulque redeundi occaſionem ſuſtulit. Hic autem ſeriò monet Scriptor, ſi mollis, ac ſequax ſit ranulæ materia (quod facile attactu dignoſcitur,) ne aduratur, ſed excidatur duntaxat ſumma ipſius tunica.

Barbettius Anatom. Pract. pag. 115 pulverem quendam deſcribit, quo ſublatum ſæpius hujuſmodi tumorem memorat. Cui ego tum acceſſerim quodammodo, ſi ille recens ſit, vel pueris accidat.

Refert *Petrus Foreſtus lib.* 14. ſe brevi temporis ſpatio curaſſe puellam ſolâ applicatione ſalis Armoniaci ſub linguâ ſæpius detenti. Idem ſe ab hoc malo liberaſſe ait ſtudioſum ſequenti reme-

remedio, abſque operatione Chirurgicâ.

℞. *Cort. granat.*
hyſſopi ſicci
Salis comm: ã ℥j.
miſce
Fiat pulvis ſub linguâ detinendus, & frequenter iterandus.

Tum etiam decoct. balauſt. aluminis, & gallarum ã part. æquis. Ac denique partem aff: ſale toſto, & gemmæ fricari juſſit.

P. Matth. Roſſius obſ. Chirurg. p. 143. duos vulgo errores in hujus mali ſanatione à Chirurgis committi indicat, queis fiat, ut ſæpius ulceratio poſt apertum tumorem remaneat, unde iterum (quoniam difficulter tollitur) accreſcere non deſinit. Horum autem errorem primum dicit nimis anguſtam inciſionem, dum illud tantum agunt Chirurgi, ut incluſo humori ſatis idoneum præparent tranſitum, cum illa requiratur magna, & ſecundum totius tumoris longitudinem facienda ſit: alterum vocat omiſſionem remediorum membranam conſumentium. Quare ipſe poſt ſatis magnam inciſionem, tenaciſque humoris evacuationem, molli linamento carpto cavitatem replet, præſcribitque ſimul oris collutionem, inflammationis evitandæ, humorumque novi affluxus ſupprimendi ergò, ex refrigerantibus, ſiccantibus, adſtringentibusque remediis. Poſtridie linamenta aquâ alumi-

aluminis deſtillatâ imbuit, quo remedio ſemel tantum uno die utitur, matutino nempe tempore, ne ſæpius imponendo nimius oriatur dolor, veſpertino autem tempore cavitatem iterum replet linamento ſicco, ſyrupo tamen roſarum paululum imbuto, tandem vero ipſam membranam abſtergentibus remediis paulatim diſſolvit, conſumitque.

OBSERVATIO XXI.

Fruſtum fiſtulæ, quâ Tabaci Amatores fumum imbibunt, faucibus inhærens, cauſa mortis.

IPſe inter alia rariora ſervo fruſtum anterioris, tenuioriſque partis fiſtulæ quâ Tabaci fumus in os tranſmittitur, longitudine digiti articulum æquans, quod poſt mortem viri cujuſdam intus è collo excidi. Hic cum multo ſeſe oblectaret fumo, fiſtulam dentibus tenens verſâ in terram facie procubuit ita, ut illa fauces intraret, ibidemque rupta exiguam ſui partem in colli muſculis hærentem linqueret, quæ ipſi vehementis doloris, inflammationis, tumoris, nec non

non angoris, febriſque cauſa fuit, quoniam autem illa non conſpici, nec ullâ ratione tolli poterat, ipſe tertio poſt die occubuit.

IN OBSERVATIONEM XXI.

SImillimi huic noſtro caſus niſi quod, de quo narrat, mortem evaſerit, menimit etiam *D. Ioh. Muys prax. Chirurg. rationalis Decad.* 3. *obſ.* 6. *fol.* 28. Ubi refert de Viro 50 annos habente, & vexato abſceſſu infra aurem, quo aperto, prodiit una cum pure albicante fruſtum fiſtulæ, per quam ante 6 menſes, dum per plateas obambulabat, tabacum ſuxerat, quod in fauces intruſum poſt caſum in terram, eaſdem intus valde læſerat, è quibus ſæpius magna ſanguinis copia effluxit, unde tandem inflammatio ſuborta eſt, & abſceſſus hic originem ſuam habuit.

Plura paſſim occurrunt rerum in faucibus hærentium exempla, ſive illæ aviditate quâdam, nimiumque ſubitâ ingurgitatione ibidem fixæ remanſêre, ſive per jocum, ac de induſtriâ, infortuniove quodam per os immiſſæ in guttur irrepſêre.

Olaus Wormius lib. 6. muſei ſui cap. 9. fol. mihi 374 exemplum profert buxeæ tibiæ quatuor pollicum latitudinem longitudine æquantis, quâ dum Juvenis annorum 17 *Nicolaus Eraſmus* nomi-

nomine canebat, Condiſcipulus, cujus erat fiſtula, eam à ſocio repetiit, quam cum ille reddere nollet, ac canere pergeret, hic incandeſcens colaphum ipſi impegit, qui eum ita tetigit ut in ipſas fauces fiſtula introceſſerit, adeo ut nec manuum, nec inſtrumentorum ope educi potuerit, plurimo interea ſanguine ex ore emanante. Cum jam per horæ quadrantem faucibus inhæſiſſet fiſtula, in ipſum tandem ſubſidit ventriculum, ita ut in dextro animadverteretur latere; quare acerrimis oppugnatus doloribus lecto ſeſe continere debuit, per integrum triduum victus potuſque impatiens, ſomnique neſcius, tertio autem, qui erat lunæ, die, ultrò fiſtulam, non ſumptis medicamentis, per alvum ejecit, ac pedetentim ſanatus eſt, licet propter faucium excoriationem per dies aliquot non abſque moleſtiâ cibis, potuque frueretur.

Similia exempla habet *Schenkius obſ. med. lib. 2. cap. de ſuffocatis à rebus per errorem ingeſtis, impactiſque pag. mihi* 232, ut & *Marcellus Donatus lib.* 3 *cap.* 7. *&* 8, nec non quædam noſtrarum, quæ ſequentur, obſervationum.

OB-

OBSERVATIO XXII.

Annulus gemmâ inſignis ab infante in fauces ingeſtus; eique mortis cauſa.

HOc ipſum, quod proponam, ac ſecutura aliquot exempla, abunde evincunt periculis plurimis infantes objici ab illis, qui ipſis, contenti ut ſint, aliquid durioris materiæ, quodque fauces intrare poſſit, porrigunt. Viginti jam, & qui excedunt, anni ſunt, cum conſpicui cujuſdam Domini infans 20. circiter menſes natus, matris annulo aureo, cui gemma inhærebat, luderet, eumque, neſciâ, cui infantis demandata erat cura, famulâ, per os in fauces ingereret: matre vero paulò poſt annulum repetente, nullibi is apparuit, ipſâ ſuſpectâ famulâ. Interea infans nihil abſque ſummâ moleſtiâ deglutire, ac maximo angore corripi, parentes autem omnem movere lapidem, ſi forte infantis dilatari poſſent fauces. Omnibus autem nequicquam tentatis, ille poſt ſex hebdomadas interiit. Ipſe autem inquirendæ

dæ mortis cauſâ ergo diſſectus tam diu amiſſum annulum reddidit, famulamque ſuſpicione liberavit.

IN OBSERVATIONEM XXII.

PLaterus *obſ. lib.* 2. *pag. mihi* 386 de infante memorat, cui nutrix brachio ejus inſidenti nummum, quo luderet, tradiderat, cum vero hunc in os mitti cerneret, illicò extrahere conante illâ, per fauces is tranſiit, at Oeſophago inhærens nullâ tamen evelli, aut propelli ratione potuit.

Theod. Kerckringius obſ. 1. *fol.* 1. de infante quinque annos nato narrat, qui argenteæ monetæ noſtræ nummum minimum (Batavis vulgò *een beſem-ſtuyver*) deglutiverat, à quo tamen ipſe per totum triduum nihil acceperit incommodi. Quarto autem die de ventris torminibus, extinctoque appetitu conqueſtum ait, ſumptumque ejeciſſe ſcibum, atque ita, diminutis tandem viribus, decimo die mortuum eſſe. Cùm vero extincti apertum eſſet cadaver, dictus nummus jacens ſupra circulum, qui pylorum undique cingens coarctat, non ſecus ac operculum ollæ incumbens, omnem nutrimento ad inteſtina tranſitum præcludens repertus eſt.

*Höechſtetterus dec.*6. *caſ.* 10. aurei Portugalenſis Ducatonis crucis ſigno notati mentionem facit;

facit, quem civis quidam Auguſtæ Vindelicorum dentibus doloris tollendi cauſâ admoverat; has enim auro vires eſſe perſuaſus erat.

Cum jam expergefactus eundem non reperiret, ac nihilominus ſatis benè deglutiret, nec multum impediretur linguæ uſus, dubitavit, num etiam guttur intraſſet aureus nummus. Sed cum paucos poſt menſes rauceſceret admodum, ac macreſceret, Medicorum Chirurgorumque imploravit opem, hi vero uſque ad nummum manus ſuas, inſtrumentave penetrare non potuêre. Ipſe tamen illum poſt duos annos, ac menſes totidem ore ejecit, eratque ejus pars inferior omnino candida, tanquam argento vivo illita eſſet.

Eundem hunc caſum *miſcell. med. phyſ. curioſ. German. decur.* 2. *an.* 2. *hiſt.* 134. *fol.* 299. deſcriptum invenio.

De deglutitione variarum rerum vide ſis, *Helwigii obſervationem* 62. *fol.* 207.

OBSERVATIO XXIII.

Armi Vitulini oſſiculum in arteriam tracheam ingurgitatum.

CUm filia *N. de Swart* menſe Novembri an. 1682. inter prandendum ſorberet liquorem, in quo vitulini armi

oſſa cocta erant, infortunio quodam oſſis particula inæqualis admodum, atque acuta prius in arteriæ aſperæ caput, mox & in tracheam pervaſit arteriam, undè non levis ipſi natus angor, ſed ad ipſum pulmonem penetrante particulâ oſſeâ, continua ferè orta tuſſis, quam poſtea ſanguinolenta ſputa, ac continua febricula, ipſiuſque ſequebatur pulmonis ulceratio. Tandem vero poſt quatuor menſium intervallum oſſiculum hoc ſimul cum purulento ſputo tuſſi eiecit, eâque ipſâ, ut ut tam aſſiduâ, nec non pulmonis ulceratione jam tabem minitante ſatis feliciter liberata eſt.

IN OBSERVATIONEM XXIII.

Asperæ arteriæ operculum aliquod eſt, cui nomen Epiglottis, quod linguæ parti poſteriori affixum etiam tegumenti vice fungitur, ne cibi, potuſve quidquam viam non ſuam intret, utque ſpirandi meatus omni careant impedimento. Plurimis enim contingit, ductibus his obſeſſis, quàm cîtiſſimè ſuffocari.

R. Dodonæus obſ. pag. mihi 304. *ex Alex. Benedict. lib.* 3. *Anatom. cap.* 18. memorat de muliere quadam, cui avellanam nucem morſu fran-

frangere conanti ſubitus admodum ſupervenerit riſus, quo dicta nux in ſpiritus meatum protinus reſpirando devoluta ſit, ipſaque illicò veluti mortua humi procubuerit. Dumque hac opprimeretur anxietate mulier, nux in internas deſcendit pulmonis partes; quo contigit, ut melius ſe haberet illa, quamquam & tum ſatis moleſtè, nec ſine ſonitu quodam obſeſſo meatu reſpiraret: tum vitæ ſpem habere cæperunt, quoniam confractis quibuſdam venulis, vomica in pectore exorta eſt, quæ tandem percurata licet obſeſſis meatibus reciprocantis animæ raucus ſonus perciperetur.

Non multum differt, quod refert *Th. Bartholinus centur. anatom. 2. hiſt. 27. pag. 197.* de fæminâ, quæ inter ridendum avellanæ nucis nucleum dicto modò deglutiebat, undè tuſſis gravis, & violenta ipſi ſupervenit, quæ per duos menſès duravit, cui etiam febris, nec non totius corporis macies acceſſit; illa tamen dictum nucleum tandem tuſſi egeſſit atque ita convaluit.

Alardus Herman. Cummenus miſcell. curioſ. med. phyſ. German. obſ. 3. decur. 1 an. 3 pag. mihi 181. De quodam narrat, qui nucis avellanæ putaminis fruſtum tuſſi ejecerit, quod jam tredecim menſes pulmoni incubuerat. Quo expulſo, cùm antea valdè macuiſſet, integræ ſanitati reſtitutus fuit.

Tulpius lib. 2. cap. 7. pag. mihi 114. avellanæ nucis putaminis mentionem facit, quod digiti unguem magnitudine referebat, quodque propè

arteriæ aſperæ caput in gutture civis cujuſdam Amſtelodamenſis fixum hæſerat per integrum ſeptennium, qui inde continuâ infeſtabatur tuſſi, nec ſine moleſtiâ reſpirabat, unde macreſcebat valde: Quamprimum autem dictum putamen vehementi emiſerat tuſſi, minuebantur accidentia, vitæque periculum, quod ei inſtabat, tum mox evaſit.

OBSERVATIO XXIV.

Pulvis Pyrius è tubo ferreo (Muſquettam *noſtrates vocant*) *in gulam exploſus.*

J*Oh. Goblyn* Gallinas, ac id genus, aves, vendere ſolitus, hîc Hagæ habitans 6. May an. 1649. nundinarum tempore, quo cives in armis eſſe ſolent, ex ejuſmodi tubo explodere pulverem gegeſtiebat incenſum, cum vero dubitaret (ab alio enim cive acceperat) num gravidus eſſet tubus, eum alterâ ſui parte in terram demiſſum, orique admotum inflavit, quod cum faceret, contigit, ut adſtans aliquis caſu inſtrumentum illud, quo ignitus fomes pulveri admovetur,

tur, ita pede tangeret, ut incenſus in inflantis os proſiliret pulvis.

Hinc ejus palatum, gula, gingivæ, nec non lingua uſtulabantur, atque adurebantur leviter. Cumque ipſe cum Chirurgo *Cornelio de Jong* ad hunc vocatus eſſem, poſt venæ ſectionem illi mox oris collutionem præſcripſi ex aquâ plantag. ſperm. ranar. & muccilag. ſem. pſylly, ac cydonior. præparatam, nec non idoneos linctus, lactiſque cremorem dulcem &c.

Quamvis autem ille hæc, uti par erat ſumebat, nullum tamen potum, adeòque minus cibum deglutire valebat, viâ iis occlusâ omnino, atque ſiccatâ ac ita partibus illis ad deglutitionem minus aptis redditis. Quæ alimenti refectioniſque abſtinentia per octo, vel novem (quod magnoperè admirabamur) dies continuos durabat; poſt quos tamen ſeparatio quædam facta fuit, cœpitque ille aliquantum in guttur poſſe immittere ope canthari, cui tubulus affixus erat. Sed cum ſeſe jam omnino ſanatum credebat, maloque liberatum, majore inter deglutiendum, quam

unquam antea, dolore afficiebatur, ſeparatis ſcilicet particulis uſtulatis, mortuiſque â vivis, & integris, omnibuſque circumquâque planè excoriatis. Ipſe tamen, poſt diuturnam veluti cum morte collutationem, tandem plenè convaluit: quamquam poſt ſex, octove ab hoc incommodo hebdomadas, oſſea quædam â palato illius fragmenta ſepararentur.

IN OBSERVATIONEM XXIV.

FElicior longè, nec minus miranda fuit exploſio, quâ (teſte *Thom. Bartholino Centur. Anatom. 6. hiſtor. 98. pag. mihi* 376.) è tubo ferreo ejectus globulus plumbeus, & in Præfecti cujuſdam militum os intrans linguam ejus tangebat, contrahebatque in obſidione *Naſchovianâ*, quod eſt Daniæ oppidulum in occidentaliori Langlandiæ inſulæ parte ſitum; dictus etiam globulus læſi maxillæ inferioris dentium ordinem perrupit, ac per fauces deſcendens poſt quinque dierum ſpatium, ope leniter purgantis remedii per alvûm ejectus eſt; Præfecti illius lingua, gulaque, narrante *Bartholino*, poſt três hebdomadas ita, dante Deo, ad priorem rediêre ſanitatem, ut victum deglutire, ac, ut antea, loqui perfecte poſſet. Globuli hujus impetus non fuit tantus, quia obſtaculo dentium defer-

deferbuit, jam antea itineris longitudine languidior, unde abſque earum, quas præterierat, partium detrimento, ſive aduſtione ad interiora tranſmitti, ac poſtea per alvum emitti haud difficulter potuit. Ceſeberrimus Medicus *Steph. Blankardus Collect. Med. phyſ. centur.* 4. *obſ.* 39. *fol.* 310. De quodam narrat, qui conſimilis tubi periculum facturus gravidum quidem eum reperit, ſed obturato foramine, per quod ignis intrat, pulvis etenim interior ad ictum non proſiluit: quare ille ignito intubum immiſſo clavo, &, necdum emiſſo pulvere pyrio illum inflavit; quo tempore erumpente pulvere nitrato per os in linguam introiit clavus, ad digiti latitudinem, ita ut nihil omninò appareret. Ipſe tamen, nullis præcipuis partibus læſis, â perito admodum Chirurgo, qui idoneo adhibito inſtrumento eduxit clavum, brevi injectionibus, & collutionibus oris curatus eſt.

OBSERVATIO XXV.

Abſceſſus in faucibus cum cibi, potuſque per novem dies continuos abſtinentiâ.

GUbernatrix Noſocomii *Scheveringani* corpore tenuis admodum, at ſanguine abundans violentâ vexabatur febri, non ſine magnâ gulæ inflamma-

 tione,

tione, ac tumore, quem *Synanchen* dicunt. Quamvis ipſi vena ſciſſa, aliaque remedia uti decebat, admota eſſent, muſculi tamen œſophagi ita ipſi obſidebantur, ut per 9 dies nec cibum, nec potum intromittere poſſet, nihil etiam liquoris (ita ipſa retulit) per fauces deſcenderet, at omnia in os immiſſa per naſum emitterentur; ita ut vita ejus periclitaretur, accedente etiam vocis defectu. Verum nono die liberata fuit, ruptuſque unâ faucium parte fuit abſceſſus, dieque ſequenti pariter alterâ parte: ita ut temporis tractu ad priorem redierit valetudinem.

IN OBSERVATIONEM XXV.

QUærere haud immerito quis poſſet, anne talibus caſibus, quales poſteriores duos propoſui, clyſteriis nutrientibus non ſit utendum? an & inſuper horum beneficio corpus nutriatur? Quamvis valvula, quæ tenuia inteſtina à craſſis ſeparat, contrarium velle videatur, ac licet veroſimile ſit requiri, ut cibus antea in ventriculo fermentetur, ibique in album vertatur chylum, nihilominus tamen opinor aliquo modo clyſteria nutrire poſſe, quam-

quam

quam non ita, quàm ſi idem nutrimentum per os in ventriculum fuiſſet demiſſum.

Hoc ipſum quotidianus uſus docet; quia ejuſmodi clyſteres nutrientes à plurimis jam olim medicis non ſine laborantium commodo abhibiti fuere. Hicque agendi modus apud Italos, Hiſpanoſque medicos tam viris, qui non aliter poſſunt ali, quam fæminis, quæ Uteri ſuffocatione laborant, maxime in uſu eſt.

Idipſum *Galenus etiam admitit lib. 3. de cauſis ſymptom. cap.* 2, ubi apertè fatetur clyſteres in quibuſdam tam altè aſcendiſſe, ut per vomitum fuerint ejecti, velut in volvulo, aut in herniâ fieri ſolet, quâ de re 57. obſervatione agetur.

Placuit jurulentorum infuſio per alvum etiam *Celſo lib. 3. cap.* 20, nec non *Abenzoari, Oribaſio, Mercuriali quæſt. Piſanis hiſt.* 21. *Andr. Laurentio lib. 6. quæſt.* 14, *Bartholino Controverſ. andtom. quæſt.* 12. *pag.* 401. *Tulpio obſ.* 42. *lib.* 1. *pag.* 83., *M. Sebiſio exercitat. med. pag.* 245, *Peyero de glandulis pag.* 91. *& ſeqq.* Ut & *Anthon. Muſæ Braſſavolo, comment. ad ſect.* 35. *lib.* 4. *Hippocratis de morb. acutis pag.* 114. *& comm. ad Aphoris* 15. *lib.* 2. *Hippocratis.*

Hic enim, ſervavimus, inquit, in vitâ mulierem religioſam Synanche laborantem 9. dies continuos ſolo clyſterum uſu, quæ poſt convaluit. Habemus ergò ait, ubi fauces ſunt occluſæ

cluſæ, medium quoddam, quo homo conſervari poteſt, licet aliquot dierum ſpatio nihil deglutiat.

G. Fabrit. Hildan. cent. 4. *obſ.* 30. *pag.* 311 de gravidâ muliere refert, quæ per 6 hebdomadas à cibo, potuque penè quovis abhorruerit, ac clyſterum nutrientium uſu ſalva cum fætu ſuo evaſerit.

Foreſtus lib. 15. *ſchol. ad obſ.* 30. *pag.* 168. teſtatur de *Joh. Tiengio*, qui medicinam fecerit devotæ cuidam, quæ abſceſſu faucium laborabat qui vigeſimo demum perrumpebatur die, ita ut tum demum victum per gulam immittere potuerit; interea dictus Medicus ipſi enema ex lacte ac ovorum vitellis conſtans præparari juſſerat.

Amatus Luſitanus cent. 1. *curat.* 100. *pag. pag. mihi* 133. de Nobili memorat matrona, quæ anginâ laborabat, quæque per octo dies nec edere, nec loqui poterat, quam ipſe injectis per clyſteres juſculis ſuſtentabat, ac vivam conſervabat.

Quin etiam miſſâ experientiâ, ipſa docet ratio nutrientia enemata prodeſſe multum poſſe. Quamquam enim hoc qualecunque alimentum ad inteſtina tenuja non tranſeat valvulæ intuitu propè initium Coli ſitæ, inteſtina tamen ejuſdem ferè ſunt temperamenti, ac ſubſtantiæ, cujus eſt ventriculus: Ita ut cum eo etiam potentiam quandam chylificandi nacta ſint, præcipue Colon,

lon, quod eſt carneum, uti loquitur *Galenus lib. 4. de uſ. part. cap.* 17. habetque hoc inteſtinum diverſas cellulas, in quibus quod in anum injectum eſt, aliquomodo continetur: illud etiam ſitum eſt in loco ſatis calido ſub ventriculo ſcilicet, ac diaphragmate prope jecur, & lienem, &c.

Nonnulla etiam in inteſtinis craſſis dantur vaſa lactea, ac glandulæ, quæ nutrimentum ibidem nonnihil alteratum ſuſcipiunt, & deferunt ad ſanguinem, quo mediante per totum diſtribuatur corpus, licet enim ea adhuc (quod ſciam) in homine non ſint detecta, quod in cadavere ſubitò diſpareant, & conſpectum fugiant, nihilominus obſervarunt quidam in cuniculis recenter mactatis lactea eſſe conſpicua in craſſis inteſtinis, quid ni hoc etiam locum habere poſſit in nobis, quamvis homine jam mortuo non appareant? quid ni etiam nutriens ſuccus æquè ibidem penetrare, vimque ſuam intus exercere poſſet, quam compertum fuit olim purgantia, ac narcotica remedia ſuam monſtraſſe virtutem?

Nec dubium eſt, quin blandi vapores clyſterum nutrientium per poros inteſtinorum eant ad ſanguinem, ingrediendo poros vaſorum ſanguiferorum, & eodem modo reficiant, quo vini, panis calidi, aquæ vitæ, carniſque aſſatæ odor naribus receptus vires dejectas reficit.

Nonne eâdem ratione clyſteres anodyni, & emollientes operantur in dolore Nephritico? Nonne

Nonne videmus clyſteres valde penetrantes aquas Hydropicorum ex addomine elicere, quatenus eorum liquor poros inteſtinorum aperit, unde particulæ aquæ fluxiles tranſire poſſunt, & per inteſtina excerni? Huc accedit, quod ejuſmodi nutrimentum, per inteſtinum rectum infuſum, facilè intus mutetur, & digeratur, quoniam ad chyli ſubſtantiam quàm proximè accedit, noſtroque corpori valde aptum, & amicum eſt, uti verbi gratiâ ſunt lac, juſculum carnis cum vitellis ovorum, &c.

Quod antem *Galenus dicto loco lib.* 3. *de ſymptom. cauſis* dixit, de ventriculo, qui malè ſe habet, intelligit: benè enim ſe habente illo, nunquam liquor per clyſteres ingeſtus eò transferetur; Sin contra, ac magnus illi ſit appetitus, non tantum injectum liquorem, ſed & fæces alvi attrahet: Duplex enim inteſtinorum motus periſtalticus eſt, ſecundum naturam alter, alter præter eam: Quod autem ad dictam valvulam attinet, quod de eà dixi, cum hac diſtinctione accipias, velim, quod hæc membrana difficulter quidem aliquid ab inferioribus partibus tranſmittat ad ſuperiores, ac hoc omnino fieri non poſſe, quis aſſeret? *Th. Kerckringius obſ. ana.* 31. *fol.* 27. teſtatur variis experimentis ſibi videre contigiſſe valvulam iſtam coli notiſſimam non ita occlūdere inteſtinum, ut nihil unquam pertranſire poſſit. Narrat ille de fæminâ Harlemenſi, quæ, dum clyſteres injiciebantur, eos halitu ſuo ita ſurſum attra-

attraxerit, ut nauſeabundus ſtomachus ea ejiceret, quæ manifeſtè eum, qui materiæ clyſteris fuerat, ſpirarent odorem.

Licet craſſa, & oculis expoſita clyſterum ſubſtantia (inquit *Velthuſius de generatione fol. 275.*) ad ſuperiora inteſtina, aut ſtomachum non pergat, pars tamen ſpirituoſior, vaporis modo ſanguini & ſpiritibus miſcetur, quibus roborantur, & detrimentum reſarcitur, quod frequenti circulatione paſſi ſunt ſpiritus.

Si quis autem vereatur, ne impuritate excrementorum alvinorum nutriens liquor inquinetur, atque ita incaſſum fiat labor; poterit ille detergente enemate aliquoties inteſtina abluere.

OBSERVATIO XXVI.

Pus ex abſceſſu ad exteriorem colli partem per nares emiſſum.

NOn ita diu eſt, quod ad infantem tres annos habentem hîc hagæ vocarer, qui in collo propè venam jugularem abſceſſum habebat pugno ſuo magnitudine parem, quo loci contenta materia jam ante ſex hebdomadas ſeſe conferre cœperat; quando idem ſubitò minuebatur, quoniam infans puris partem

benè

benè magnam naribus emittebat, quod ipſe mirabar ſummopere; ſtatueram namque jubere abſceſſum ſcalpello incidi, quâ operâ tum ſuperſedi, ac poſtridiè iterum puris aliquantum dicto modo effluxiſſe intellexi; narravitque mihi tum infantis mater eundem ante ſex menſes in adversâ parte eodem loco haud abſimilem abſceſſum habuiſſe; quo tum temporis ſectione aperto, ac poſt puris ejectionem mundato, ſanatus fuerat ille.

IN OBSERVATIONEM XXVI.

Viam, quâ iſta effluxerit materia, me non noſſè ingenuè fateor, ſicuti nec memini ullum unquam exemplum tranſlati puris mihi accidiſſe circa illas partes. Verum fortuiti eventus aliquando ægris nec opinantibus ſalubriter obveniunt, & monſtra in Medicinâ fiunt, quæ mirari magis, quam ratione aſſequi licet.

R. Dodonæus Medicinal obſ. cap. 16. *fol.* 38. puellæ meminit binos annos natæ, cujus utraque tonſilla admodum inflammata erat, ac licet ipſa, propter ætatem, ſatis idoneis uti non poſſet remediis, ejus vires tamen adeô invaluere, ut ad exteriora malum propulſum ſit. Ab utrâque enim colli

colli parte infra aures abſceſſus apparuit, quo utroque ſcalpello inciſorio aperto, pus effluxit illicò, ac puellula tonſillarum tumore liberata, atque priſtinæ valetudini reſtituta eſt.

Cuidam in brachiis ambobus vulnerato, pus per alvum exiit, vulneribus ſiccis, uti fidem facit *Höechſtetterus obſ. med. dec.* 7. *caſ.* 6. *fol.* 120.

Pus à læſis artubus in alvum fluxiſſe ſcribit *Schenkius fol.* 433.

Certum eſt in corpore viventi omnia magis fluxilia, ac conſpirabilia eſſe, quam in mortuo, in quo omnia non tam benè oculis apparent, ita ut mirari nemo debeat vias quandoque ad exonerationem dari nobis incognitas planè, atque occultas. Namque ad expellendum quidpiam quod obeſt, via ſæpe ſternitur alioquin inuſitata, atque antea omninò invia: cujus rei plurima quotidie occurrunt ſpecimina, Ita *Fabrit. Hildan. centur.* 1. *obſ.* 81. *ait*, cum apoſtema propè humerum infantis tres menſes nati repertum ſerius aperiretur, pus per partes inferiores exitum quærens, in abdomen ad partes ſpermaticas deſcendiſſe, ibique, motu ſanguinis tardiore facto, & ſpiritibus deficientibus, poſtea putrefactionem, ac deinceps gangrænam ortam eſſe.

Ac *centur.* 5. *obſ.* 51. *pag. mihi* 438. quandam nobis proponit matronam, quæ aniſi ſemen, carbonum fruſta, nec non pilos unà cum urina reddidit.

Pigræus

Pigræus de vuln. in ſpecie cap. 14. *lib.* 4. *pag.* 390. ſcribit militem quendam globo plumbeo pectus ſaucium, poſtquam tres, quatuorve menſes jam curatus eſſet, coſtæ fruſtum abruptum ſatis latum, ac tres digitos latos longum, per arteriam aſperam emiſiſſe.

Ambroſ. Pareus lib. 24. *operat. Chirurg. cap.* 19. *pag. mihi* 567. itidem de milite narrat, cujus abdomen tubi minoris globo ictum erat; quem globum ille poſt graviſſimos dolores, cruciatuſque nono demùm ab accepto vulnere die per alvum ejecit; atque intra tres hebdomadas ſanatus fuit.

Mercatoris etiam cujuſdam uxoris dextram natem acu læſam fuiſſe caſu refert, dum illa equo extra urbem veheretur, ac tam profundè ſeſe inſinuaverat acus, ut nullâ ratione evelli poſſet; illa tamen poſt menſes quatuor jam ferruginea ex ejuſdem lateris inguine educta eſt.

Alex. Bened. obſerv. Dodonæi pag. 300. meminit cujuſdam virginis, quæ acum, ornatus ergò inter capillos geſtari ſolitam quodam tempore inter dentes ſomnum captura poſuerat, cumque eandem per errorem ſopore penè victa deglutiiſſet, decem poſt menſes eandem cum urinâ reddidit.

Th: Bartholinus Cent. 6. *hiſt.* 99. *pag.* 378. de virgine memorat, quæ acum deglutiverat, cuique ab illo tempore per quatuor annos inſequentes nihil ſupervenerat mali; illa tamen pungentem

gentem admodum dolorem denique cum tumore intus in crure animadvertit, unde poſtea prodiit acus.

Narrat etiam de milite quodam Sueco, cujus abdomen in Hafniæ obſidione fragmine ferreo inæquali è tormento erumpente ſaucium erat, quod ipſe haud diu poſtea, ſed non abſque acerrimis cruciatibus, ſimul cum urinâ excrevit, atque ita ſanatus eſt.

De furioſo quodam homine dictus ſcriptor ibidem narrat, qui tria ferrea fruſta per fauces tranſmiſerat, quæ decimo poſt menſe per ejus tergum, atque ex abdomine extrahebantur.

Plura ejuſmodi huc adducere non uſque adeo utile, ac vix operæ pretium duco.

OBSERVATIO XXVII.

Raucitas inſanabilis è frigidæ cereviſiæ hauſtu.

QUam multa, ac quam diverſa non hominibus tantum, verum & animalibus majoribus, ac fortioribus multò, ſuperveniant incommoda, cum ipſa anteà labore calentia externo occupantur frigore, frigidove paulo poſt ſitim reſtinguunt potu, plus ſatis ipſe

rerum demonſtrat uſus. Sæpiuſne contingit multis hâc de cauſâ aut in graviſſimos morbos, periculoſoſque, ut ſunt vehementiores febres, Pleuritis, Peripneumonià, paralyſis, &c. incidere, aut diututno tempore veluti contabeſcere? Quamquam non ita periculi plenum ſit, incommodi tamen multum adferens, rariuſque mihi videtur, quod exponam, exemplum. Mulieri cuidam defeſſæ laboribus, ac ſudore toti quantæ perfuſæ, frigidoris cereviſiæ hauſtus inſignem ſine tuſſi, catarrhove ullo raucitatem attulit, ut vix ſonum reddere poſſet, quod diu admodum ipſi adhæſit incommodum, nec unquam, quod ſciam, eo fuit liberata, idoneis licet ſæpius uſa remediis.

IN OBSERVATIONEM XXVII.

VEriſſimum eſt illud effatum *Hippocratis lib. de aëre, aquis, & loc. ſect.* 3. *fol.* 283. *Per hyemem glaciatæ, frigidæque, & tum à nive, tum à glacie turbidæ ſunt aquæ, adeoque maxime pituitam gignunt, & raucedinem excitant.*

Laz: Riverius centur. 11. *obſ.* 80. *pag.* 173. tradit hiſtoriam de virgine quadam, quæ exter-

no

no aëre frigefacta graviſſimâ laboraverit raucedine, quæ itidem ipſi abſque tuſſi, & dyſpnæâ, nec non præſentibus catarrhis ſupervenerat: Illa quidem per ſex menſes duravit, variis nequicquam remediis adhibitis. Tandem vero è dormientis aure modica aquei hnmoris portio effluxit, atque exinde iterum rectè loqui poſſe illa cœpit. Concludere hinc quiſquam poſſet dicti humoris quandam fuiſſe in cerebro collectionem, eumque in aliquem illius nervi incidiſſe ramum, qui à quinto pari ad muſculos laryngis pergit, quo vox ipſa formatur, unde factum ſit, ut muſculi illi veluti paralyſi fuerint affecti: Quamquam plerumque hinc oriatur raucitas, quod nempe membrana, quæ laryngem, tracheamque arteriam inveſtit, aſpera, atque inæqualis fiat deſtillatione quâdam, quæ è cerebro proveniens in vocis inſtrumenta manans incidit. Cum enim aſpera arteria lævis facta eſt, & ea benè ſeſe habet, vox lenis, & moderata editur, ſi vero naturalis lævitas, & æqualitas tollitur, inæqualiter etiam aër illiſus repercutitur, atque inde vox rauca efficitur. Cui incommodo pellendo idoneum valde eſſe *Syrupum Eryſimi Matth. Lobelius ſcribit, qui hiſt: ſtirpium pag.* 103. *ſe non tantum puellam quandam, decennali, ſed & alios diuturnâ admodum, ac propè inexpugnabili raucitate dicti ſyrupi ope liberaſſe refert.* Sed & ipſe ſæpius ejuſdem virtutem ſum expertus, videruntque

 præ-

præter me optimas illius operationes ſcriptores optimi *Simon Schultzius miſcell. curioſ. med: phyſ. decur.* 1. *an.* 3. *p. mihi* 275, ac *N. Fontanus prax. c.* 11. *de Raucedine p.* 131. aliique.

Dictus *Riverius* poſt quatuor menſes ſimile ſibi obueniſſe in quadam virgine exemplum memorat, quam per octo jam menſes illud infeſtaverat malum: quare ille de puellæ incommodo jam omnino certus ejus corpore venæ ſectione, ac purgantibus requiſitis præparato, ipſam porro decocto *ligni Guajaci, ac rad. ſalſæ parillæ*, quod etiam purgabat, quodque viginti dies continuos cum ſimplici dictæ *ſalſæ parillæ* decoctione, ac denique per triduum continuato in balneo ſudore percuravit.

OBSERVATIO XXVIII.

Varii Lapilli è pulmone per tuſſim ejecti.

CONſanguineorum meorum aliquis Juvenis admodum, ac aſthmate laborans, licet haud ita graviter, ſæpius querebatur lecto ſeſe vix continere poſſe veſperi, cum cubitum iret, ita ut ab eodem revertens quandoque ad inferiores ædium partes ſeſe conferret, quandoquidem maximo circa pectus angore ſe corripi diceret, quantum ad reliqua ſa-

ſatis bene ſe habens. Longo poſt tempore compertum eſt illum aliquot lapillos piſis ſimiles, quoſdam etiam iis majores, ac nonnullos minores, æquales alios, alios autem inæquales admodum, aſt univerſos foraminibus plenos, ac ſpongioſos, tanquam pumices tuſſi ejeciſſe, quam poſtea ipſius ſequebatur pulmonis ulceratio, ac poſtremo letifera tabes, intra biennium eum ad plures rapuit.

IN OBSERVATIONEM XXVIII.

CRescente Aſthmate viſcoſus, ac lentus pulmonis humor in lapillos vertitur propriâ ſingulos membranâ veſtitos, ſcribente *Joh. Fernelio Patholog. lib.* 5. *c.* 10. *pag. mihi* 106. Id ipſum confirmat *Matth. Tilingius miſc. curioſ. med. phyſ. decur.* 1. *an.* 6. *pag. mihi* 176, nec non *Caſp. Hoffm. apud Cratonem conſil.* 91.

Hoc autem malo laborantes vix lecto contineri poſſe demonſtrat *Williſius cap.* 12. *De Aſthmate Pharmacop. rationalis part.* 2. *pag. mihi* 151, cum ait: quod corpore ſtragulis
„ coöperto, & concalfacto ſanguis in motum
„ paulo citatiorem concitetur, & ferveſcat,
„ quare uberiorem aeris inſpirationem requirit,
„ quam per tracheæ ductus coarctatos ſuppleri

 „ queat

„ queat: Quo enim plus ſanguinis ſingulâ ſy-ſtoles, & diaſtoles vice pulmones traycit ideò propter accenſionem, ſimulque eventilationem ejus, aer copioſius, & celerius ingeri, regerique debet: cui penſo (cum propter impedimenta non facile abſolvitur) tamen quoquo modo per-agendo, partium omnium reſpirationi dicata-rum, cum magnâ totius pectoris contentione, conatus ultimi exeruntur. Porro ſanguis agi-tatus in prædiſpoſitis non tantum aſthmatis occa-ſio, ſed aliquatenus etiam cauſa exiſtit: nam proinde vaſa ſanguifera intra pulmones ma-gis impleta, & diſtenta ductus tracheales jam jam anguſtos comprimunt, & multo arctiores reddunt.

P. Ægineta cap. 31. *pag. mihi* 320. quen-dam ſe noviſſe ait, qui, poſt quatuor vel quin-que lapillorum è pulmone proventum, tabe in-terierit.

Anthon. Benivenius obſ. med. cap. 24. *p.* 175 mentionem facit lapidis, avellanam nucem æquan-tis magnitudine, ac tuſſi è pulmone producti.

Paulo majoris menimit *Prævotius* apud *Rho-dium obſ. med. cent.* 2. *pag.* 67. *Zacut. Luſita-nus prax. med. admir. lib.* 1. *obſ.* 95, de cal-culo etiam nucleo Dactyli magnitudine non ce-dente narrat.

Bartholinus actis tom. 1. *pag.* 192, de alio refert, qui primo pollicis articulo par erat.

Ipſe nuper anno 1682. unum vidi tantum, quan-

quantum eſt gallinaceum ovum minus, quem faber lignarius, cui Joh. Jacobi nomen, 25 annos natus, gravi admodum tuſſi poſt diuturnum aſthma, quod maximus comitabatur angor, anno 1681. ejecit, ſanatum ſe omnino jam credens, nec tamen ultra ſex, ſeptemve ab eo tempore vitam producens hebdomadas.

Nucis juglandis magnitudine in pulmonibus ſe inveniſſe ait *G. Fabrit. Hildan. cent.* 2. *obſ.* 29.

Ottho Heurnius ſuis obſ. refert de Scoto quodam annorum 28 extincto crudis tuberculis, quæ totum pulmonem obſidebant.

Scio, præſenti Nobiliſſ. Viro & expertiſſ. Anatomico *D. Ludov. Bilſio*, hic Hagæ ultra trecenta, & quinquaginta dura, variæ magnitudinis, & figuræ corpora, quorum alia lapidoſæ, alia vero cartilaginoſæ, & aliis modis compactæ erant ſubſtantiæ, è pulmonibus Moloſſi educta fuiſſe, quorum maxima caſtaneæ, minima vero piſi magnitudinem æquabant.

OBSERVATIO XXIX.

Vulnus in oſſe Sterni.

CUjuſdam hic Hagæ habitantis ante aliquot annos gladio læſum erat os Sternon: Quamquam autem Chirurgus du *Foix*, vulgo *Lucq*, ſpecillo non ſatis

diſcernere poſſet propter dicti oſſis cartilaginem, an in ipſam pectoris cavitatem penetraſſet vulnus, nec ne; ſymptomata tamen eum poſtea docuere dictum os illius gladii punctione omnino fuiſſe perforatum: Quoniam vulneratus præter Dyſpneam, ponderis nonnihil medio in pectore animadvertebat, licet pus non eo modo huc illuc agi ſentiret, quam quidem eo propter ejuſmodi collectionem in Diaphragma demiſſo percipi ſolet: Credebatur itaque illud contineri intra mediaſtini duplicaturam. Quare concluſum fuit trepano aperiendum dictum os; quo non ſine multi puris exoneratione facto, læſus tractu temporis perfectæ reſtitutus eſt valetudini.

IN OBSERVATIONEM XXIX.

IPſe ſæpius, cum primum Medicorum numero adſcriptus aliis Medicinam facere inciperem, diſceptavi, haberetne Mediaſtinum naturaliter intus circa os ſternon quandam cavitatem nec ne. Tandem vero diſſectione cadaveris comperi in eodem nullam quidem eſſe cavitatem, verum ejuſdem duplicaturam plurimis interve-

nien-

nientibus fibris, ac membranaceis filis cohærere, haud aliter, quam pia mater duræ, aut hæc cranio alligata eſt.

Mediaſtinum, ſcribente *Barbettio Anatom. pract. fol.* 137. viſibilem in hominibus cavitatem non habet, quæ ipſi in canibus, aliiſque quibuſdam animalibus eſt. Interdum tamen poſt inflammationem aliquam intra binas has membrans pus, quod per pulmones ejici, neutiquam poteſt, colligitur. Quare terebret Chirurgus os Sternon dicto caſu, penicilliſque, ac ſpongiis, ſimilibuſque aptis inſtrumentis pus educat, re- requiritur.

Inter mediaſtinum, inquit *Columbus Anatom. lib. 9. cap.* 3. quod in duas partes Thoracem dividit, aliquis humot colligi poteſt, qui itidem per apertum os ſternon ſatis tutò emittitur. Illud tamen vix admittit *Ambr. Paræus lib.* 3. *anat. de part. Thoracis cap.* 7. *fol.* 82. dicens: Velle „ equidem ſibi à Columbo demonſtrari, qui- „ bus indiciis certò quis confirmare poſſet ejuſ- „ modi materiam eò loci conveniſſe.

Verum enim vero è gravitate quâdam ac pondere, nec non cordis oppreſſione, difficilique reſpiratione illud ipſum cognoſci poteſt, quod mox alio exemplo probatum imus.

Carpus in hac cavitate etiam fiſtulas vidit, quibus puris aliquot unciæ contineri poterant.

Sanguis, notante *Wepfero obſ. Anatom. pag. mihi* 354. copioſe inter Mediaſtinum, atque os

Sternum colligi poteſt; vaſa enim ſanguinea per hunc locum tranſeunt, dictaque membrana quam facillime ab eo oſſe recedit; ita ut inde nonnulli (at perperam) concluſerint vacuum quendam locum inter illam membranam, ac dictum os naturaliter dari. Porro, novi inquit, „ Ruſticum ſenem, qui multis annis ſub ſterno „ empyema ſuſtinuit, quod juxta cartilaginem „ enſiformem in ſiniſtro latere ſibi exitum para- „ verat, quoties fiſtula occludebatur, aut à pu- „ re concreto obſtruebatur, à pure ſtagnante „ valde angebatur circa præcordia, difficulter „ reſpirabat, ac dolorem aggravantem, & ten- „ ſivum patiebatur: quamprimum vero fiſtula „ turundis è radice gentianæ dilatata pus copio- „ ſe profuderat, ſtatim meliùs habuit, & ali- „ quot annis ſatis commodè vixit. De ejuſmodi abſceſſu inter duplicaturam mediaſtini poſt mortem invento mentio fit *Scholio ad obſerv. noſtram* 32.

OBSERVATIO XXX.

Vulnus per pectus penetrans.

ANte annos aliquot quidam *Etteley* nomine, vulnus in tergo accepit gladio, compertumque ejus fuit prope omoplatam initium, finis autem non longè

à

à mammillâ, inter muſculos pectoris intercoſtales anteriores, toto pectore, exceptâ cute anteriore perforato. Ille mox poſt inflictum vulnus ingentem ſanguinis tuſſi ejecit copiam, me nec non Chirurgo *Arnoldo de Wilde* non dubitantibus de conſiderabili ipſius pulmonis læſione. Tumor etiam non levis circa papillam conſpiciebatur inſtar ſolitæ mammæ fæmineæ. Nihilominus tamen ille, his ſeſe ita habentibus nobiſque haud parum de ejus curatione ſollicitis, intra binas hebdomadas omnino percurato vulnere, convaluit.

IN OBSERVATIONEM XXX.

FIdem vix invenerit quiſquis perforato, & transfoſſo pectore toto, læſum nihilominus priſtinæ valetudini reſtitui poſſe dixerit. Verum nullus dubito, quin noſtro *Etteley*, dum aërem exhalaret, vulnus illatum fuerit, ac vaſa majora, contrahente ſe pulmone, atque intus adducto, ita manſerint intacta. Quod etiam *Bartholino cent.* 6. *hiſt.* 81. *pag. mihi* 338. ut & *hiſt* 96. *cent.* 5. *pag.* 173. nec non *Foreſto lib.* 6. *obſ. Chirurg.* 17. *pag. mihi* 30. *obſervatur.*

Nobilis quidam, referente *Pigræo de vuln: thora-*

EST...

thoracis lib. 4. *cap.* 14. *pag.* 390. in anteriore pectoris parte non longè à mammâ vulneratus fuit enſe, ita ut vulnus anteriori pectoris parte intrans, poſteriori exiret, quod equidem illæſo pulmone fieri non potuit: Vulnus erat valde ſtrictum, ſimplex, nec aliud pus habens, quam quod habet id vulnus, quod ſanitati proximum eſt, corpus nullâ febri, nulliſque aliis ſymptomatis laborabat. Id cum animadverterem, reliquam curationem, inquit, naturæ reliqui, morbuſque paulo poſt ſanatur, & convaleſcit æger, functionibus naturalibus utitur, ſed quadrageſimo circiter die febre corripitur, cum aliquâ reſpirandi difficultate, tertioque exinde die per tracheam arteriam plus, quam libram albicantis, ac ſatis probe cocti puris ejecit, atque tum poſtea ad priorem rediit ſanitatem. Non multum abhorrentia legas apud *Franciſc. Arcæum lib.* 2. *cap.* 1. *de curand. vulneribus*; *& ejuſdem lib. cap. ult.* Nec ſubſiſtet hîc fortean, quiſquis hæc legerit, ſed, unde ille mammæ tumor, quo de ſuperius ſermo fuit, ortus ſit, inquiret.

Certum equidem eſt, nos in dicto patiente potuiſſe animadvertere non niſi flatum quendam dictum tumorem excitaſſe, quoniam ille & mollis erat admodum, & ejus contactu nullo omninò, aut leviſſimo ſaucius afficiebatur dolore, aliquod inſuper inter premendum exaudiebatur murmur.

Th: Bartholinus centur. 5. *hiſt.* 12. *pag. mihi*

19. *&*

19 & *centur.6. hiſt.* 89 *pag.* 354. haud abſimilis tumoris mentionem injicit; erat autem ille non membri partiſve tantum unius, ſed totius plane corporis è vulnere pectori inflicto ortus. Hujus autem ille tumoris cauſam dubiam omninò ſtatuit, cum dicit: *Intumeſcere fortaſſis corpus, quod, pulmone læſo, ſanguinis retardetur circuitus, unde frigore corripitur corpus, adeoque factis tumeſcit flatibus.*

H. Smetius lib. 10. *miſcel. med. pag.* 541. Juvenis cujuſdam meminit, cujus pugnantis latus ſub axillâ dextrâ intra tertiam, ac quartam coſtam non ſine ipſius pectoris perforatione tenui gladio lædebatur, cuique poſtridiè totum intumeſcebat corpus; integrum quippe pectus, necnon tergum, venter, ſcrotumque imò etiam collum, humeri, brachiaque, ac ipſe vultus, cervixque ita tumebant, ut nec palpebras aperire poſſet. Inſoliti autem hujus, monſtroſique Symptomatis cauſam dictus ſcriptor ſtatuit pectoris efflationem per vulnus axillare obſtructum ſubter cutem accidentem, quo modo videmus veſicam recentem, flaccidamque, inſerto calamo per flatum intumeſcere, & ſicuti laniones pellem ovillam, antequam, & quo facilius deglubant, flatibus diſtendere alicubi ſolent.

Laz. Riverius obſ. communicatis à Petro Eſtanove Chirurgo Monſpelienſi obſ. 1. *fol.* 370.
„ ita ſcribit: Quidam miles haſtâ confoſſus,
„ eſt, in parte thoracis anteriori, vulnere ad
„ illius

„ illius capacitatem penetrante: intra duas ho-
„ ras ab accepto vulnere, univerſus corporis
„ truncus unà cum ſcroto utris inſtar inflatus eſt,
„ quæ tamen inflatio furfure torrefacto, &
„ calente, variis ſacculis incluſo facile diſ-
„ cuſſa eſt.

Simile admodum vulnerati pectoris exemplum vidiſſe ſe refert *Sennertus lib.* 3. *prax. part.* 6. *ſect.* 2. *cap.* 4. *fol.* 339, placetque illi à *Smetio* data tumoris cauſæ ratio; *Williſio* autem diſplicet. Hic enim *Pharmaceut. rationalis part.* 2. *cap.* 4. *pag.* 211 inconcinno ſpirituum or-
„ dini tumorem hunc attribuit: In pectore enim,
„ inquit, prope axillas, magni, & perquam in-
„ ſignes (quales ſe deſcripſiſſe dicit ſuâ neurolo-
„ giâ) extant nervorum plexus, per quos ner-
„ vi totius corporis inter ſe communicant: qua-
„ propter plexu iſthoc nerveo per gladii pun-
„ cturam forte transfixo, primo ſpiritus ibidem
„ hoſpitantes irritati ἀταξίας ineunt, dein
„ conſenſu per nervos alios eximios ſtatim facto,
„ & quaquaverſus huc illuc tranſmiſſo, ſpiritus
„ alii, & ſubinde alii pares inordinationes con-
„ cipiunt, atque membranas, fibraſque nerveas
„ (quas ubique tumultuarie ſubeunt) inflantes,
„ totius corporis affectionem quaſi Tympaniti-
„ cam inducunt. Propter ſimilem furorem,
„ ſive oeſtrum virulentum ſpiritibus alicubi im-
„ preſſum, & inde mox longe, lateque diffu-
„ ſum, toxica quædam epota, telorum, aut
„ fe-

„ ferarum ictus, vel morſus venenoſus, ſepenu-
„ numero partis unius, plurium, aut totius cor-
„ poris intumeſcentiam inducunt. Complures
„ alii ſubſunt caſus, & inſtantiæ, quibus cla-
„ riſſimè evincitur ſpiritus animales irritatos.
„ & in excandeſcentias actos, quatenus fibras
„ nerveas impetuoſius ſubeunt, partes impri-
„ mis membranaceas intumefacere, & multas
„ ex iis paſſiones excitare, quæ vulgo, ſed per-
„ peram flatibus adſcribi ſolent.

Roget quiſpiam: cum ſanguis poſt inflictum vulnus è vaſis pulmonis diſciſſis per vulnerati os ſtatim magnâ copiâ effluxerit, cur idem, aut ſaltem ejuſdem portio verſus diaphragma non deſcenderit? Reſpondendum, ejuſmodi deſcenſum ſanguinis fieri non poſſe his, quibus pulmo ſub puncturâ coſtis annectitur.

OBSERVATIO XXXI.

Vocis defectus ac Paralyſis poſt læſum pectus.

JUvenis cujuſdam 18. circiter annos habentis, hicquæ Hagæ habitantis gladio vulneratum fuit pectus, unde ille mox procubuit, ac tanquam mortuus domum portatus diu abſque ullo ſono, motuve jacuit, ac prope quatuor ſexta-

tarios ſanguinis tuſſi ejecit. Multo ille tempore mutus, atque alterâ corporis parte paralyticus fuit. Tandem vero ſatis feliciter ſanatus eſt. Quamquam autem linguæ priorem uſum paulatim receperit, cruris tamen non, niſi quodammodo, motum, qui fuerat, recuperavit, manu omnino paralyticâ remanente.

IN OBSERVATIONEM XXXI.

VIx cuiquam perſuaſeris pectoris læſione nervos ad femur tendentes fuiſſe vulneratos; cum quod ipſi è vertebrarum lumbarium foraminibus, atque oſſe ſacro oriantur, tum quod dictus patiens crus ſuum poſt curam movere potuerit. Credibile autem eſt alterum nervorum recurrentium fuiſſe tactum, hincque illi loquendi difficultatem natam. Unde tamen ei alterius lateris brachium paralyticum manſerit, vix eſt, ut explicem: quoniam, qui verſus brachium tendunt nervi, è cervicis vertebris ut plurimum proveniunt, ſicuti illi, qui è pectoris vertebris ortum ducunt, in intercoſtales plerumque, ac lumbares ſeſe diffundunt muſculos.

Narravit mihi Chirurgus *Du Foix*, vulgo *Lucq*, de quodam qui, vulnerato pectore cæ-

cus

cus evaſerat. Verum quidem eſt quoſdam nervos è capite ad exteriorem pulmonis partem procedere, quid autem illis cum nervis opticis intercedat commercii, non video.

OBSERVATIO XXXII.

Vomica Membranâ ſuâ concluſa.

DUos ego anno 1680. viſitavi, virum nempe quinquageſimum ætatis annum jam ſupergreſſum, cælibemque ejuſdem ætatis virginem, vomicâ utrumque labotantem; horum autem alterius pus uſque adeo foetebat, ut vix ei adſtare liceret. Uterque tamen intra duos menſes curatus eſt.

IN OBSERVATIONEM XXXII.

F*Ernelius lib.* 5. *pathol. cap.* 10. *fol. mihi* 109. de vomicâ agit ſuâ etiam membranâ cinctâ, ac poſtquam de ejuſdem indiciis locutus eſt, de juvene quodam narrat, cui poſt validam corporis exercitationem, vehemens admodum tuſſis, ne momentum quidem temporis intermittens ſupervenerat, unde ille vomicam integram, at totam membranâ ambiente cinctam, columbinique ovi inſtar emiſit, in quâ apertâ

 albens,

albens, ac purum putum pus repertum eſt: dictus tamen Juvenis poſtea convaluit. Quamquam idem *Fernelius* ſcribat nonnunquam contigiſſe, ut vomica major ne horæ quadrantem quidem laborantis vitæ conceſſerit, in quo poſtmodum diſſecto non alia leti animadverſa ſit cauſa, quam repentina ipſius vomicæ pulmonis perruptio, cujus pus ad uſque cor penetrans illud ipſum inopinanter invaſerit, ægrique vires ac robur omne infregerit.

Experientiſſimus Medicus D. G. Liebergen retulit mihi viſitaſſe ſe olim quendam, qui tuſſi vomicam ejiciebat, gallinacei ovi minoris inſtar, ac deindè ſanabatur.

Illius autem filio *Theodoro Liebergen* itidem Med: Doctori celeberrimo, videre contigit, quendam vomicâ etiam infeſtatum, è quâ perruptâ duodecim quidem puris libræ (illud enim à curioſis appendebatur) diverſis temporibus provenere; fuit autem ille priſtinæ ſanitati reſtitutus, pluresque recte valens annos tranſegit.

Hoc quicquid eſt incommodi, ſcribente *Tulpio obſ. med. lib. 2. cap.* 10. *pag. mihi* 118, nullibi pene reperitur, præterquam in noſtrâ Hollandiâ, ſive illud ab humido alimento, ſive ab humidis paſſim, ac penè aquis innatantibus locis, hincque vaporibus continuis propè obſito aëre contingat. Initio quidem illud, quo de agimus, vitium, ita ſe celat, ut vix ulla ejus reperias indicia, præter tuſſiculam primum ſiccam,

cam, ſed mox humidam: cui non ita diu poſtea reſpirationis difficultas, virium defectus, paulatimque ipſius corporis accedit macies, ſic affecti ſublivido fere ſunt faciei colore, licet interim nec pus, nec ſanguinem præ ſe ferant ſputa. Sed ſi rumpatur nec inopinanti vomica, occiditur homo. Si verò aliquandiu ſuperſit, febriculâ pedetentim contabeſcit, ſive propter pus, ſive propter ſanguinem in pectus effuſum. *Ita quidem interdum contingit, verum novi plures*, inquit *Thom. Williſius pharmaceut: rational. part. 2. ſect. 1. cap. 11. pag. 142, qui cum è pulmonis vomicâ ortâ, maturatâ, & demum ruptâ, pus copioſum, & fætidum expuiſſent, cumque tale ſputum per multas hebdomadas, imò menſes quotidie excernentes debiles adeo, & veluti tabidi evaſiſſent, tandem medicamentorum ope, cum ulcus detergeretur, & ſiccaretur, integrè convaluiſſe.* Hujuſmodi abſceſſus, docente *Fernelio*, tum fere oritur, cum ſanguis ex apertâ, ruptâve, aut etiam exeſâ venâ prodiens alicubi ſeſe parvo pulmonis continet loco, ibique putreſcit, ac tandem in pus vertitur, tum vero tandem ſupernè ſiccior evadens membranam, ſive tunicam ſibi format.

Quod autem hujuſmodi vomicâ laborantes, nullis ferè ſymptomatibus infeſtentur, id mihi, ait idem, *perſæpe ejus loci memoriam refrica-* „ *vit, quo inquit Hippocrates* (quibus ſuppu-

„ ratio in corpore abdita non innoteſcit, ea
„ propter craſſitudinem vel puris, vel loci deli-
„ teſcit) *etenim haud raro efficit obvolventis membranæ denſitas, ut nihil tetrum à pure in cor vitæ fontem inſpiretur*: *Vel* (ut obſerventur circulationis ſanguinis leges) *nihil inde in ſanguineam maſſam deferatur*:

Bartholinus cent. 2. *hiſt.* 59. *fol.* 249 mentionem facit vomicæ pure repletæ, ac poſt mortem intra pectoris mediaſtinum repertæ.

OBSERVATIO XXXIII.

Gravidæ, ac partui propinquæ mulieri bis vena ſciſſa.

ANte annos viginti menſe Julio ad Uxorem *Adriani Weſterbaan* ſartoris vocatus fui, quam vehementi admodum Pleuritide laborantem inveni, ac, quamvis inſtantis partus tempori octo tantum deeſſent dies, omnis in eo fui, ut ipſam permoverem (morbi enim vehementiam nec non periculi cui illa exponebatur, perpendebam magnitudincm) uti venam ſibi ſcindi pateretur: quod ipſa poſt neceſſariorum hinc inde conſiderationes tandem permiſit, atque illo qui-

quidem tempore octo, vel novem unciæ ſanguinis ipſi detractæ fuerunt. Cum jam illa, aliis etiam medicamentis ſumptis, intra quatriduum convaluiſſet, octo poſt diebus eodem affecta fuit morbo, quare denuo ipſi venam ſecari præcepi, nec parum illud ei attulit levaminis eodem quippe die ſanum, ac robuſtum fætum edidit, qui cum illâ hodieque vivit, ac optimè valet.

IN OBSERVATIONEM XXXIII.

ROd. à *Caſtro lib.* 3. *cap.* 21. *pag. mihi* 435 memorat ſeſe quater venam ſcindi juſſiſſe mulieri pleuritide itidem laboranti, octavo graviditatis menſe, cujus etiam morbum inſanabilem alii dixerant Medici: Illa autem hinc non tantum ſanitatem recuperavit, ſed & bene ſe habentem filium peperit.

P. Salius Diverſus de affect. particularibus cap. 22. *pag. mihi* 360. „ Teſtor, ait, me „ plurimas ab abortu, in quem frequenter „ inciderant, ſolâ ſanguinis miſſione primis „ menſibus factâ, præſervaſſe. Non ita tamen cenſendum eſt de hac ſanguinis miſſione, vel moderatâ, vel parcâ, in utero gerentibus adminiſtrandâ, ut nunquam non veniat in uſum, ſi copioſe fiat, interdum enim

„ ultimo menſe copioſa ſanguinis miſſio facta
„ non ſpernendum attulit juvamentum. Et
„ ego aliquando hanc venæſectionem copiosè
„ factam ultimo menſe, inſtante partus tempo-
„ re, dum utero gerentes ardenti conflictaren-
„ tur febre, plurimoque abundarent ſanguine,
„ tentavi, & hinc remiſſionem febris, ac par-
„ tus accelerationem ſperans, utrumque è ſan-
„ guinis miſſione conſequutus, ſummâ cum
„ utilitate adminiſtravi, fœtumque & matrem
„ unà periclitantem hoc ſolo remedio ſalvavi.
„ Quod remedium in aliquibus prætermiſſum,
„ & à Medicis, verba ſolum *Hippocratis*, &
„ non ipſam rem ponderantibus, neglectum,
„ fuit in cauſâ, ut conceptus ſæpe unà cum
„ matre, à plenitudine, & fervore ſanguinis ſuf-
„ focatus miſerabiliter perierint.

B. Timæus non ſolum ultimo menſe, ſed & inſtanti partus tempore, feliciter venam aperuit, ut teſtatum reliquit *reſponſis medicis pag.* 128. De ſanguine octies puerperæ in pleuritide miſſo refert *N. Tulpius lib.* 2. *obſ.* 2. *pag. mihi* 110.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIV.

Pus ex abſceſſu pectoris per alvum emiſſum.

ARceſſitus fui menſe Octobri an. 1645. ad *Eliſabetham Royè*, pleuritide laborantem; hàc autem in abſceſſum degenerante, illa per quatuor dies continuos nonnihil puris haud abſque levamine per alvum ejecit; deinde autem quicquid erat puris reliquum per os tuſſi emiſit, atque ita curata eſt.

Idem obſervavi in aliâ muliere quadragenariâ, quæ decimo â pleuritide die non ſolum pus tuſſi ſurſum, ſed & deorſum per alvum excrevit.

IN OBSERVATIONEM XXXIV.

HIppocrates 7. *Epidem. textu* 14. cujuſdam peripneumoniâ laborantis meminit, cui initio morbi alvi fluxus ſuperveniens ita profuit, ut quarto decimo die corporis ægritudine omnino eſſet liberatus. De hujuſmodi per alvum evacuationibus, quæ tabidis contigêre, idem 3. *Epidem. comm.* 3. *ſect.* 11. *agit.* Nec non *Coac. prænot. lib* 1. *ſect.* 67. *pag. mihi* 304. *Em-*

pijicis, inquit, *â pulmone pus duci per alvum letale eſt.*

At *Lud. Duretus comm.* ad hunc locum magnâ ex parte eos quibus pus per alvum ſecedit, mortem conſequi ſcribit, quod puris acrimonia alvum vellicet, dyſenteriam producat, naturaleſque facultates proſternat. Adeo ut in his alvi fluxus inter letalia ſigna ab *Hippocrate* recenſeatur *aph.* 12. *&* 14. *lib.* 5. *&* 16. *lib.* 7.

Rarius contingit, ſcribente *Galeno 6. de loc. affect cap.* 4. ut pectus, ac pulmo per alvum purgentur, quamquam vidiſſe ſe memoret vomicam per vias urinarias, atque item aliud pectoris per inteſtina unà cum excrementis purgari. *Aretæus lib.* 1. *cap.* 1. *&* 9. hæc *Galeni* verba confirmat, ut & *Joh. de Vigo* 2. *de Apoſtem. tr.* 5. *cap.* 1. Refert etiam *Fr. Valleriola lib.* 4. *obſ.* 10. *pag.* 297. de militiæ quodam Præfecto, cui, ſaucio pectore, poſt diem vigeſimum alvi fluxus tantum abſtulit puris, ut brevi poſt tempore convaleſceret.

De non abſimili exemplo agunt *Valeſcus de Taranta obſ. â Dodonæo citatis pag.* 202. ac *Alex. Benedictus lib.* 3. *anatom. cap.* 9.

De pure poſt pleuritidem per alvum emiſſo lege ſis *Amatum Luſitanum curat.* 42. *centur.* 7. De Nobili autem Paduenſi, qui poſt exulceratam pleuritidem plus 6. libris purulentæ materiæ per inferiora ejecit, refert *Joh. Rhodius obſ. med. centur.* 2. *cap.* 89. *pag.* 115.

P. de

P. de Marchettis obſ. med. chirurg. rarar. ſylloge obſ.43. pag. 99. „Obſervatione dignum, „ inquit, ſine ſectione pus è vulneribus Thora-„ cis ſuperioris per alvum expurgari, quam ta-„ men viam ſectione Anatomicâ rimari non po-tui; quod & ab *Hippocrate* etiam *lib. de morbis* obſervatum.

Galenus lib. 6. *de loc. aff. ſect.* 4. *& comm. ad aphoriſ.* 30. *lib.* 7. ſubobſcure etiam hac de re loquitur, quamvis innuere videatur illam materiam per arteriam pulmonalem in ventriculum Cordis, atque indè in venam cavam, jecùrque, hincque ad inteſtina deferri: quod licet *Avicenna fen.* 10. *tr.* 4. *cap.* 17. *Ætiuſque lib.* 8. *cap.* 65. ac *Paulus Ægineta lib.* 3. cum *Galeno* ſtatuant, horum tamen nemo, haud dubie propter demonſtrationis difficultatem, viæ, modive meminit, queîs dicta evacuatio fiat.

Idem tamen *Galenus lib.* 5. *de loc. aff. cap.* 3. „ *fol.* 30. Credere oportet, inquit, homini fie-„ ri tranſumptionem; quippe per vulnera pene-„ trantia haud obſcurè id apparet: deinde, quo „ pacto ea fieri poſſit, inveſtigare, ut cum in-„ venerimus, animo ſimus quietiori, ſed in-„ ter quærendum quamdiu nihil nos inveniſſe „ putaverimus, ruditatem potius noſtram ac-„ cuſare; quam veritatem ipſam negare debe-„ mus.

Plurimi enim, iique artis medicæ non ignari, cum multas res quas tamen liquido cernunt,

cum earum rationem non inveniant, exiſtere pertinaciter negant.

Porro tradit dictus *Marchettus* obſervatum à ſe, quotieſcunque citius materia expurgatur, ſpatio nempe diei, ſtatim patientes convaleſcere, materiâ è vulnere non ampliùs manante, &, quod mirum, febre etiam ceſſante, utpote quæ, eâdem in cavitate thoracis hærente, eſt continua.

OBSERVATIO XXXV.

Pus è pectore proveniens per renes, veſicamque emiſſum.

VIſitavi ann. 1645. cum Medico *le Piper*, ac Chirurgo *Henrico Haſſelmans* militem quendam, cujus pectus gladio læſum erat, penetrante in ipſam pulmonis ſubſtantiam vulnere, quare ipſe etiam initio ſanguinis copiam benè magnam tuſſi ejecit, poſteaque per aliquod tempus quotidie cum urinâ multum puris albicantis emiſit; fuitque hæc illi recuperatæ valetudinis cauſa.

IN

IN OBSERVATIONEM XXXV.

REperiuntur apud Scriptores celebriores quandoque exempla quorundam, qui, læſis pectoribus, (ſive illi pleuritide, peripneunoniâve, ſive vomicâ, aut Empyemate, vel etiam ipſius pulmonis laborent vulnere) pus, imò, & ſanguinem per renes, & meatus urinarios, aut per alvum nunnunquam (uti ſupra obſervatum) ejecerint. Quod equidem bono ægri temperamento, viribuſque ejus valentibus adſcribendum videtur. Ejuſmodi enim exonerationem non minimum levaminis, ac ſæpenumerò perfecta inſequitur ſanitas.

Benivenius de abdit. morb. cauſis cap. 43. *pag. mihi* 98. hac de re ita taſtatur: Cum Anthonius quidam inquit, vehementi correptus eſſet pleuritide, jamque ad maturitatem perveniſſet malum, puris ſimul cum urinâ emiſſione (quod rarius contingit) ad ſanitatem rediit.

Novi, inquit, *R. Dodonæus annotat. prædicti cap. pag. mihi* 99. ruſticum, cujus pectore tantum continebatur puris, ut, inclinato ſimul cum pectore verſus terram capite, illud ipſum per os efflueret, cuique, quamprimum ei purulenta fluere inciperet urina, integra redibat valetudo.

Joh. Rhodius obſerv. med. centur. 2. *hiſt.* 15. *pag.*

pag. mihi 75. narrat quo pacto mulier quædam pleuritide infeſtata probi puris tam tuſſi, quam cum urinâ, ac ſimul per alvum factâ ejectione, viginti dierum ſpatio malo ſuo fuerit exemta.

Obſervavit *Plazzonus* quendam, cui dextrum pectoris latus vulneratum erat, per quinque, vel ſex dies continuos, purum ſanguinem per meatus urinarios emiſiſſe, teſte eodem *Rhodio obſ. med. cent.* 2. *hiſt.* 19. *pag. mihi* 177.

Vidi inquit, *Marcellus Donatus*, *pag. mihi* 266. Olitorem ſeroſi ſanguinis plurimum ſeptimo die per ductus urinæ exonerationi deſtinatos emiſiſſe, eumque hac evacuatione, quamquam jam morti vicinum, violentâ pleuritide fuiſſe liberatum.

D. Sennertus lib. 2. *part.* 2. *cap.* 16. *pag. mihi* 467. meminit cujuſdam, cujus læva pectoris pars gladio ſuper coſtas nothas ſurſum adacto, læſa erat, ita ut vulnus unius cum dimidio digiti longitudinem æquaret. Quamvis autem vulneratus de nullo quereretur dolore, nec tuſſi infeſtaretur, neque quidquam ore emitteret ſanguinis, unde conſtabat non niſi externos pectoris muſculos fuiſſe tactos, contigit tamen, ut ſubſequente nocte difficulter urinam redderet, ac poſt quatridui intervallum plurimum ſanguinis, partim grumoſi, partim floridi emingeret, quæ ſanguinis mictio ad duas hebdomadas duravit, donec æger convaluit.

H: Fabritius ab Aquapendente lib. 2. *Chirur-*

„ *giæ cap.22. de vuln. thoracis.* Quidam, in-
„ quit, meus amicus aliquandó in thorace vul-
„ nerabatur; vulnus tamen non reperiebatur
„ penetrans à Medicis, quia ob foraminis an-
„ guſtiam, non multa ſtyli portio immitteba-
„ tur; caro etiam occupaverat foramen, ut
„ ſpiritus, ſeu anhelitus non egrederetur: ex
„ accidentibus tamen ſupervenientibus pene-
„ trans eſſe vulnus poſt cognitum eſt, ſuper dia-
„ phragma enim ſentitur pondus, exſpuitur
„ ſanguis cum tuſſi, invaleſcit febris, accidunt
„ vigiliæ, dejicitur appetitus, anguſtatur an-
„ helitus, & aliquando livor apparet extra coſtas,
„ ubi continetur materia. Et propterea Me-
„ dici cum è foramine penè occluſo, nihil poſ-
„ ſent evacuare, volebant thoracem aperire in-
„ ter ſextam, & ſeptimam coſtam. Cum autem
„ poſtridie id eſſent facturi, interea accidit, ut
„ æger, cyathum cruoris plenum mingeret è
„ quo à dolore, febre, & omnibus ſymptomatis
„ levatus eſt.

Multum profecto, varièque diſputatur, quànam via hoc quidquid eſt puris, vel ſanguinis è pectore, aut pulmone, ad renes, atque veſicam deſcendat.

Galenus lib. 6. de loc. aff. viam indicat: ſtatuit enim venoſam arteriam pus recipere, eamque in ſiniſtram cordis transferre cavitatem, hinc iterum in arteriam magnam, atque inde in emulgentem, ac renes tranſportandam.

Priſci

Priſci alii Scriptores viam eſſe credunt venas; quæ in pectore ſunt, intercoſtales, videlicet venæ *Azygos*, ſive ſine pari ramos, qui inter coſtas inferiores ſeſe inſinuant, & quorum inferior pars cum venâ emulgenti miſcetur.

Hos inter reperio *Rudium*, *Matthiolumque*; cum quibus convenire videtur *Gabr. Fallopius ſuis obſ. Anatom*: docet enim hic dextram, ſiniſtramque extremitates venæ *Azygos* verſus vertebrarum partem ſub inferiori inſitione diaphragmatis, ad inferiora deſcendentes, emulgenti conjungi.

Franciſc. Michinus de Sancto Archangelo vidiſſe ſe ſcribit in duobus cadaveribus publice *a Fallopio* diſſectis hanc *Azygos* venam emulgenti conjungi, vel etiam quoſdam ſubclaviæ ſurculos inter ſuperiores coſtas apparentes, aut etiam ipſam venam Phrenicam, quâ pectus, & pulmones per inteſtina, & renes expurgari poſſint. Hæ autem viæ neutiquam ſunt admittendæ.

Namque ſecundum ſanguinis circuitum nihil omnino per venas ad renes tranſit, verum quicquid accipiunt, ab arteriis eò defertur.

Statuit omnino *Diemerbroeckius Anatom. lib.* 1. alias præter renes dari vias, queis largius immiſſus potus tam ſubito, ut & duriores multo, ac firmiores materiæ (quales ſunt acus, clavi ferrei, varia ſemina, & id genus, plures) in veſicam transferantur; harumque nonnullas vaſa lactea eſſe contendit, (qualia & verſus matricem,

tricem, mulierumque mammillas ad fætuum nutrimenta pergere arbitratur) quæ occultis, atque etiamnum ignotis viis non in omnibus, at in paucioribus tantum hominibus ſeſe ad veſicam conferunt. In quâ ſuâ opinione firmatum ſeſe ait quibuſdam obſervationibus à nonnullis medicis factis, vidiſſe ſe tradentibus aliquos interdum chyloſam quandam materiam ſimul cum urinâ, alioſque item diverſis temporibus firmioris ſubſtantiæ quidquam emiſiſſe. Ipſe etiam ibidem ſuæ Uxoris exemplum profert, quæ mediocrem aciculam triduo antè ab ipsâ per fauces tranſmiſſam cum urinâ abſque omni incommodo egeſſit; qualium exemplorum ad vigeſimam ſextam noſtrarum obſervat. plures adduximus probationes.

Referunt *Ephemerides Eruditorum Galliæ an.* 1667. *pag.* 158. *D: Gayant* comperiſſe ſub Pleura vaſorum eſſe communionem è pectoris ductu thoracico provenientium, qui ſiniſtræ emulgenti ſeſe miſcet.

Meo quidem judicio ex Empyemate purulenta materia derivatur ad veſicam, quatenus ſeſe inſinuat in vaſa pulmonalia, atque ita ſanguini illac tranſeunti admiſcetur, cum quo ad renes defertur, illicque tranſcolatur unà cum ſero, & per ureteres it ad veſicam, urinamque purulentam conſtituit. Ejuſmodi ægri felices ſunt, quia ſic ſanguis eorum non ita impregnatur pure, quod alias mixturam ejus conturbando febrem

con-

continuam, & lentam excitat, quæ ægros tandem in maraſmum trahit.

Quicquid ſit, conſtat utique pro vario circulationis ſanguinis motu ad dictas exonerationes aperiri vias medicis, Chirurgiſque obſcuras, nec ſatis bene notas, quas, quamquam ignorent exiſtere, tamen minimè negent oportet. Inficiari etiam nemo auſit totum corpus (uti ſupra monuimus) confluxile, & conſpirabile eſſe, ipſumque pus etiam media oſſa interdum penettare, ita ut & illic abſceſſus naſci poſſint, cujus rei etiam *Hippocrates Coac. prænot.* & noſtræ 7, & 26. Obſervationes mentionem faciunt.

OBSERVATIO XXXVI.

Quaſſatio aquæ in pericardio, etiam foris auribus percepta.

VIſitaſſe me quandam pauperculam annorum ſeptendecim puellam memini, cui vultus tumidus admodum, ac pallens erat, neque unquam purgationes menſtruæ fluxerant: huic ipſe, poſt idoneè purgantium uſum, etiam venam aperiri juſſi, ac mox ſanguinem valdè aquoſum, viſcoſâque, ac tenaci obtectum cruſtâ ſive pelle reperi. Labora-

borabat hæc puella cordis palpitatione, quin & diſtinctè admodum, pulſante corde; ipſius aquæ agitationem in pericardio audire licebat. Illa tamen tandem præparato ſatis aptè corpore, diaphoreticis, diureticiſque convaluit.

IN OBSERVATIONEM XXXVI.

SIcuti plurimis de cauſis cordis palpitatio oritur, ita variis etiam è corporis partibus provenit, ac præcipue quidem è liene, ac matrice, è qua ſæpenumero acres, ac craſſiores aſcendunt vapores, maximumque cordi angorem adferunt, quod ut hinc ſeſe expediat omni ope nitens, hujuſmodi pulſationis cauſa eſt. Eadem etiam præter ipſius cordis deformitatem (cujus mox ſecutura obſervatio exemplum dabit) à diverſis rebus naſcitur contra naturam in corde, aut pericardio repertis, quales ſunt oſſicula, lapilli, pituita tenax, grumi, tumoreſque, &c.

Ac veluti pericardium naturaliter non niſi tantum aquæ continet, quantum duo, vel tria capiant cochlearia, cum ad facilitandum ipſius cordis nunquam quieſcentis motum, tum ne propter nimiam caliditatem ipſius caloris fons exareſcat, qui tanquam Sol microcoſmi toti corpori vitam impertit, ita etiam cordis palpitationis cauſa eſſe poteſt nimia aqua pericardio

contenta, uti modo lectâ obſervatione noſtrâ liquet, nec non patet è *cap.* 19. *lib.* 4. *obſ. Tulpii pag. mihi* 327, ubi ille ſcribit, ſe tantum aquæ in pericardio *Stephani Jonæ*, cui multum palpitaverat Cor, inveniſſe, quantum quindecim cochlearia caperent.

Mirum equidem, ac vix fide dignum videtur, quod ſcribit *Fernelius lib.* 5. *Pathol cap.* 12. Ait enim nonnunquam uſque adeo vehementem, validamque extitiſſe cordis pulſationem, ut illius impetu vicinæ coſtæ perruptæ, eæque, quæ ſupra mammas ſitæ ſunt, loco fuerint motæ.

Memorat *Foreſtus lib.* 17. *obſ.* 1 de Juvene quodam in pago, cui nomen *Schagen*, habitante, cujus, cum in ædibus ſuis eſſet, cordis pulſus, qui cubiculum illius forte præteribant, viatores foris audiebant, præcipuè ſi clauſæ feneſtræ aures admoverent. Simile exemplum adducit jam ſæpius in partes vocatus *Tulpius obſ. lib.* 2. *cap.* 25. *pag. mihi* 141. *Bartholomeus Merclinus Epiſt. ad Greg. Horſtium* 3. *de morb. Pectoris obſ.* 17 *fol.* 139 de vehementi admodum cujuſdam juvenis cordis palpitatione agit, quâ ſiniſtræ coſtæ ſupra os ſternum alte elevabantur quem tamen, præparato jam ante, ut fas erat, corpore, venæ ſectio malo iſti ſenſim exemit; quamquam dictæ coſtæ, tanquam loco motæ ita elevatæ remanſerint. Quare ipſe (ita pergit *Merclinus*) *Fernelii*, *Mercurialiſque* opiniones de coſtarum diſlocatione aut expanſione violen-

tâ

tâ cordis pulſatione effectâ, quas ego antea, cum ſtudiis etiamnum operam darem, tanquam falſas, ipſique contrarias rationi rejeci, certas omnino, atque veras eſſe comperi.

A ſanguinis miſſione levamen accepere tam Juvenes, quam adulti plurimi in palpitatione cordis, qui alias rectè valebant. Teſtatur *Galenus* 5. *de loc. aff. cap.* 2. *fol.* 29, ſe noviſſe quendam quotannis verno tempore palpitatione cordis vexatum, qui quum per tres annos à ſanguinis detractione ſe adiutum intelligeret, anno quarto antequam accidens ipſum invaderet, ſanguinem miſit, idque pluribus deinceps annis faciendo, & idonea etiam poſt ſanguinis detractionem adhibendo medicamenta, attenuantia ſcilicet, &c.

OBSERVATIO XXXVII.

Cor planum eique adhærens firmiter pericardium, medioque in ventre Lien.

NOvi hic Hagæ Cauponem quendam, cui alterum crus navale prælium abſtulerat, *Pipel* vulgo dictum.

Robuſtus ille, audaxque, atque intrepidus erat, fortioris vini, potuſve poculis admodum addictus, cujus maxi-

mâ copiâ aliquot annos jam uſus, imo abuſus erat. Hic circiter quadrageſimum ætatis annum continuâ, lentâque correptus febri coepit tandem tuſſi ejicere plurimum craſſioris, nigricantiſque ſanguinis, unde labefactatus admodum, ſentienſque vitæ ſuæ appropinquare terminum, rogavit me, uti cadaver ſuum vellem diſſecare, inſoliti quidquam in eo me reperturum aſſeverans. Quod cum fratre meo *Joh. Stalpartio vander Wiel p. mem.* feci. Ac nos tum in aperti pectoris parte ſiniſtra aliquot libras coagulati ſanguinis reperimus, qui ex eo effluxerat loco, in quo pulmo utplurimum coſtis affigitur, paulo infra claviculam. Cor ejus mediocre pyrum magnitudine non ſuperabat, formæque erat non rotundæ, ſed planæ admodum, atque depreſſæ. Cordis autem ſubſtantiæ pericardium adhærebat, accretumque erat, nullo in eo humore contento. Diſſecto ventre lienem rotundum, nec majorem manus palmâ in medio ventre ſub umbilico invenimus.

IN OBSERVATIONEM XXXVII.

NOn incelebris nuper Medicus ultrajectinus *G. Stratenus* noviſſe ſe militem gallum quondam mihi retulit, cujus defuncti cor planum eſſe compertum fuerat, orbi, quo prandentes utimur, mediocri, magnitudine par, pericardioque carens; ac cujus viventis carpi arteriam maxima ſemper notaverat imparitas.

De corde, cui itidem pericardium & quicquid ei ſimile, deerat, lege *N. Tulpium obſ. lib.* 2. *cap.* 25. *pag.* 143. *ut & cap.* 44. *lib.* 2. *pag.* 176. *Velſchii Epiſagm. pag.* 23. Queis adde *Columbum*, *Brodbecquiumque*, quos etiam adducit *Bartholinus cent.* 4. *hiſt.* 20. *fol.* 266. Antea autem adfuiſſe quidem pericardium, ſed temporis tractu accretum cœpiſſe cordi cohærere crediderim: qualia exempla videre eſt apud *Peyerum meth. hiſt. anatom. med. pag.* 84. nec non *Lowerum tract, de corde cap.* 2. *ut & Wepferum litteris ad Peyerum*; ita ut hac de cauſâ viſui non apparuerit pericardium. Sicut aquæ, inquit idem Lowerus, pericardio contentæ nimia copia cordis motui officit, adeo ut ipſum tandem obruat, ſupprimatque, ita ubi illa prorſus deficit, arctè adeo cordi accedit pericardium, ut ipſi tandem undique adhæreſcat: unde cum Diaphragma accreſcat quoque, cordis motum cum illo confundere, & committere neceſſe habet,

quod, quanto utriuſque impedimento fieri debeat, cogitet medicus.

Steph. Blankardus collect. med. phyſ. centur. 4. *obſ.* 46. *fol.* 319. lienis hominis cujuſdam ſuſpendio necati mentionem facit, qui, naturali relicto loco, medio ſeſe in ventre locabat ſupra omentum, atque inteſtina, utraque etenim in latera, ut ſibi locum aperiret, detruſerat, ſeque uſque ad os Iſchii extendebat, adeo ut, quâ erat magnitudine, totam propemodum ventris latitudinem impleret. Hic autem cum ante annum hydropicus fuiſſet morbo ſuo liberatus fuerat.

Trium autem librarum cum quadrante illius lienis gravitas erat.

G. Ballonius Epidem. & Ephemer. lib. 2. Memorabile eſt, inquit, Cognatæ *D. Valeton* exemplum: lienis enim corpus ſupra veſicam jacens, eique firmiter agglutinatum repertum eſt.

De maximo ſplene, quatuor libras ponderante, atque in abdomine ſupra inteſtina jacente, videatur *Blaſius obſ. med,* 14. *pag.* 26. Quo de ipſe etiam *Obſerv.* 49. latius agam.

De parvo liene loco ſolito ſito, deque alio itidem debitæ magnitudinis in ejuſdem hominis hypogaſtrio locato ſcribit *Juſtus Scraderus obſ. anat. med. dec.* 3. *obſ.* 4. *pag. mihi* 218.

Meminit cujuſdam *Bartholinus*, in cujus dextro latere locabatur ſpen, jecur autem in ſiniſtro, ſingulis ex utriuſque ſubſtantiâ procedentibus

tibus vaſis tam ibidem, quam in pectore, ac ventre ad idem latus apparentibus.

Similem duorum iſtorum viſcerum tranſpoſitionem *Petr. Servius ann.* 1643. Romæ vidit: ſcribitque dicto loco *Bartholinus* id ipſum *Platero* contigiſſe; quod & de ſe teſtatur *Gemma lib.* 2. *pag.* 75. Quin & *Zodiac. med. Gall. ann.* 2. *fol.* 128. perſimile quid habet.

OBSERVATIO XXXVIII.

Polypus cordis.

INitio Januarii an. 1681. pauper quidam miles natione Gallus, triginta circiter annos natus, morboque comitiali interdum laborans ita correptus fuit frigore, (totam enim noctem ſub jove frigido ante ædium quarundam fores tranſigere coactus, dictoque forſitan morbo ſuperveniente infeſtatus fuerat) ut mortem exinde objerit, ac multo manè ibidem rigens admodum ejus cadaver repertum ſit. Quod delatum in Hagienſe Anatomicum noſtrum Theatrum cariſſimus quondam frater *Joh. Stalpartius van der Wiel* publicè diſſecuit. In cujus corde inter plura rariora inventus

eſt *Polypus*, cujus corpus membranaceum magis, quam carnoſum craſſitie æquabat pollicis unius, duorum autem cum dimidio latitudinem longitudine: Diffundebat ſe inſuper ille per omnia cordis vaſa eâ longitudine, quæ eſt quatuor digitorum latitudo, eâque latitudine, quæ eſt minimi digiti in latum diviſi, ſeque etiam ita cordi affixerat, ut non abſque ſummo labore avelli potuerit. Valvulæ itidem tricuſpidales membranaceis iſtis germinibus eum in modum erant occluſæ, ut intromiſſo in venam cavam digito minori ad cor nullus pateret tranſitus. Deſiderabatur etiam quartum nervorum par ad guſtum pertinens in hujus cadaveris capite: Erat autem illa cavitas, quæ inter utrumque ſupercilium ſupra naſum in oſſe frontis conſpicitur, præter conſuetum modum tanta, ut in utramque interſtitii, quod in dicto oſſe plerumque eſt, partem digitus immitti poſſet. Interior autem ejuſdem tabula intus ad cerebrum plus quam pollicis latitudine recedebat, adeo ut eò uſque ſeſe protenderet dicta cavitas, quò oculi orbita extendi ſolet. Atque hinc dicta

cere-

cerebri pars neceſſario fuit depreſſa, ut mirum videri haud debeat, ſi ille miles ſacro nunnunquam laboraverit morbo: quoniam jam diu *Dom. le Ducq Zod. med. Gall. ann.* 1. *obſ.* 7. *pag.* 50. obſervavit omnibus, qui in Noſocomio morbo Herculeo interierant, fuiſſe quandam cranii deformationem. Ipſi enim compertum in omnibus, quotquot aperire licuit, cranium capacitate juſtâ majore donatum fuiſſe, proportione habitâ partium, quas continebat: idque craſſum ſemper fuiſſe, & denſum aliquando ex unico oſſe conflatum: at ſœpius duobus, tribus aut quatuor conſtaſſe, arctâ prætere a quarundam ſuturarum compage, ac duræ meningis â ſubſtantiâ cerebri interventu aquarum collectarum ſeparatione, in iis uberius redundantium quibus paroxyſmi vehementiſſimi fuiſſent.

IN OBSERVATIONEM XXXVIII.

Quamquam cor excellens admodum, ac nobilis humani corporis pars ſit, multis tamen etiam malis obnoxium eſt, vermibus videlicet, oſſiculis, tumoribuſque, nec non ulcera

tionibus, glandulis, adipi, carneis, atque viſcoſis excreſcentiis, imò aliquando lapideis fragmentis: Qualia med. *Th: Liebergius* ſeſe in corde lapicidæ cujuſdam poſt obitum aperto reperiſſe mihi retulit.

Galenus, de loc. aff. cap. 7. pag. mihi 6. fieri poſſe negat, ut ulcus cor perferat. Huic accedit *Avicenna fen.* 3. *tr.* 1. *cap.* 2. nec non *Haly Abb. Theſ.* 9. *cap.* 23. Docuit autem poſteriorum experientia, atque accuratior inveſtigatio id ipſum fieri poſſe.

Polypos quod attinet, hi varias, modò in hoc, modo in illo ſubjecto formas induunt, & varium in corde nanciſcuntur locum. Interdum enim placentulæ inſtar ventriculorum ejus medietatem occupant, &, elongatis ramoſis productionibus, per venas, & arterias hinc inde excurrenti ſanguini præbent ſpatium. Interdum vero circa cordis columnas, & carnoſos lacertos hærent, & quaſi radicibus implantantur. Obſcurum eſt dicere à quâ materiâ excitetur Polypus. Pluribus pinguedinis fruſtulum eſſe placuit: Alii concretam pituitam, alii crudum eſſe humorem, & affinitatem habere polypum cum pelleâ cruſtâ in ſupremâ extracti, & refrigeratâ ſanguinis parte concreſcente putant.

Pinguedinem autem non eſſe hinc liquet, quod hæc igne liqueſcat, Polypus vero abit, dum omne quod tenue eſt, avolat, remanentibus tantum membranis cui involutus erat. Non eſſe

eſſe phlegma probatur inde, quia igne induratur.
„ Veriſimile eſt (inquit *Malpigius de viſcerum* „ *ſtructura fol.* 269.) polypos ſuſcitari quotieſ- „ cunque ſanguinis maſſa non in totum debito „ gaudet fluore, & compage, ſed præcipitatis „ quibuſdam, albis ſcilicet particulis, quæ præ „ cœteris fortaſſe graviores ſunt, vel ſaltem „ conglobatione, & aggregatione tales reddi „ poſſunt, contexturæ quædam ſubſequuntur, „ quæ ex continentium partium, & reliqui ſan- „ guinis viribus, figuram, & molem ſortiun- „ tur, quas Polypos appellare placuit.

Generationis autem hunc eſſe credit modum: Sicut in lapidis Bezahar, & conſimilium concretione accidit, ut ex multis ſuperpoſitis veluti laminis, tractu temporis coagmentatio ſubſequatur, ita etiam polyporum contingit productio: nam extenſis multiplicibus conſtare videntur pelliculis, inter quas ichor, & alia ſanguinis portio quandoque mediat, & ex mutuo fibrarum contactu, & excurrentis ſanguinis preſſione, & ictu, ita ad invicem approximantur, ut in ſolidum corpus compingantur.

N. Tulpins obſ. med. lib. 1. *cap.* 27. hujuſmodi Polypum, noſtroque ferè convenientem in ſiniſtro cordis ventriculo inventum memorat, cujus rami tam arteriam magnam, quam venam pulmonalem obturaverant, ita ut laboranti, vivoque etiamnum difficilis admodum eſſet reſpiratio. Denique *G. S. Jung. miſcell. curioſ. med. phyſ.*

Germ

Germ. dec. 1. *ann.* 1. *obſ.* 28. *fol.* 97. cujuſdam non diſſimilis meminit, ut & *Bartholinus cent.* 3. *hiſt.* 17. *fol.* 39. nec non *Blaſius obſ.* 1. *part.* 6. *pag.* 73.

Coaleſcunt interdum polypi in vaſis Apoplecticorum tum majoribus, tum minoribus, per cerebri meninges extenſis, ut multorum teſtantur obſervationes, nec non in pulmonum ſubſtantiâ polypoſæ interdum concretiones, præcipue in pleuriticorum cadaveribus conſpectæ fuerunt, quin & in Uteri vaſis nonnunquam Polypos reperiri certum eſt, & tantos utique, ut illorum canales ad diſtentionem uſque adimpleant, imo & in ſcirroſos, nec unquam ſanabiles degenerent tumores.

OBSERVATIO XXXIX.

Ipſius ventriculi ima pars vulnerata, ſanataque.

PAulus Godefridus exercitus Fœderati Belgii Chirurgus, dum viveret, ſuperior, narravit mihi de quodam, cujus ventriculi ima pars ita læſa erat enſe, ut quicquid fere cibi intraret, illico hac efflueret : quod vulnus, inteſtinorum more, ita conſuebatur, ut ſimul ventris

tris muſculi filo trajicerentur. Cum his enim partibus, ut pote carneis, adeoque calidioribus membranaceæ magis conjungi amant. Fuitque ille hoc modo valetudini reſtitutus.

IN OBSERVATIONEM XXXIX.

JAcob. *Oetheus lib. obſ. propr.* Simillimum quid refert de ruſtico quodam, cujus in pago *Marpag*, qui eſt in Epiſcopatu Fuldenſi, ſtomachus venabulo lædebatur, fiebat enim hoc ex eo palam, quod immiſſus in eum cibus per vulnus effugeret. Quare operam dedere Chirurgi, ut, prædicto periculo, læſam ventriculi partem ad ventris vulneratos muſculos attraherent, ut unâ eâdemque futurâ ventriculi apertura cum cute ſimul, muſculiſque læſis contraheretur, ligareturque; quæ ita ſucceſſere, ut non ſanitatem tantum ruſticus, verum & priſtinum robur, vireſque recuperarit.

Hippocrates Aph. 18. *ſect.* 6. letalia ſtatuit ventriculi vulnera; non quod ſimpliciter talia ſint, nam vox διακοπέντι non ſimplicem aliquam vulnerationem, ſed magnam violentiam, & diſciſſionem involvit, ac denotat, ut multi olim animadverterunt, ipſeque *Galenus comm. in Hippocratem* magna vulnera διακοπὰς nominare conſuevit.

Cel-

Celſus lib. 5. *cap.* 26, ac *Avicenna lib.* 4. *Fen.* 4. *tr.* 1. *cap.* 2. plerumque mortifera talia cenſent.

Schenckius lib. 3. *obſ. medic. pag.* 381. nonnulla adducit exempla quorundam, quorum ſaucii curati ſint ventriculi. Hujus curationis hiſtorias ſibi viſas deſcribunt *G. Fallopius de cap. vuln. cap.* 12, *Jul. Alexandrinus annot. ad lib.* 6. *cap.* 4. *Therapeut. Galeni.* Qualem etiam ſe vidiſſe ait *Iſbr. de Diemerbroeck pag.* 33 *cap.* 6. in ruſtico juvene.

Facienda itaque, cum idem vulneratus eſt, diſtinctio, quantum ad vulneris prognoſin. Perpendendum quippe eſt, ſintne vulnera magna, nec ne, penetrantia ſint, an minus, ſintne in dextro, an vero in ſiniſtro ventriculi orificio, an denique in fundo.

Galenus comm. 6. *in Aph.* 18, ſuperficialia, ſive externa ſæpius, penetrantia autem rarius ſanari tradit.

Graviſſima ſunt, quæ ſiniſtro ventriculi orificio infliguntur, vulnera. Multum namque commercii intercedit huic parti cum corde, cerebroque, ſenſibilis etiam admodum propter nervos ſuos eſt. Accedit, quod nihil huic ſuperimponi, quod ſanet, queat, quodque inſuper hîc oriatur appetitus, quod gravia denique inde utplurimum ſymptomata originem trahant.

Minus autem letifera ea ſunt, quæ in imâ ventriculi parte fiunt: Craſſior enim hæc multo,

to, atque carnoſior eſt, adeoque citius ſanari poteſt, tradente *Galeno 6. meth.cap.4.* Vulnerarii potus inſuper aliquo tempore ibi commorari poſſunt; multò denique minus ſubtilis hujus eſt ſenſus, quam illius; niſi latum forte in fundo ventriculi, ejuſque venas, ac arterias penetrans vulnus foret. Cujus rei exemplum apud *Baldaſs. Timæum reſp. med. 19. pag. mihi* 34. videre eſt. *Math. Cornax Epiſt. reſponſ. ad D. Ægid. de Hertoge med. Doct.*, nec non *Julius Alexandrinus Annotat. cap. 4. lib. 6. Therapeut. med. Galeni.* De ruſtico Bohemo memorat è pago *Puggebrot* oriundo, cujus ventriculus paulo infra ſiniſtrum os lato venabulo læſus erat, quod mortiferum, ac late hians vulnus nullis ſanari potuit remediis, ejus autem labia ſenſim callo fuere obducta; ita ut per annos aliquod etiamnum ſupereſſet vulneratus, qui tandem inſtrumento affabrè conſtructo vulneri impoſito, faſciiſque interdum, ac ſpleniis, turundiſque læſi loci aperturam tam ingenioſe clauſit, ut quandocunque vellet ventriculum, immiſſo in eum per os humore, purgaret, comeſumque cibum potumve per illud foramen emitteret. Longe autem mirabiliora ſunt duorum cultellivororum exempla, quorum alterius *Oſwaldus Crollius præfatione Baſilicæ Chymicæ meminit*: cum dicit Bohemum itidem ruſticum anno 1632 Pragæ cultellum novem pollices longum devoraſſe, cujus acumen paulo ſupra ventriculi fundum ad ſiniſtram

ſtram partem extuberabat verſo ad dorſi ſpinam manubrio. Hic autem culter poſt duos menſes per Chirurgum *Florianum Matthis* feliciter poſt ſciſſionem extractus, locuſque dein percuratus eſt. Huncce autem cultellum ipſe S. R. I. Imperator inter pretioſiores, rarioreſque theſauros aſſervari juſſit.

Alterius autem ita menimit *Joh. Cluverus Epitom. Hiſtor. lib.* 11. *Append. pag.* 723.
„ Per idem, inquit, tempus (videlicet 29 May
„ an. 1635) adoleſcens quidam ruſticus (22 *an-*
„ *norum fuiße tradunt*) in Boruſſiâ novum vitæ
„ periculum novo, atque audaci remedio evita-
„ vit. *Andr. Grunheide* vocabatur, ex Grun-
„ waldâ, qui locus ſeptem à Regiomonte mil-
„ liaribus diſtat, oriundus. Is diu ſtomachi
„ languore laborabat, atque ideo vomitionibus
„ aſſuetus, cum aliquando pro more ſuo arrep-
„ to cultello, manubrium ejus in fauces immit-
„ teret, gulæ ad vomitum ſtimulandæ cauſâ,
„ cultellus forte è manibus elapſus gulam pro-
„ fundius ingreditur, ac demum, etſi ægrè,
„ in ſtomachum ipſum deſcendit. Certe non
„ erat officina hæc, quæ ferrum concoqueret.
„ Neque Natura viam idoneam, quâ ſe novus
„ hoſpes ejiceret, præparaverat.

„ Igitur ancipiti malo & haud dubium in exi-
„ tium hominis vergenti, anceps quoque, &
„ ſtrenuum remedium conſilio Medicorum Re-
„ giomontanorum adhibetur, quod ejuſmodi
„ fuit.

„ fuit. Ægro firmis aſſeribus fortiſſime alliga-
„ to, conſtrictoque, ne verſando ſe, curam ma-
„ giſtri turbaret, Chirurgus paulo infra coſtas
„ ſiniſtri lateris aptâ ad id novaculâ aperire cor-
„ pus ad ipſum uſque ventriculum coepit, tum
„ pertentato eo, apertoque levi è vulnere cul-
„ tellum extrahit. Æger dein adhibitis fomen-
„ tis, & debitâ curatione brevi plane convaluit.
„ Cultellum teſtem miraculi Rex Poloniæ per
„ idem forte tempus Regiomontem intrans ad ſe
„ recepit, &c.

Eadem fere literis ſuis datis ad *D. Otthonem Heurnium* Profeſſorem Lugdunenſem in Batavis ſignificavit *Daniel Beckerus* Academiæ Regiomontanæ Profeſſor, ac Sereniſſimi, Poloniæ Regis Archiater, Juveniſque, ac cultelli picturam tranſmiſit, quæ hodieque in Lugdunenſi Theatro Anatomico conſpicitur.

Quod ſi quis itaque objiciat; Si letalia ſint ventriculi vulnera, quî fit, ut multi, cultello in eum immiſſo, atque hinc perforato eo, perfectæ nihilominus ſanitati reſtituti fuerint? Illi utique regerendum putem hujuſmodi perforationem ſtomachi lente admodum ut plurimum fieri, planeque aliter ſeſe habere rem, ſi recens ſit vulnus, ac ſi ſecus. A ſolutione enim continui tum demum periculum imminet, cum ſubito, & per vim infertur. Nec ſine maximo Boruſſi ruſtici bono contigit coagulati ſanguinis è vulnere provenientis per ductus urinarios emiſſio.

OBSERVATIO XL.

Fungi comeſi repentinæ mortis cauſa.

TRes Juvenes hic Hagæ in hoſpitio quodam commorantes 20 die Septembr. an. 1679. fungos quoſdam comedêre, quos Hagienſi in nemore collectos, butyro tantum admixto, frixerant equâvis alia præparatione poſthabitâ. Eorum dein potus ſpiritus vini fuit. De maxima autem præcordiorum oppreſſione poſtridie pariter conqueſti, vomitionibuſque continuis fatigati omnes tamen intra triginta ſex horas extincti ſunt.

IN OBSERVATIONEM XL.

CUm fungi, boletique delicatiſſimum luxurioſorum Romanorum ferculum, ac, boleti præcipue, ipſis Imperatoribus in deliciis fuerint, ne quis miretur Neronem boletos deorum cibum appellaſſe. Quotus enim quiſque eſt, qui neſciat Dis optima quæque, ut Nectar, Ambroſiam, boletos, &c. apponere, (ut ſolent infantes noſtrates in Cælo degentibus) atque affingere ſolitos fuiſſe paganos? Boletos autem genus fungi inter omnes optimi fuiſſe conſtat ex *Satyra* 5. *Juvenalis*, ubi *Vili-*

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino.

Exquiſitiſſimo condiebantur namque condimento, præſertim à ditioribus, quos idem exagitat *Sat.* 4. his verbis.

Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

Cum vero Deos gentilium hodiernis Dæmonibus, nec immerito, comparemus, ne cui mirum ſit, ſi fictione Romanorum, barbarorumque fictionibus accommodatâ fungos, boletoſque Batavi *Duyvels-broot*, quaſi dicas *dæmonum panem*, vocent. Verum enim vero, cum injurius eſſet, qui ipſis tam ſubtilem nominis derivationem obtrudere geſtiret; en ad veritatem forſitan propius accedentem opinionem. Non credunt ſcilicet Batavi Dæmones quicquam edere; At, cum fungos, ſive bonos, ſive malos, ſæpius inopinatæ fuiſſe mortis cauſam conſtet, non diſtinguunt inter illos; ac, quoniam vulgi opinio eſt Dæmones in locis ſubterraneis utplurimum degere, illos hujuſmodi noxiis fructibus ineſcare homines ſtatuêre, quibus plura noſſe non contingit. Atque ita vulgo (penes quem jam olim hiſce in regionibus plurimis rebus nomina imponendi jus, & norma vocandi fuit) hanc appellationem deberi crediderim. Accedit, quod quæ pulchiore ſunt adſpectu, ac lætio-

tiore effectu Dei res ſæpius vulgus appellet, quæ vero tetriore, Diaboli: Quod pluribus demonſtrare non lubet.

Sunt, qui à funere fungos dici volunt eò quod veſcentibus priculoſi ſint, & funera minentur. Hos & *Plinius* iis, quæ temere manduntur, accenſet. Italorum autem *Pradelli* à *prato* Latinorum, illorum item *Campinioni*, ut Gallorum *Champignon*, noſtrumque *Campernoelje* à Latinorum *Campo* deſcendunt.

Fungos telluris quoddam fermentum eſſe ſcribit *Nicander*. atque ex eadem acido quodam ſucco, atque humore turgente, ac fermenteſcente ortos.

Illi etiam humidi admodum, ac quibuſdam temperamenti etiam in tertio gradu extremo frigidi eſſe cenſentur; quare ad venena quam proximè accedit eorum natura, teſte etiam *Galeno* 7. *ſimpl. medicament*; ſucci enim frigidiſſimi, viſcoſi admodum, atque craſſi ſunt, ſcribente eodem *libro ſuo de bono, ac malo ſucco cap.* 4. Ut vel hinc quivis ſtatuat, fungis, quanquam optimis, malè credi. Quod ſi verum ſit, de iis, qui habentur ſaluberrimi, (quos tamen *Galenus* ipſe dicti libri eodem loco faſſus eſt quibuſdam fuiſſe *choleræ morbi* cauſam, licet rite præparatos, cui *Rudius* etiam *de morbis occultis, & venenatis lib.* 3. *cap.* 6. ac *Sennertus inſtitut. medic. lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 3. adſtipulantur) quid de iſtis dicemus, qui, venenatæ, ac peſſimæ cum ſint

na-

naturæ, copiosè tamen, nec præparati, nec ſale, aceto, aliiſve aromatibus adhibitis ingurgitantur?

Facilè itaque ipsâ ex origine conſtat minus ſalubres eos eſſe, quam citiſſimè enim, imò unius tantum noctis ſpatio è craſſiore quadam terrenâque, ac vaporibus refertâ naſcuntur materiâ, ita ut nec internus calor, nec aër maturitatem iis ad ferat.

Ipſa inſuper ſubſtantia ſpongioſa admodum, atque rara, ideoque valde nocens eſt, quales etiam ſunt ſpongiæ, quæ butyro liquefacto turgidæ, frictæque, in canum, à quibus comeduntur, (ſunt enim iis mortis plerumque cauſa) humore repletis corporibus turgeſcunt, eoſque tandem ſtrangulant.

Non equidem mihi animus eſt de bonis, maliſve fungis, quorum ſpecies dantur plurimæ, vel de eorum diverſis formis variiſve notis latius, accuratiuſque hoc loco diſſerere. Prævenit enim me jamdudum laudanda *D. Sterrebekii* diligentia, qui copiosè admodum de fungis ſcripſit. Bonorum ego tantum, malorumque differentias, quam potero breviſſime indicabo. Sciendum itaque eſt venenatos non tantum, ſed & probos naſci fungos. Illi maligni ſunt vel ex ſuâ naturâ, quia ex infecto, malignoque ſucco, nec non ex putredine proveniunt (unde & *mucoris terreſtris* nomine quandoque notantur) ſæpiuſque microſcopio munito oculo mucidi apparue-

re, certiſſimo indicio omnes malignos ortum ſuum incrementumqne putreſcentibus, mucidis, ac præfocatis, corruptiſque particulis debere: Vel etiam maligni ſunt, quod eos Serpentes, bufones, araneæve, aut ſimilia venenata animalia inquinent, vel herbæ, arboreſque in propinquo creſcentes, aut etiam infectis locis maligni aſſurgentes vapores contaminent; Vel denique pravâ hac polluuntur qualitate, ſi paulo diutius nativitati ſuperfuerint. Hos autem omnes, ſuadente *Galeno*, ne tangere quidem præſtat. *G.* enim *Frabritius Hildanus pag. mihi* 317. *obſ.* 35. *centur.* 4. peſſima quædam memorat ſymptomata, quæ alicui, qui manibus tantum fungos verſaverat, accidêre. *Foreſtus de venenis pag. mihi* 36. *obſ.* 11. odore ſolo nunnunquam illos comitialis, ſimiliſve malè affecti cerebri morbi, imò ſubitæ quandoque extitiſſe mortis cauſam ſcribit. Idem confirmat *P. de Abano cap.* 44. *lib. de venenis.* licet fatendum ſit alios præ aliis magis eſſe letales, ſicuti & inter bonos fungos alii aliis melius, leviuſque concoquuntur.

Fungi autem, quies tanquam cibo, ſive condimento ejus ütare nihilque ſubſit mali, plurimorum ſcriptis fidem facientibus, duum ſunt generum. Suntque vel *fungi pratenſes* (proprie *Campernoelien* noſtratibus) de quibus *Horatius lib.* 2. *ſat.* 4.

--*Pra-*

------ *Pratenſibus optima fungis*
Natura eſt :

Vel *Boleti*, qui inde dicuntur, quod juſtam rotundi boli mediam partem conſtituant. Hos etiam *Galenus libro dicto de cibis boni & mali ſucci* minimè noxios, Imperatorque *Nero* per jocum, ſcribente *Mercuriali*, aliiſque, deorum cibum dixit. Quanquam autem nonnulli ſatis tutò edantur, vel optimi tamen malignæ nonnihil qualitatis in ſeſe continent, ut quemvis facile fallant, teſtibus *Dioſcoride lib.* 4. *cap.* 83. ac *Galeno de aliment. lib.* 2. *cap.* 68. *fol. mihi* 25. ubi ita loquitur:

„ Ex fungis boleti, ſi bellè in aquâ elixi fue-
„ rint, proprie accedunt ad cibos inſipidos, non
„ tamen ſic ſolis ipſis, ut vulgò utuntur, ſed ap-
„ parant variè & condiunt, ut alia omnia, quæ
„ nullâ inſigni qualitate ſunt prædita. Alimen-
„ tum autem ex ipſis eſt pituitoſum, & frigi-
„ dum videlicet, pravique eſt ſucci, ſi quis ip-
„ ſis largius utatur. Equidem novi quendam,
„ cui poſt boletorum non ſatis elixorum (qui
„ innocentiſſimi eſſe putantur) uſum largiorem
„ os ventriculi preſſum, ac gravatum, coarcta-
„ tumque, & difficilem habuit reſpirationem,
„ atque in animi deliquium incidit, ſudoremque
„ frigidum ſudavit; ac demum ſervari ægrè,
„ ſumtis iis, quæ humores craſſos incidunt, po-
„ tuit.

Imo præſtantiſſimi, atque omnium optimi, ſcribente eodem *Dioſcoride*, ſi quis nimium eos comedat, nocebunt. Ille etiam *lib. 6. cap.* 23. eorum quoſdam genere, quoſdam copiâ nocere, univerſos autem ſtrangulatus ſuſpendio ſimiles concitare ait. Quod ipſum *Ætius* quoque *Tetrab.* 4. *ſerm.* 1. *cap.* 73. ac *P. Ægineta lib.* 4. *cap.* 55. confirmant.

Matthiolus lib. 4. *cap.* 78. tum demum letalem boletorum uſum ſtatuit, cum nimis abundè unâ vice ſumuntur. Mirari itaque jure merito liceat, cur illi & quondam apud Romanos uſque adeo in deliciis fuerint, hodièque apud multos ſint.

Plinius lib. 22. *cap.* 23. *fol. mihi* 418. de fungis noxiis agens, familias, ait, nuper interemêre, & tota convivia, Annæum Serenum Præfectum Neronis vigilum, & tribunos, & centuriones. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi?

Memorat *Suetonius Agrippinam* marito ſuo imperatori *Claudio* boletum medicatum obtuliſſe ciborum talium avidiſſimo. Quo ſumpto ſtatim obmutuiſſe Imperatorem idem ſcribit, ac tandem veluti ſenſim contabuiſſe, ac interiiſſe tradit *Tacitus*. Atque ita *Agrippinæ* doli latuêre.

Quo moneantur, hoc habeant, quotquot fungos in deliciis habent. Diſcernuntur à malis boni non viſu tantum, ſed & odore, ût ſupra

monui,

monui. Omnium autem longe optimi ſunt, quibus bonus, vividus, acidulusſque odor eſt, quique fracti, candicantis, firmioriſque ſunt ſubſtantiæ. Quamquam autem (quod animadvertendum) fungi quidam optimas viſibus humanis qualitates oſtendant, ut ſe probos eſſe perſuadeant, ſi prædicta tamen duo deſint indicia, ac præterea illi ipſi fæteant, gravioriſve, aut mucidi, vel alioquin ingrati odoris ſint, præſertim perruptâ internâ craſſiore ſummitate, relegandi, ſecernendique ab aliis ſunt, haud ſecus ac corruptis carnibus, piſcibuſque contingit. In apertis pratis optimi naſcuntur, quamvis & illic mali proveniant. Illi autem mali habendi ſunt, quibus caules intus cavi, nigrique, ac pileoli, ſive ſuperiora capita plana ſunt, aut convava, ita ut aquam contineant dum pluit, queiſque diviſis protinus decedit candor, ſummitateſque poſt diſſectionem, aliove modo factam diviſionem, ceruleæ, rubræ, aut nigræ, vel etiam virides, flavæve fiunt; nec non illi qui flavis maculis, cinereiſve notantur punctis, quibuſque barbulæ ſub capitibus nigreſcunt. Ejuſmodi fungi *Botallo* ſtrangulatorii dicuntur, præterquam, quod in ingens diſcrimen hominem conjiciant, peculiari inſuper modo hoc agunt ſuffocationem inducendo. In genere vero de omnibus pernitioſis fungis hoc aſſerit *Dodonæus lib.* 15. *cap.* 24. nec non *Cluſius Appendice.* Notatum reperi *miſcell. med. phyſ. curioſ. German. decur.* 2. *ann.* 2. *obſ.*

 73.

73. *fol.* 169. quendam aquam, quæ è fungis putrefactis emanaverat, & inſuper aliquantulum fungorum putrefactorum, immiſiſſe in vaſculum Porcellanum Indicum, illudque inverſo vitro probè clauſum, & tectum ſoli expoſuiſſe. Sed vitrum à vaſculo tollere aliquando cum vellet, deprehendit id ita firmiter agglutinatum vaſculo, ut ſimul illud in altum ſuſtulerit, uſque adeo apprimè tenax viſcus ſive glutinum hæ cupediæ habuerunt.

Judicium ergo penes omnes eſſe poteſt quid ſalutis in commeſtis fungis ſit? E fructibus arborem cognoſcimus, ſicuti illi, qui poſt inventum frumentum, glandibus non veſcebantur, ajebant: *ſat quercus*: ita & omnes fungos faſtidiant, & averſentur.

Ipſe autem jam ad utilitatem, auxiliumque eorum, qui malignis decepti fungis, vel palati inſtinctu copiâ bonorum (quos vocant) abuſi ſunt, aliquot hiſtorias adducam eorum, quibus hujuſmodi cibus nocuit, unde & horum ſanandorum rationem, modumque breviter quivis addiſcere poterit.

Fabrit. Hildanus centur. 4. *obſ.* 34. *fol. mihi* 317. Principiſſæ cujuſdam mentionem facit, quæ cum inter prandendum etiam fungos ediſſet, maximis ſub veſperam ventris torminibus, nec non cardialgiâ correpta fuit, mox quoque vomitus, & fluxus ventris ſupervenerunt, nec non denique ſanguinis per inferiora ejectio, animique

que defectus, ac frigidus ſudor, imo & ipſius mentis exilium, ita ut illa ſumptis 40. lapid. Bezoard. granis ſudans valetudinem perfectam recuperaverit.

Amatus Luſitanus centur. 1. *curat.* 39. *pag. mihi* 70. de ruſticâ 17. annorum puellâ refert, quæ, poſt fungorum etiam uſum, maximam eroſionem, doloremque ſenſit in ventriculo, cui febris, reſpirationis difficultas, animique deliquium accedebant: quare ille huic puellæ vomitorium mox præſcripſit, datâque poſt hujus effectum Theriacâ, brevi illam tempore ſanitati priſtinæ reſtituit.

Baldaſſar Timæus caſibus med. lib. 7. *de morb. venenoſ. & malign. caſ.* 4. *pag.* 311. refert ſcribam ſuum aliquot fungos in quodam nemore collectos veſperi, inſcio ſe, ſatis avidè comediſſe, noctu autem illum validiſſimis inteſtinorum torminibus, & diſtenſione ventriculi divexatum fuiſſe, non ſine ſingultu, ac difficillimâ reſpiratione, adeo ut penè ſuffocaretur, tremore etiam, frigidoque ſudore ſubſequente. Huic autem ſeſe initio quidem vomitorium, poſtea vero Theriacam cum oxymelite mixtam, denique clyſteres præparari juſſiſſe, ægrumque his medicamentis convaluiſſe memorat.

Deplorandum ſanè caſum, qui accidit familiæ *Bruſatorum*, affert *Joh. Bapt. Sitonus miſcell. med. curioſ. tract.* 4. *pag. mihi* 17.

Dominicus Panarolus Pentecoſt. 3. *obſ.* 45. opti-

optimum hoc contra fungorum noxios effectus proponit remedium quo etiam *Galenus lib. dicto de aliment. facult.* uſus eſt: Ægris initio vomitum ciet, Theriacam deinde cum oxymelite mixtam, ſive ſimplice, ſive compoſito bibere jubet.

Neminem autem, hoc ſumpto remedio diſceſſiſſe, aſt omnes Dei gratiâ malo ſuo liberatos eſſe affirmat. Illius autem hanc promit ipſe rationem: Quoniam duobus modis fungi nocent (ſcilicet cum propter malignam eorum qualitatem, quam vel à ſe habent, vel à rebus vicinis collegerunt, tum propter viſcoſitatem, ac tenacitatem, queis multis cauſam dant malis) ideo viſcoſitati inciſione, atque attenuatione, malignitati autem antidoto quodam opus eſt. Statuit etiam *Galenus* aceto hoc caſu utendum eſſe: Prudenter itaque agunt, qui comedendos fungos antea aceto perfundunt, intermixtis paſſim aromatibus. De pluribus malis poſt malignorum fungorum eſum ortis, eaque paulo poſt ſubſecutâ morte, *legi* poterit *Sterrebeke* fol. 341, &c.

OBSER-

OBSERVATIO XLI.

Graviſſima poſt uſum pomi Colocynthidis Symptomata.

RUſticus quidam caupo Juvenis admodum, atque alacer ad eam Hagienſis nemoris habitans partem, quâ illud Meridiei obvertitur, alvi purgationem ante aliquot annos animo verſans Colochynthidis in Pharmacopolio ponum emi juſſit. quod contuſum deglutivit. Poſt cujus uſum non tantum ineffabiles ventris cruciatus, verum & dyſenteria, taleſque illi artuum ſupervenere contractiones, ut echinum referret: fateor profecto nunquam me tam horrenda in quoquam conſpexiſſe ſymptomata. Ille tamen, favente Numine clyſteribus per inferiora, oleiſque atque amagydalatis per os aſſidue immiſſis, brevi ſane tempore iſti malo fuit exemtus.

IN OBSERVATIONEM XLI.

Haud dubie quam maxime nocet Colocynthidis pomum. Ipſa enim ſacra ſcriptura de eo teſtatur 2 *Regum* 4. *cap*. 39; uti *Eliſæ* famulus domini juſſu Prophetarum filiis olera præparaturus colocynthidis folia ignarus collegerat, quæ cum appoſita guſtaſſent Prophetarum filii flentes exclamarunt: *O vir Dei! Mors hac latet olla,*

Liebautius de Venenis pag. mihi 340, colocynthidis pomum intus ſumptum, eadem, quæ Euphorbium, mala excitare tradit.

Dioſcorides pag. mihi 382. Sanguinolenti ſeceſſus, ulcerum inteſtinorum, membrorumque convulſionum illud cauſam eſſe ſcribit.

Illius autem agendi vis, ac vehementia hinc eò magis elucet, quod nempe ejuſdem ſolo contactu, odoreque noſtra corpora non ſine maxima commotione ad alvi exonerationem adigantur. Quod norunt, quotquot dictum pomum contundunt, cribrantve, vel aliis modis contrectant.

Idem etiam ad alvum exonerandam facere, ſi eo adipe mixto infantis venter inungatur, docet experientia. *Sennertus lib.* 3. *part.* 2. *ſect.* 2 *cap.* 4. *fol. mihi* 110. noviſſe ſe medicum quendam memorat, qui quoties Colocynthidis pomum manu ſua, concludebat, quoad caleſceret ad alvi, exonerationem incitabatur.

Teſtatur etiam *Caſp*: *Hoffmannus lib.* 1. *de*

de medicam. officinal. pag. 25. *cap.* 9 ſolo tactu, & odore abunde, & cum magna perturbatione illud pomum alvum dejicere, quod experiuntur, qui eam pinſunt, aut alioquin tractant.

Tulpius obſ. lib. 4. *cap.* 25. *fol. mihi* 334 ſcribit virum quendam inopem, ac tardi ventris onera ejicere aventem impulſu cujuſdam trium colocynthidis pomorum decoctum bibiſſe; quæ acrimoniâ ſuâ prius muco, quo naturaliter obſita ſunt inteſtina, avulſo, uſque adeo tanta ipſi alvo excitarunt tormina, ut ille, apertis vaſorum ſanguiferorum oſtiolis, propter ingentem ſanguinis fluxum brevi vitam cum morte commutaſſet, ni immiſſo in os ac inferiora oleo, illico remedii vim corroſivam refrenaſſet, ac domuiſſet, ſeque hoc pacto non niſi mortem minitantibus malis eripuiſſet.

Schenkius obſ. lib. 7. *de Venenis è plantis pag. mihi* 980 ſcribit quendam robuſtum uſum clyſteris remedio, cui immiſta erat dragma colocynthidis non diu ſuperfuiſſe, atque illico poſt mortem, per aliquot horas continuas ingentem ſanguinis copiam per alvum emiſiſſe.

Platerus etiam obſ. lib. 2. *pag. mihi* 805 de Principe quodam refert, qui, acceptis à Medico pillulis, quarum invalidus nimis erat effectus altera vice aliquot ſumpſerit, quæ pauca colocynthidis recipiebant grana unde ipſi non tantum vehementes dolores, ſed & ſanguinis per alvum ejectio excitabatur haud abſque ipſius vitæ periculo.

De

De alio item ſcribit, qui alvum purgare cũpiens, integrum Colocynthidis pomum haud diviſum, per unam noctem vino immaceraverat (quod antea ſæpius jam fecerat) unde in funeſtum incidit alvi profluvium.

Quæret autem quiſpiam, cur, cum adeo noceat, pomi colocynthidis etiam aliquis in medicina ſit uſus? Is vero ſciat illud non ſolum rarius, verum etiam quam minimâ uſurpari copiâ, ac tum fere tantum, cum in diuturnioribus morbis medico animus eſt humorem quendam è capite, à nervis, externiſve membris, vel remotioribus partibus deorſum derivare, cum illud ipſum communibus purgantibus perfici nequit. Præſertim autem requiritur, ut ante uſum recte præparetur, bene ſcilicet contundatur, cribreturque, ne craſſiores quædam illius particulæ ſtomacho, vel præcipue inteſtinis hic illic adhæreant.

Corrigitur præterea adipe gummatibuſque, ejuſdem acritas. Incautius autem hic ruſticus illud non præparatum, ac negligentius contuſum deglutiverat.

OBSERVATIO XLII.

Opium ad dimidiam dragmam ſumptum.

QUidam I. R. nomine ætate jam graviori hic Hagæ degenti an. 1680. de-

decoctum, quo manus, cutaneo quodam malo affectos, abluerit, præſcripſit medicus quidam addito & ſeorſum, quo ventriculum evacuaret, vomitorio, quæ remedia cum ad ædes illius attuiſſet Pharmocopæus, patiens incuria quadam lavamentum imbibit, quod erat hujuſmodi.

℞. *opii crudi* ʒß.
Spiritus vini ℥v.
caphuræ ℈j.
M. fiat Lavamentum.

Cum jam paulo poſt errorem agnoſceret, non ſine trepidatione ad Pharmacopæi, meaſque ædes, utpote magis vicinas, curritur. Ipſe ad laborantem veniens Pharmacopæum reperi, qui mihi, quænam Pharmaca reciperet lavamentum, quod alter biberat, expoſuit: quare illi confeſtim vomitum excitare tepida aquâ, butyroque cœpi, utque totam noctem inſomnis tranſigeret, à tribus viris diligenter eum aſſervari præcepi, vinique Hiſpanici interdum nonnihil porrigi. Poſtridie longè melius ſeſe habuit, atque ita periculum evaſit.

Sicuti ſatis feliciter res hæc cecidit, ita infauſtum plane, quam referre aggredior, ſortita eſt exitum; quæ haud diu poſtea nundinarum tempore hic Hagæ puellæ cuidam cui nomen *Corneliæ Verhaar*, accidit, quæ ſumpta mane pilulâ ſibi data â muliere quadam ſanandi gnaram ſe mentita, ſub veſperam extincta eſt. Quam, poſt meridiem arceſſitus, ſoporoſam, ac valde oppreſſam reperi, nec quidquam reſponſi ipſi extorquere potui: Qui vero adſtabant, quidnam ſumpſiſſet illa, non indicabant, ſed pilulæ tantum, quicquid id erat, veniebat nomine, quam cum ipſe poſt inquiſitionem ad alvum exonerandam nihil feciſſe compeririſſem, clyſterem, qui ventrem purgaret, cardiacumque quoddam cochleatim ſumendum præcepi. Cum vero ſequenti die ipſam viſitare veniſſem, vita jam orbam intellexi, ac tum demum, ſed ſero, reſcivi puellam à circulatrice remedium petiſſe quo odontalgiam pelleret, hancqne illi dictam pilulam dediſſe, dicentem: Confer ſodes te jam domum, amica, lenis corripiet te ſopor, nec ullus poſt hac dolor infeſtabit. Cre-
do

do equidem nunquam veriora locutum; æternum namque ſopita manet puella, ac quovis dolore liberata.

IN OBSERVATIONEM XLII.

PRæterquam quod hoc remedium nocens ſit valde, puellæ tamen iſti imprimis obfuit, utpote quæ aſthmatica eſſet, ac dorſo ingentem gibbum portaret. Gibboſis enim cautiores ſcriptores narcotica præſcribi nolunt, quos inter & *Beverovicius* eſt qui, *Theſauri ſanitatis part.* 1. *cap.* 14. *pag. mihi* 142 ait anheloſis, & pectore oppreſſis, nunquam opium, hypnoticave exhibenda eſſe, quod pulmonis jam antea quodammodo obſtructos tubulos porro claudentes reſpirationis vias omnino præcludant; idque ſe non ſemel compertum affirmat.

Neque ſane mirum eſt opium intus ſumptum tales producere effectus, quoniam illud ipſum ſuppoſitorii formâ multos è vivis ſuſtulit, ut teſtantur *Rhaſis cent.* 4. *Galenus* 2. *de morb. vulgaribus*, *Avicenna*, *Zacutus*, *Marcus Gatinaria comm.* 9. *ad Almanzorem cap. de ſodâ cholericâ*, *Antthon. Betta ſuis comm. in Avicennam*: nec non *Nicolus ſerm.* 2. *cap.* 11. Idem *Nicolus ſerm.* 2. *ſum.* 2. *tract.* 1. *cap.* 15. ſenem quendam ſe vidiſſe tradit, qui ventris dolori levando enema præpari juſſerat, quod opii

 ali-

aliquot grana inter alia recipiebat, unde ille deceſſerit.

Platerus obſ. lib. 1. *decocti* clyſteris, opii portionem recipientis applicationem linguæ titubationem ſecutam fuiſſe ſcribit. *Alex. Benedictus lib.* 3. *cap.* 6. *& lib.* 7. *cap.* 17. *part. morb.*, *Paduæ* contigiſſe memorat, ut *Juſtinianus* quidam gente *Venetus* conſpicuâ admodum, atque antiquâ, cum maximo laboraret dentium dolore, molarem è loco ſuo evelli dentem juſſerit, ac, ceſſante minime dolore, quorundam impulſu aliquoties opium in vacuum ingeſſerit locum, unde æternum ſopitus manſerit.

Cardanus lib. de ſubtilitate cap. 18 refert, *Nelphum* quendam, cum in certamine equeſtri Patavii victor extitiſſet, depoſita galea, ut reſpiraret, ab invidis, quod plebejus eſſet, copioſo illito intus opio, extinctum fuiſſe.

Caveant itaque, atque obſervent ſedulo quotquot curæ ſuæ traditos infantes cuſtodiunt mulieres nutriceſque, ne illis, quamprimum moleſtiâ, doloreve quodam afficiuntur, continuo ſomnifera propinent. Contingit enim ſæpenumero ut hæc, quamvis non occidant, infantum cerebrum, nervoſque tamen crebro uſu debilitent, artuum tremorem, paralyſimque, uti ipſa docet experientia, nec non fatuitatem iis excitent.

Tilingius tract. de Laudano Opiato pag. 103. *cap.*

cap. 8. ſcribit famulæ cuidam Embdæ habitanti fuiſſe injunctam fictiliorum Pharmacopolii purgationem, illique forte ollam obveniſſe laudano Opiato refertam, hincque ipſam nonnihil ſumpſiſſe Theriacam eſſe credentem, unde ei illico ſenſuum ſtupor, & ſomnolentia per totum corpus obrepſerit.

Interroganti autem *Tilingio*, in iiſdem forte verſanti ædibus, quid illam læderet, ſe ex olla, quæ in angulo ſtaret, aliquantum deglutiviſſe reſpondit. Quare ipſi mox vomitorium præparavit, quod laudanum illico per os egeſſit, juſſitque poſtea varia inſuper antidota ſumere. Multo autem poſt tempore illi dictus ſtupor, ſomnolentiaque adhæſit, nec unquam priorem valetudinem recuperavit.

D. Cocq Medicus Hagienſis experientiſſimus retulit mihi ſe noviſſe Juriſconſultum, qui, morbo per aliquot hebdomadas continuas durante correptus, ſomni, quamquam invitus, parciſſimus fuerat: quare hortatu nonnullorum ad opii tincturam confugit, cujus uſui ſeſe aliquandiu ita aſſuefecit, ut, cum convaluiſſet, muſeumque intraret, uſque adeo ipſi labefactata eſſet memoria, ut ne ſatis quidem ſciret quonam loco litium inſtrumenta (ita J. C. vocant) poſuiſſet; quamvis poſtea priſtinus illius ſenſim redierit uſus. Me quidem non fugit, inquit *Schneiderus de catarrho lib.* 4. *cap.* 8. *fol.* 531. cujuſdam Regis Indiæ filium uſu opii mentem,

vocat *Oenanthen facie cicutæ, ſucco croceo, & viroſo*, quamquam fatear equidem folia illius magis referre ea, quæ ſunt Apii, quam quæ *Cicutæ*. Ipſe etiam id innuere videtur *Strabo*, cum *lib.* 3. *pag. mihi* 331. ſcribat Cantabros olim quoddam venenum ex herbâ quâdam Apio non multum diſſimili confectum ſecum portare fuiſſe ſolitos, quod, in interiora demiſſum, nullum inferret dolorem, quodque in quamvis fortunæ aleam, ne quid pace, bellove in ipſos decerneretur durius, paratum eſſet. *Theophraſtus hiſt. plantarum cap.* 15. *fol.* 116. apud ſcythas reperiri radices tradit, quæ comedentes ſtatim interimant; quod non ſine ſanguinis coagulatione fieri autumat.

Secundæ tab: literæ A: A: Cicutæ folium vivi inſtar notant, B: vero ejus oſtendit ſemen. Tertiæ tab: litera A: Oenanthes ſemen, B: B: ejuſdem radicem vibæ inſtar. C: C: vero hanc ipſam tranſverſim diſſectam monſtrant.

In


B
A
A

Tab: 3. Fol: 184.



IN OBSERVATIONEM XLIII.

SImile exemplum de infauſto radicis eſu extat apud *Henr. Smetium*, quondam Profeſſorem Academiæ Heidelbergenſis, *miſcell. ſuis Medicis lib.* 10. *pag.* 569. 8. *Martii an.* 1591. (inquit) „ *Caroli Bombergi* vidua, matrona nobilis in „ villâ ſuâ *Weileranâ* prope oppidum Otterber- „ gum præfecturæ Cæſaro-Lautrenſis, delirio „ abſque febri, ſubitaneo, unà cum totâ familiâ „ obruebatur, ex occaſione radicum quarun- „ dam, quas ex hortis, agriſque vicinis erutas, „ in opſonium coxerant, &, opinati ſalubres, „ bonaſque eſſe, comederant. Hiſtoriam ma- „ trona ipſa menti reſtituta, ſuâ manu conſcrip- „ tam ad me miſit in hunc modum.

„ Menſe martio priuſquam radices; germi- „ nare occipiant, ideoque haud facile dignoſci „ poſſint: radices quaſdam effoſſas ancillæ, ex- „ trinſecus à ſordibus, & cuticulâ radendo pur- „ gatos, in turundas oblongas, tenueſque mi- „ nutatim conſciderunt, quo more rapa, aut „ paſtinacæ hortenſes apparari ſolent. De elixo „ hoc, percoctoque edulio, comederunt con- „ vivæ octo. Inter quos tres erant mulieres, „ vir unus, adoleſcentes duo, totidemque puel- „ læ. Ad me, inquit, quod attinet, permag- „ nam mihi obortam ſenſi oppreſſionem anguſ- „ tiamque, adeo ut intra 24. horarum interval-

 „ lum

„ lum, aut nihilum, aut perparum mei com-
„ pos fuerim, nec quid agerem, ſciverim. Fui
„ ſiticuloſa admodum, in ventriculo, gulâve
„ fervorem immodicum percepi. Quum vero
„ jam ad me redire inciperem, tunc omne avi-
„ cularum, & cuniculórum genus mihi obver-
„ ſari videbatur, &, quoſcunque circa me vi-
„ debam homines, omnes vel mortui, vel ægro-
„ ti apparebant, quorum ſingulis opitulari, &
„ medicari allaborabam, aut ſaltem, qua poſ-
„ ſem, ſolari. Interea immemor ipſa mei, pro-
„ priique ignara pericli ſatagebam, & anxiè de-
„ fatigabar in ſublevandis, ac tranſportandis
„ tam viris, quam mulieribus, qui opinione
„ meâ ægrotabant. Alii vero imaginabantur ſe
„ videre lacertas, ſerpenteſque, alii arreptabant
„ in ignem, alii ſaltabant, & per dumos, ſepeſ-
„ que vagabantur. Diſpar quoque erat ægrota-
„ tionis tempus, his longius, illis brevius. Quo
„ quis plus de illis ederat, eò diutius & vehemen-
„ tius, quo parcius aſſumpſerat, eò moderatius
„ delirabat, mihi ſanè mens per 4. dies errabat.
Hactenus illa. Cicutæ fuiſſe radices conjicit *Smetius*, quod albedine, glabritieque paſtinacæ radices imitentur, nec non quod *Matthiolus comm. in lib.* 4. *Dioſcorid. cap.* 74. *de Cicutâ pag. mihi* 988. *ut & lib.* 6. *cap.* 9. perſimile quid memoret; Uti etiam *Hieronymus Tragus hiſt. ſtirpium lib.* 1. *cap.* 19. *fol. de Cicutâ* ejuſmodi delirantis matronæ exemplum adducit.

Vidi,

Vidi, inquit, honeſtam quandam mulierem cum inter paſtinacas cicutæ radicem forte coxiſſet, ediſſetque hinc veluti inebriatam, furibundamque evaſiſſe, ita ut in altiora aſcendere, ac volare geſtiret, quam tamen aceti hauſtus ad ſanam reduxit mentem.

Chriſtoph. Roeſlerus miſcell. med. phyſ. curioſ. ann. 3. *obſ.* 345. *fol.* 553. de Comite *Hanoviæ* narrat, quæ cum famulis inter coctas paſtinacas etiam cicutæ radices facie, guſtuque cum illis valde convenientes comederat; undè illis omnibus Vertigo ſupervenit, tanquam ebriis, inſequebaturque quoddam delirium, ſingultuſque, ac alia ſatis gravia accidentia. Harum autem nulla interiit. Unde infert non adfuiſſe multas radices noxias, adeoque non fuiſſe multas comeſas.

Non multum differt, quod narrat *Baldaſſar Timæus caſ. medicin. lib.* 7. *cap.* 4. *pag.* 310. de Oenopolâ Colbergenſi qui dictas radices cum carne bovillâ coctas comederat, quemque ſtatim præcordiorum angor, reſpirationis difficultas, viſuſque obtenebratio invaſit ſingultu comitata. Hunc autem poſt vomitorii uſum, ac deinceps poſt vini cum Theriacâ miſti hauſtum valde ſudaſſe, ac porro cardiacis ſanatum ſcribit.

Quod ſi quis dicat, ſi hæc eadem eſt radix, quæ illa, quam iſti duo (de quibus obſervatum) comederant, quî fit, ut nemo octo, pluriumve modò memoratorum, interierit?

Reſ-

Reſpondere poterit facilè, quiſquis conſideraverit radices horum non tantum fuiſſe purgatas, coctaſque, verum inſuper, decocto effuſo, eaſdem aromatibus, butyrique pinguedine fuiſſe aſperſas: quibus omnibus venenum obtunditur, & plurimum virium amittit. Illi duo autem eas crudas admodum, recenteſque ſumpſerunt.

Sic etiam *Montanus Americæ deſcriptione* pag. 69. *Jucæ* radicem paſtinacæ non multum diſſimilem tradit, lacteum quendam in ſeſe continentem ſuccum, quo turget, dictumque liquorem crudum ſumptum letalem, prælo autem expreſſum, coctumque ſanum eſſe refert.

Rochefort de Inſulis Americæ pag. 31. ſuccum radicis frigidum eſſe teſtatur, tanquam cicutæ, violentum etiam eſſe venenum, ſæpiuſque eodem uſos fuiſſe Indos, ut Hiſpanorum crudeles enſes, rabiemque evaderent, affirmat, quod ipſum modo de Cantabris narravi.

Quoniam vero plerique ſcriptores hanc plantam cicutam eſſe credidêre, aut eandem inter illius ſpecies deſcripſere, ut pote quæ etiam venenatæ ſit naturæ, plurimaque gravia ſymptomata, imo & mortem quibuſdam attulerit, operæ pretium fore arbitror, ſi, ut clarius omnia conſtent, ad harum plantarum diſtinctionem, præcipuas utriuſque, notabilioreſque adducam differentias.

Exponam autem antea, cur *Mathias Lobelius* hanc

hanc plantam *Oenanthen* dicat; *facie cicutæ*: cum tamen illam in borealibus Angliæ partibus ad rivos, paludumque margines creſcere ſcribat, ubi & Apium provenit, cui foliis valde ſimilem ſtatuit.

Quamvis autem Apii folia facie, formâque referat, color tamen plantæ noſtræ foliorum obſcurius virens eſt, ac nonnihil ad cicutæ colorem accedens. *Oenanthes* etiam umbellæ cicutæ ſimiles ſunt, exiſtimaturque illa hujus eſſe quædam ſpecies, veneni intuitu, animi enim deliquium excitat, caputque veluti in gyrum illico torquet.

Quantum autem ad differentias: ſciendum eſt primo, hanc *Oenanthen facie cicutæ* (ita vocat *Dodonæus Append. cap.* 1. *lib.* 3. *pag. mihi* 74.) foliis tamen a cicutâ differre, *Oenanthes* namque folia coloris obſcurè viridis, cicutæ vero leviter viridantis ſunt.

Illius etiam magnitudine ſuperant folia hujus, ac magis accedunt ad ea, quæ ſunt Apii, ut modo dictum. Illa autem quæ ſunt cicutæ, magis ſunt ſimilia foliis cherefolii, undè Belgis, aliiſque furibundi cherefolii nomine venit cicuta.

Præterea minoribus inciſuris cicutæ, quam *Oenanthes* frondes diſtinguuntur, nec adeo lævia, fulgentiave ſunt illius, quam hujus folia.

Caule deinde etiam differunt, *Oenanthes* enim caulis inferius, quâ parte è terrâ exit, coloris purpu-

purpurei eſt, & verſus cacumen aſcendendo paſſim viridior illius caulis eſt, quam cicutæ. Hæc autem (ſcribente Dodonæo) glabrum admodum habet caulem nodis multis, membriſque interſtinctum interiuſque cavum, at exterius rubicundis aliquot maculis, ut ſerpentum pelles ſolent, notatum.

Differunt tertiò etiam ipſo odoratu. Cicuta namque inamænum planè, ac fædum, gravemque odorem ex omnibus ſuis diffundit partibus, longè alio tamen modo, quam quo *Oenanthe*, quæ hoc vitio etiam laborat: Ipſe enim reverâ confiteor *Oenanthes* radicis modo è terrâ eductæ, ac tranſversè diſſectæ odorem cerebrum nobis aliquantulum turbaſſe, ac neſcio quam pro tempore attuliſſe inconſtantiam.

Quarto diſtinguuntur loco, quo proveniunt. Cicuta enim abunde extra urbes, pagoſque naſcitur, locis paſſim frigidioribus, fundoque umbroſo, ac pingui in aggerum vel rivorum marginibus propè dumos, vel pratorum, agrorumve Cerealium, aut paſcuorum lateribus, teſte eodem *Dodonæo part.* 3. *cap.* 35. *Oenanthe* autem hiſce in terris longe infrequentior, ac minus nota eſt, quam in regionibus magis Arcton accedentibus, præcipue tamen in Angliâ Boreæ propiore, ubi illa in fluentorum, lacuumque ripis copiosè cum Apio provenit, ut ante dictum.

Quintò utraque hæc planta vel maxime ipſa diſtin-

diſtinguitur radice: neque enim unicâ tantum, veluti cicuta, ſed plurimis, iiſque majoribus, radicibus firmatur *Oenanthe*, quæ ſingulæ tenuiori multo cauli affiguntur, quamobrem etiam filipendulæ ſpeciebus annumeratur *Oenanthe*. Adde, quod Cicutæ radix & longitudine, & craſſitie longe ſuperetur, cumque primum prodit hujus caulis, radix cava ſit, ac vacua fere, quæ tamen alioquin plena, atque firma eſt. Flavæ itidem, variæque in tranſverſe diſſectâ *Oenanthes* radice conſpiciuntur maculæ, ſuccuſque inde flavus quodammodo provenit: ideoque monet *Dodonæus*, ut hujus rei maximè habeatur ratio, utpote qua illa à filipendulâ montanâ diſcernatur.

Sexto, & ultimo longe diverſi ſunt utriuſque plantæ effectus, quamvis enim, teſte *Galeno*, frigida ſit utriuſque natura, vertiginemque, atque animi perturbationem ambæ excitent, cicuta præcipue tamen artus obſtupeſcentes, hominesque ſomniculoſos reddit, ita ut ad opii naturam quodammodo accedat, cum *Oenanthe* delirium potius excitet.

Ad probationem narcoticæ & obſtupefacientis cicutæ qualitatis ſequentia faciunt exempla.

Simon Pauli tract. de febribus malignis p. 2. §. 2- de tribus narrat, qui veris tempore olera comederant diverſis herbis conſtantia, qualia tum temporis ſanitati conducere exiſtimabant: inter ea tamen cicutariam inſcii miſcuerant, poſt

poſt cujus uſum illi in continuum animi deliquium inciderunt. Unus autem ex his tribus qui Centurio erat, jam objerat, cum is, qui hæc narrat, ad curam vocaretur.

Hic verò reliquas, cæteræ enim mulieres erant, uſu cardiacorom ſudoriferorumque ſanavit, poſtquam ſpeciatim juſſiſſet, ne ſomno illas corripi, qui adeſſent, paterentur; Scribit etiam porro has mulieres, poſtquam ſudaſſent, purpureis aliquot maculis, quæ ultro prodierant, fuiſſe notatas.

*Amatus Luſitanus cent.*5. *curat.* 98. *pag.* 555 de undecim annorum puero memorat, qui *Piſaurâ* urbe egreſſus, ſummiſque cicutæ faſtigiis per jejunas fauces in interiora immiſſis, ad torridum ſolem illico dormiverit, cumque â ſomno expergiſceretur, non viderit, nec mente conſtiterit, ſed domum portatus brevi diem ſuum obierit.

Notior eſt infelix *Socratis* exitus cicutæ ſucco extincti, quam ut hic adſcribi debeat: *Plato* namque *Phædro*, *Ciceroque* 2. *Tuſcul. quæſt.*, nec non *Beverovicius Theſaur. valetud. adverſæ cap.* 24. *pag.* 248. late eum deſcribunt. *Æmilius Macer lib. de herb. virtutibus cap.* de cicutâ ita loquitur.

Frigida letiferæ vis noſcitur eſſe cicutæ,
Unde necat gelidi potantes more Veneni, &c.
Publica pæna reis hæc eſſe ſolebat Athenis,
Hac ſumptâ magnus Socrates fuit exanimatus.

Quam-

Quamquam nec ignorem etiam eſſe, qui cicutæ venenum Socrati propinaſſe Athenienſes negent, ſed mixtum quoddam toxicum, quod cicutæ ſucco temperatum cicutam dixerint, fuiſſe aſſerant, cui opinioni etiam adſtipulatur *Valerius Maximus lib.* 2. *de Ext. Inſtitutis, diſtinct.* 8. *fol.* 181. *Ælianus lib.* 9. *de variar. rerum hiſt.* ſcribit *Theramenem* à 30 Tyrannis coactum fuiſſe bibere cicutam, quam uni ex prædictis, pulchro ſcilicet Critiæ, forti animo propinavit, & non multo poſt vivere deſiit. *Euphrates Philoſophus* (uti refert *Dion Caſſius hiſt. Roman. lib.* 69) ſponte de vita cicutæ hauſtu exceſſit, veniam impartienti *Adriano*, quod eſſet annis feſſus, & præterea morbo divexaretur.

Thuſci aſini, ſcribente *Matthiolo comm. in caput* 745. *lib.* 4. *Dioſcor.* ſi quando cicutam dedepaſcantur, in profundum incidunt ſoporem, artus ipſis flacceſcunt, ac veluti ſenſu carent, eoque illi non tantum orbi, ſed & jam defuncti videntur.

Hoc ipſum ruſticos nonnullos quondam hujus rei inſcios valde decepit: His namque aſinis pelles detrahentibus (mortuos enim credebant jam diu) poſtquam jam multum proceſſerat ipſa detractio, medium inter opus ſurrexere aſini, ingentemque ipſis tremorem, ſpectatoribuſque ridendi cauſam attulere.

Ratione loci natalis venenum ejus majus, minuſve obſervari, ex *Dioſc.* & *Plinio* notum eſt.

Ne vero quiſquam dubitet, quin etiam hiſce in regionibus cicutæ ea ſit vis, qua ſomniculoſos reddat homines, placuit huc adducere exemplum quoddam è *Nicol. Fontani* celeberrimi quondam Medici Amſtelodamenſis *Reſponſ. & Curat. med. pag. mihi* 16. Qui quinquagenariæ mulieris mentionem facit, quæ jam pridem peſte liberata, at, quamquam eo morbo ceſſante, per noctem tamen ſomnum capere non poterat.

Quare alias mulieres conſuluit, atque ex his una ut veſperi lactucam, quam cicutæ aliquot foliis adſpergeret, loco aliarum herbarum condimentariarum ederet, ſuaſit: quod illa ſecuta conſilium ſequenti nocte optime quievit; nec ita agere deſtitit, donec ipſe *Fontanus* illam vigiliis liberaturus viſitaret; continuâ namque tum temporis, atque periculoſâ admodum febri infeſtabatur, lectoque inhærebat. Ille eam refrigerantibus atque humectantibus, nec non venæſectione, ac purgantibus juvare ſatagebat: unde factum, ut poſt unam, & alteram hebdomadam febris omnino ceſſaret; Illa nihilominus inſomnes ſe tranſigere noctes quotidie conquerebatur, ideoque duo grana laudani Opiati ipſi exhiberi juſſit; neque ſic quidem illa ſatis quievit; ita ut his etiam tria adderentur, ſed nequicquam. Quamobrem ſenſim aſcendens novem ipſi grana præbuit ſed & hæc effectu caruere, nec tantopere expetitus ægrotantem fovit ſomnus.

Inquiſivit itaque in cauſam, ob quam ceſſaret ſom-

ſomnus, reſcivitque tum quicquid ſupra narratum. Ipſe ergo remedii genus mutans ad ea confugit medicamina, quibus jam aſſueta erat mulier, ſolitique ipſi permiſit oleris eſum: poſt cujus uſum ſomnus, ut ante, noctu rediit; Illa autem Omnipotenti Deo, medicoque propter recuperatam valetudinem ſummopere gratias egit.

Sicuti opium, licet extrinſecus admotum, noxium eſt, uti præcedenti ex obſervatione patet,) ita etiam cicuta eſt, quam ne quis inflammatis, aut dolore oppreſſis admoveat partibus, monet *Sterrebeke fol.* 337. obſtupefacit etenim, atque invalidos cicuta reddit artus, nec tollit omnino morbum, doloremve, quamvis hunc per aliquod tempus quidem minuat, caloremque temperet, illud autem corpus, membrumve, quod vexat dolor, ſtupidum, ac ſemimortuum evadit, ita ut nec morbum, nec dolorem ſentiat. Corpore autem membrove priſtinum vigorem recuperante, longe major eſt dolor, quam fuit antea, difficilius etiam multo morbus eo caſu tollitur, quia pars frigefacta eſt, quæ contumacem efficit morbum. Quamobrem, niſi maximâ urgente neceſſitate, non erit admovendum membris extrinſecus quicquid hoc herbæ eſt.

OBSERVATIO XLIV.

Aqua fortis pota.

AD *Franciſci* cujuſdam *Valette* infantem an. 1645. vocabar tres circiter annos habentem, qui aquam fortem, quæ patri in promptu ſemper erat, ad opus mechanicum quod exercebat requiſita, biberat. Hinc autem non ita diu poſt continuè, ac vehementer, haud abſque maximo angore, vomere coepit. Quamquam vero quicquid aquæ fortis ſumptum eſſet, vomitu illico ejiceretur, nonnihil tamen illius liquoris villoſis ventriculi adhæſit membranis quod nihilominus corrodentem ſuam vim illic exſerebat. Quare infanti ſtatim oleum tradi juſſi, quo ejecto per os, aliud, ac poſtea item aliud immitti præcepi, donec ipſe aliquid, quod cochleatim uteretur infans, præparari curarem: Hic autem ſyrupus violarum erat, cum duplo mucilaginis ſem: cydoniorum. Mandavi præterea, uti, nihil amplius egerente ſtomacho, lac dulce,

ſed

ſed tepidum infanti bibendum propinaretur. Atque hoc quidem pacto brevi temporis ſpatio ille infans convaluit.

IN OBSERVATIONEM XLIV.

IPſe equidem necdum tum temporis de ejuſmodi caſu quidquam audiveram, quandoquidem tam gravis quam rariſſime contingit error, ut mirum non ſit, ſi pauci admodum ejus mentionem faciant. Diu tamen poſtea, cum *Balduini Ronſſei Epiſt. Medicinal. 9. pag. mihi* 27. legerem, intellexi nautam quendam Leydâ Goudam navigantem cantharum reperiſſe, quem probè obturatum ſpiritu vini repletum ſuſpicabatur, cumque ſitiret valde, multum inde ſimul hauſiſſe, quod illico totas ejus fauces, ventriculumque, veluti aduſſit, non ſine acerrimis ſtimulis, contractionibuſque, quæ ſpaſmo ſimiles erant. Hic tamen poſt olei raparum uſum, linctumque è mucilagine ſem: cydonior, ſem: altheæ, Gum: Tragacanthæ cum aqua roſarum extractâ, cui mel roſarum, & ſyrupus violarum miſcebantur, ſanatus eſt.

Bruno Seidelius de morb. incurabilibus p. 13. puellam maxime ſitientem memorat incautè lagenam arripuiſſe, quâ aqua fortis continebatur, hanc autem cum bibiſſet, horrendis cruciatibus doloribuſque vexata miſere deceſſit. *Henricus ab Heers obſ.* 16. *pag. mihi* 152 meminit juvenis

cujuſdam 20 annos nati, qui itidem aquam fortem, vini ſpiritum ratus, poſtquam bibiſſet, extinctus eſt.

Borellus cent. 4 pag. 300. *obſ.* 28 de duabus refert puellis, quæ cum in aurifabri ædibus ſimilem aquam imbibiſſent, vehementibus doloribus comitatam mortem obierint.

Nobiliſſimus Dom. *Joh. Ludovicus Hannemannus* communicavit mecum per literas ruſtici hiſtoriam, qui Aurifabro Lunæburgi lignum vendens, auctariique loco hauſtum vini aduſti petens, juſſus fuerit ingredi hypocauſtum, ubi cum ſolus vitreum poculum aquâ forti plenum vidiſſet, vinum phlegmate orbatum ratus, ingentem fecerit hauſtum, & aurifabro non multò poſt vini ſpiritum apportanti, reſponderit, ſe jam bibiſſe ex hoc vitro, nec ultra appetere, unde illico punctiones, & lancinationes in ventre ſentiens, aſſumto largo olei amygd. dulcium hauſtu curatus eſt.

OBSERVATIO XLV.

Lapis è jecore per abſceſſum detruſus.

D. *G. Liebergen* Medicus Hagienſis haud incelebris noviſſe ſe quendam, eique cum Chirurgo *Allarto Barringa* medicinam feciſſe teſtatur, cujus hepar,

par; poſtquam ille diu continuâ febriculâ infeſtatus fuiſſet, tandem invaſit abſceſſus. Quoniam autem illud intumeſcebat admodum, ad puris exonerationem inciſio facta eſt, per quam ingens probè cocti puris emanavit copia, quod cum jam aliquamdiu fluere non deſtitiſſet, ſubito admodum apertura fuit obturata, ita ut omnis puri præcluderetur exitus, cujus quidem obturationis calculus quidam cauſa erat, qui arctè factum foramen clauſerat, adeo ut ad hujus materiæ ulteriorem evacuationem dictæ inciſionis requireretur dilatatio; quâ factâ, qui tam diu latuerat, internus hoſtis apparuit lapis ovi columbini inſtar: undè multum lætatus æger paulò poſt priorem ſanitatem recuperavit. Quoniam vero duriorem, atque aſperiorem cibum (uti ſolebat antea) nimis præmature edere incipiebat, in novum iterum, non ſufficientibus illius ad ejuſmodi cibi concoctionem viribus, morbum incidit, qui letalis ei fuit. Aperto cadavere abſceſſus intus omnino ſanatus, ipſum autem jecur (propter amiſſionem partis corporis illius ulcere factum)

 tum)

tum) mediâ ſui parte truncum reperiebatur.

IN OBSERVATIONEM XLV.

CAlculos in veſicâ fellis repertos fuiſſe, jecurque pro parte induruiſſe non uſque adeo novum eſt, illi autem ſi in ipſo Hepatis corpore, ejuſve membranâ naſcantur, id rariſſimum duco. De lapillis in jecinore repertis vide *Dodonæum notis ad cap.* 3. *obſ. med. Anthon. Benivenii* fol. 141.

Cælius Rhodiginus, ac *Cardanus* de lapide referunt, qui inſtar olivæ majuſculæ propè veſiculam fellis in hepate provenerat.

Renodæus de materiâ med. lib. 3. *cap.* 23. *fol. mihi* 679. de tribus calculis agit, in jecore conſpicui cujuſdam viri repertis, de ſimilibus, etiam teſtantur *Fallopius*, *Columbuſque*, *ac Foreſtus*.

Mœbius Fundament. Medicæ Phyſiolog. cap. 14. *pag.* 341. plurimos lapillos anguloſos, quales ſunt aleæ, ex hepate uxoris cujuſdam præfecti militibus extrahi vidit: Lapidis cujuſdam, qui propè ovo gallinaceo magnitudine par in inferiore lobi hepatis parte repertus fuerit meminit Greiſelius *miſcell. curioſ. ann.* 1. *obſ.* 86. *fol.* 165.

Hujuſmodi lapidum eo loci repertorum mentionem faciunt quoque *G. Fallopius*, *Chryſtoph. Col-*

Columbus, *Foreſtus*, *Scaliger*, *Matthiolus*, *Kentmannus*, &c.

Godofredus Thileſius dicti lib. obſ. 150. *fol.* 241 de innumerabilium prope lapillorum cumulo narrat, qui quingenti, imo ſexcenti penè numero, omnes variæ formæ erant, hique tres, illi quatuor, ſex alii habebant angulos, quos ipſe per hepatis exulcerationem, ſubſecutamque fiſtulam provenire vidit, quorumque maximi fagorum fructibus, minores autem granis ericæ bacciferæ pares erant.

Gerardus Blaſius obſ. med. 19. *fol.* 84. lapidis mentionem facit limacis formam exprimentem, medioque in pure penduli, qui poſt jecinoris inflammationem in eodem provenerat.

Anthon. Benivenius obſ. medic. cap. 3. *fol.* 140. de nobili quadam fæminâ memorat, quæ diu de partibus jecinori proximis conqueſta tandem objerat. Plurimi autem colore, formâque diverſi lapilli poſt cadaveris diſſectionem in inferiore hepatis membranæ parte reperti fuere; qui ſuo etiam pondere ex illâ tunicâ aliquid ſacco non diſſimile, palmæque manus magnitudine par, ac duos digitos longum ſibi confecerant; unde maximus neceſſario dictæ mulieri ortus fuit angor.

Paulus de Sorbait Miſcell. med, phyſ. curioſ. decur. 1. *an.* 2. *obſ.* 106. *fol.* 179, de lapide agit ex Comitiſſæ cujuſdam hepate educto, qui anſerino ovo magnitudine par ipſius jecoris membranæ adhærebat.

OBSERVATIO XLVI.

Pus ex abſceſſu jecinoris continue per pulmonem, atque hinc per fauces tuſſi ejectum.

IPſe olim cum D. *Theod. Liebergen*, Medic. Doctori celeberrimo viſitavi quendam *Joh. Henrici* Nobiliſſimi D. *Quintini de Veer*, Balivi (quem vocant) quondam Hagienſis miniſtrum, qui diu de latere ſuo dextro ſub coſtis nothis conqueſtus erat; unde ſuſpicabamur, poſtquam alias ſatis intellexeramus circumſtantias, hepar malè ſe habere: Cum vero ille aliquoties ſputa purulenta per os tuſſi egereret, nec ulla ſeſe affecti pulmonis proderent indicia, toti in hoc eramus, ut, unde pus progrederetur, expiſcaremur. Quod tamen tum demum nobis ſcire licuit, cum aperto cadavere, præſente fratre meo quondam cariſſimo *Joh. Stalpartio vander Wiel*, ingens nobis apparuit jecoris abſceſſus, ſimulque vidimus illud inferiori diaphragmatis parti ad latus dextrum, in pecto-

pectore autem pulmonem ad idem latus ſuperiori diaphragmatis parti adhærere, & accretum eſſe, ita ut pus è dicto abſceſſu per fiſtulam quandam illo loco diaphragma perforantem ex hepate in pulmonem haud difficulter tranſire, atque ita ejus pars tuſſi egeri potuerit.

IN OBSERVATIONEM XLVI.

RArior profectò hæc via eſt, moduſque puris è ventre per ipſum os eijciendi. Veroſimile videtur jecur inflammatum atque intumeſcens ſeſe non tantum alligaſſe diaphragmati, verum etiam hoc ipſum tumore ſuo ita ſuſtuliſſe, ut pulmoni obvium factum ſeſe conjunxerit.

*Tulpius obſ. lib.*2. *cent.*27. *pag.*146. de novo marito, eoque etiamnum juvene refert, qui, cum ipſi Hepatis ſuperveniſſet inflammatio, venæ ſectionem neglexerat, unde factum, ut inflammatio in ulcus degeneraret, ac ipſe primum puris partem per alvum, & verſus morbi finem tantundem per os tuſſi excerneret.

De rariſſimâ Hepatis cum pulmone conjunctione, earumque & vicinarum partium conſtitutione admirandâ, lege, ſodes, *Iſbr. de Diemerbroeck anatom. lib.* I. *cap.* 13. *fol.* 122.

OB-

OBSERVATIO XLVII.

Bilis in Infantibus per Poros ipſius fellis veſiculæ tranſmiſſa pravorum ſymptomatum cauſa.

IN apertis infantum cadaveribus aliquando ſum expertus ventris dolorem, nauſeam, vomitumque, ac febrem, convulſiones, nec non cardialgiam orta fuiſſe ex eo, quod Bilis per poros ejuſdem veſiculæ tranſiiſſet, atque eadem inteſtinum duodenum, nec non ventriculum non tantum flavo ſuo colore extrinſecus infeciſſet, ſed & intrinſecus per earum partium membranas penetraſſet, quandoquidem fellis veſicula iiſdem partibus fuiſſet contigua.

IN OBSERVATIONEM XLVII.

QUid jam de his ſtatuetur? Equidem fieri potuit, ut humor quidam viſcoſus felli mixtus aliquam in hiſce partibus viam obſtruxerit, ita ut per poros tenuiſſimæ Bilis veſiculæ tenuior humoris eâ contenti pars facilius tranſire, dictaſque partes colore ſuo inficere

ficere, ac, quæ memoravimus, accidentia excitare potuerit: quod ipſum etiam ſum expertus in quibuſdam, quibus Bilis veſiculas calculi obturaverant, & in quorum cadaveribus inteſtina flavo maculata erant colore, cum illi ipſi omnia ferè, quæ numeravi ſymptomata ſenſiſſent.

N. Tulpius celebris olim apud Amſtelodamenſes medicus *obſerv. lib. 2. cap. 27. fol. mihi* 160. hiſtoriam adfert prægnantis, in cujus cadavere aperto, præter abſceſſum meſenterii à partu diſruptum; colon tam liberè bili flavæ innatare repertum, ut eam cochleari inde eximere licuiſſet, quam bilis affluentiam quum frequentius hîc loci animadvertant Anatomici, veriſimile eſt eam tranſudare paulatim per tunicas folliculi fellis huic inteſtino, quam aliis, viciniores.

Refert *D. Melchior Fribe Ephemerid. med. phyſ. German. dec. ann. 3. obſ.* 100. *fol.* 162. de Aurigâ febre continuâ ardente defuncto, in cujus cadavere exenterato inter cætera obſervaſſe ſe ait è cyſtide felleâ adhuc integrâ, & illæſâ, ovo columbino majore, exſudaſſe tenuiorem bilis portiunculam, duorum, vel trium tranſverſorum digitorum ſpatio, circumcirca ſuperas, inferaſque, & adjacentes partes undequaque croceo colore tingentem, irrigantemque ac ita corrodentem, ut partes eâ illinitas, & attactas putredinem acquiſiviſſe manifeſtè non ſolum conſtiterit, verum & præter hepatis ſubſtantiam, magnam partem hypochondrii dextri tingendo,

roden-

rodendoque putridam reddiderit, illæsâ planè veſiculâ bilariâ.

OBSERVATIO XLVIII.

Lien vomicâ circumquaque cinctus.

CUm mulier quædam, utrimque datâ nuptiarum fide, poſt coitum gravida facta eſſet, ſeque poſtea eluſam videret, uſque adeo fuit contriſtata, ut toto graviditatis tempore continué plo-raret, ejuſque viſcera aſſiduâ animi inquietudine temporis tractu pravâ afficerentur diſpoſitione, ac ipſa de latere ſiniſtro multum conqueſta jam mortuum eniteretur fœtum, cujus in lucem adventui ipſa octo tantum dies ſuperfuit. Cadavere ejus à Chirurgo *Arnoldo de Wilde*, me, Collegiique Chirurgici ſuperioribus, aliiſque præſentibus aperto, abdomen tenui, fætentique pure repletum apparuit: Cauſam hujus quærentes lienem ſatis mali coloris invenimus, durumque admodum, ac medio hoc in pure natantem, nec non undique membranaceo ſucco veſtitum, è quo jam diſ-fracto

fracto illud pus prouenerat, quique in partu nimiis preſſionibus fuiſſe diſruptus videbatur.

IN OBSERVATIONEM XLVIII.

JObus *Mekeranus pag. mihi* 461. ſeſe in liene rotundam veſicam aquâ repletam, ſuâque concluſam membranâ reperiſſe memorat, è quâ apertâ pura, albaque lympha, ac rotunda pellucida, craſſaque membrana prodibat.

Coiterus libello obſ. Anatom. & Chirurg. reperiſſe ſe ait in corpore cujuſdam fune interemti veſiculam quandam duobus pugnis magnitudine parem, quæ aquâ plena inferiori ſplenis parti annectebatur.

Carolus Piſo de morb. à ſorosâ colluvie ſect. 1. *pag. mihi* 45. ſplenem alterum, eundemque præcipuum ſeroſi liquoris in corpore fontem ſtatuit, quod ipſum ibidem probare nititur. *Sectione autem* 7. *cap.* 4. *pag. mihi* 433. de aquoſo agit tumore, ſive de ſingulari quodam lienis hydrope: Porro *pag.* 439. non omnino eum ratione carere ait, qui ſtatuit ſeroſam ſanguinis partem in ſpatium membranam inter, & parenchyma jecoris, ſpleniſque interjectum excuti poſſe, aut ſenſim exſudare, colligique eâ copia, quæ tumorem excitet, quod etiam *Hippocrates* teſtatum reliquit.

Peyerus

Peyerus hiſt. med. ad Theoph. Bonetum de muliere quâdam ſcribit, quæ aſcite interierat, cujuſque in cadavere ſplen naturali quidem colore, ſubſtantiâque, verum ne quidem majorem fabam magnitudine ſuperans apparebat; cujus etiam exterior tunica, pro ſextâ parte putrefacto ſero exeſa erat.

Thom. Bartholinus act. med. obſ. 13. *fol.* 23. famulæ cujuſdam mentionem injicit, cui itidem aſcites letalis fuerat, ac è cujus defunctæ ventre centum, ac viginti aquæ libræ depromebantur: Illa tertio decimo ante obitum anno, gravis admodum ponderis lignum ſuſtulerat, atque ex eo mox tempore de lateris ſiniſtri dolore queſta fuerat, ſubſecutus deinde internus tumor fuit, qui vix loco moveri videbatur, at digitis preſſus huc illuc inclinabat: poſtea contigit, ut è curru decidens diſrumpi tumorem ſentiret, atque hinc illico intumuit, nec non exinde indies ventris tumor accreſcebat, illa autem miſerrima, ac dolore immenſo victa, per octo menſes continuos ab illo tempore lecto incumbere coacta erat. Videtur autem (ita pergit *Bartholinus*) illius lien, qui duriuſculus, atque exſiccatus poſt reperiebatur, dicto caſu preſſus, atque ita vaſa hujus lymphatica ſeroſo humore jam antea valde extenſa, externâ tandem vi rupta fuiſſe.

OBSERVATIO XLIX.

Inſolitæ admodum magnitudinis Lien in infante repertus.

ARnoldus Boſchius Medicus non infelix, atque ex eorum numero, qui ſpeciatim hujus Urbis Magiſtratui fidem dedere, retulit mihi vocatum ſe fuiſſe ad viduæ cujuſdam militis hic Hagæ habitantis filiolam ſeptem annos natam, atque de acri dolore, ac tenſione in ſiniſtro latere conquerentem, nec ſane immerito, quandoquidem memoratus Medicus idem latus ab uſque nothis coſtis ad inguen adeo extenſum, tumidumque reperiebat, ut ipſa hinc viſcera in ventre preſſa fuiſſe crederet. Macida admodum hæc filia erat, quoniam nihil fere, quod aleret, intus retinere poterat, at ſtatim evomebat, febriculaque inſuper continua paulatim conſumebatur propemodum, ita ut miſella hæc filiola poſt quævis medicamina tam intrinſecus, quam extrinſecus per quatuor menſes continuos ſecundum artis præcepta

necquicquam adhibita tandem occubuerit. Cadavere ab Urbis Chirurgo *Rolando Goutier* aperto, preſente dicto D. Boſchio Medico, uſque adeo præter naturam inſolitæ magnitudinis apparuit lien, ut totum ſiniſtri lateris ventris circuitum ab ipſo uſque diaphragmate ad inguen inferius repleret, unde factum, ut inteſtina ſolito colore privata eſſent eum in modum, ut gangræna circa eadem ſeſe jam manifeſtare coepiſſet. Ventriculus etiam adeo apparebat compreſſus, ut mirum non eſſet nihil alimenti per eundem deorſum potuiſſe deſcendere, ideoque dictam filiolam, ceſſante nutritione, non ſuperfuiſſe amplius. Ipſe lien quamquam maximus, atque immenſus, naturalis tamen erat coloris, ſubſtantiæque. Quod autem hac in narratione præcipuum, atque omnium maxime miratione dignum putem minime ſilentio prætereundem eſt. Mater quippe intellecta filiæ mortis cauſâ, illico in lacrymas effuſa quintum hunc jam patre orborum infantem eſſe dixit, qui, continuata ſerie, ſimili plamodo circa ſeptimum ætatis annum deceſſe-

ceſſerit, uno eodemque morbi, mortiſque genere. Illa etiam unicum ſibi reſtantem infantem oſtendit, in quo etiam tum quædam ejuſdem mali ſeſe prodebant indicia, quemque ipſa non immerito, cum ad ſeptimum annum perveniſſet, eadem fati lege rapiendum metuebat, huic tamen ut parceret Deum T. O. M. precabatur.

IN OBSERVATIONEM XLIX.

HIppocrates *lib. prædict. 2. ſect. 2. fol. mihi* 111 ait illis, quibus ſplen magnus eſt, gingivam eſſe corruptam, atque os foetere; Deinde, quod ſi illi ipſi non emittant multum ſanguinis ſive per nares, ſive per alias vias, nec os male oleat, tibiæ eorum pravis ulceribus obnoxiæ ſunt.

Verba tamen præſtantiſſimi illius ſenis ſano accipienda ſunt ſenſu. Diſtinguendum namque arbitror inter ſplenem, qui magnitudine tantum adolevit, nec alio laborat vitio, atque inter eum, qui ulceratus, putrefactus, vel corruptus aliquo modo eſſe reperitur: Hunc enim modo memorata neceſſario ſequuntur ſymptomata.

Naturalis, ſolitaque ſplenis longitudo ea eſt, quæ palmæ manus, vel ſex digitorum latorum, latitudo autem eſt talium digitorum trium, craſ-

ſities vero unius digiti, vel potius pollicis eſt. Hic etiam rarius in ſanis corporibus infra notharum coſtarum ultimam deſcendere compertus eſt. Certum etiam inſuper eſt lienem non tantum differre magnitudine reſpectu diverſitatis, diſpoſitioniſque hujus vel illius corporis, verum etiam pro regionum vivendique rationis varietate.

Naſcuntur enim quandoque nonnullli quibus lien quodammodo laxus, fungoſus, ac ſpongioſus naturaliter eſt, ideoque ad plurimos humores recipiendos idoneus, ſive arteriarum ſanguis ſubtilior, quo vaſorum genere lien abundat, utpote quæ cæteras corporis partes hac in re longe ſuperet, ſive ſuperfluus vaſorum lymphaticorum humor, taliſve materiæ, quæ poſt præcedentem morbum humorumque efferveſcentiam per metaſtaſin ſeſe in lienem exonerat, à ſplene propter laxam ejus ſubſtantiam recipiatur, intromittaturque.

Bartholinus epiſtol. med. cent. 4. *epiſt.* 13. *pag. mihi* 50. multum huc facere ait arteriæ magnitudinem, quæ lienem intrat, illiuſque, venæ quæ ex eodem exit. Obſervavit etiam *Spigelius* magnos iis lienes eſſe, quibus magnæ ſunt arteriæ, ideoque hoc parenchyma longe majus eſſe macris, quam pinguibus. Sæpius etiam iis grandior ſplen eſt, qui humidas regiones habitant, atque aquam turbidam, vel copioſius lac ebutyratum, ſerumve bibunt; nec non illis, qui abunde potant, multumque durioris cibi, ac

ſæpe

ſæpe ſumunt. Utique verum eſt, quo plus decedit, corpori, eò plus huic viſceri accedere. Quare imperator Trajanus fiſcum lieni comparavit, utpote qui multitudinis ſpoliis ditetur.

Memorat *obſervatio 2. miſcell. curioſ. decur. 2. ann. 1. fol.* 15. Comitiſſæ Franciſcæ Elizabethæ Furſtenbergiæ, fuiſſe lienem qui quinque palmas latas longus, quatuor ſimiles latus, atque unam cum dimidiâ craſſus erat, ac ſex libras communes ponderabat; Illius autem initium prope notharum coſtarum finem, finis vero propè os pubis erat, ut ita vacuum repleret locum, qui inter coſtas, ac dorſi ſpinam ab oſſe ileo eſt; ſurſum vero ſeſe ille extendebat uſque ad lineam albam.

De tanto liene, quantum eſt hominis caput, videri poteſt *Diemerbroeck anat. lib.* 1. *cap.* 15. *fol.* 137. *Cabrolius* autem *obſ.* 6. *pag. mihi* 5. meminit cujuſdam, qui quinque libris gravior, omnibuſque ſolutus vinclis per totam ventris cavitatem ſine lege fluitabat.

Th: Bartholinus epiſt. 14. *cent.* 4. *fol. mihi* 54. Romæ ſe vidiſſe tradit à ſplenis magnitudine talem in ventre natam fuiſſe preſſionem, ut hinc impediretur deglutitio.

De alio quodam viginti ponderante libras, ac cartilagine cincto vide *Columbum lib.* 15. *Anatom.*

Bonetus Anatom. Pract. lib. 1. *ſect.* 2. *obſ.* 27.

duorum etiam cartilagineorum corporum meminit ſupra lienem repertorum.

De ſplene pro dimidiâ parte duro, cartilagineoque vide ſis *obſ.* 168. *miſcell. med. phyſ. curioſ. decur.* 1. *an.* 3. *pag.* 288.


Eadem *miſcell. med. phyſ. decur.* 1. *ann.* 1. *obſ.* 29. *fol.* 100. de maximo agunt liene, cujus membrana gibbosâ maxime illius parte cartilaginea erat, ac perquam facile à ſubjecto corpore diſiungi poterat.

Retulit mihi Chirurgus quidam celeber Groningæ degens, nomine *Cornelius Iben*, ſe aperuiſſe nuper cadaver virile, cujus lien, quò loci peritoneo alligabatur, ſolidâ, & fere cartilagineâ cute, digiti circiter craſſitiem æquante, obtectus fuerit.

OBSERVATIO L.

Renes inferius uniti.

NOn ita diu eſt, quod in ædibus Dom: *Samuelis Cabeliavi* Medici Hagienſis non incelebris fætus perfecti ſceletum viderim, cujus renes arte à corruptione defenſi inferius conjuncti, atque uniti reperiebantur. Quorum tamen ſinguli apertè (uti plerumque in recens natis


Tab: 4.
A
A
A
A
B
B
C

natis infantulis ſolent) diverſis diſtinguebantut interſtitiis, prout tabulâ quartâ notatum reperies.

Cujus literæ A. A. A. A. membranas renum ſuperficiem inveſtientes. B. B. utrumque renem denotant. C. Locum unionis monſtrat.

Ejuſmodi renum combinationem nuper in Theatro Anatomico Hagienſi oſtendit nobis celeberrimus Diſſector *D. Anthon: Nuck*, in cadavere quodam virili.

IN OBSERVATIONEM L.

DOcuit jam olim, ac quotidie monſtrat experientia miris modis humana corpora formari. Vix enim contingit, ut in aperto quodam cadavere non reperias aliquid, quod in alio deſit, quodque à ſolito, naturalique formæ modo recedat.

Bartholinus hiſt. Anatom. rarior. cent. 2. *hiſt.* 77. Paduæ anno 1643 in mulieris cujuſdam cadavere renes utroque latere more ſolito ſitos ſupra diviſionem vaſorum in ramos Iliacos in unum concreviſſe obſervavit.

Idem *Anatom. reformat. lib.* 1. *cap.* 17. *pag. mihi* 113, contingere ſæpius tradit, ut renes in infantibus etiamnum utero incluſis inæquales,

minuſque glabri reperiantur, tanquam è pluri-mis parvulis renibus, ac glandulis conſiſterent, uti illi ipſis in vitulis apparent.

D. Blankardus anatom. cap. 16. *fol.* 58. exteriore parte renes glabros, æqualeſque eſſe, in recens autem natis eoſdem è diverſis partibus conſtitutos videri tradit, quod ipſum in adultioribus non niſi ſagacior animadvertet Anatomicus.

G. Blaſius anat. hominis cap. 10. *fol.* 108. in gravidarum fœtibus renes veluti glanduloſæ ſubſtantiæ eſſe ſcribit. At *obſ. anatom. pag.* 6. eoſdem in abortu quatuor menſium in plurimas particulas extrinſecus fuiſſe diſtinctos aſſerit, tanquam ex variæ formæ multis glandulis conſuti eſſent.

Idem ſcriptor *part.* 1. *anatom. Brutorum fol.* 127. *cap.* 40. in urſo renes non uno reverâ corpore conſtare, verum eoſdem è plurimis, minimiſque corporibus, quæ ſingula parvi renes videntur, conſtare teſtatur: Hæc autem à ſe invicem ſingula propriâ membranâ diſtincta, tenuibuſque filis conjuncta reperiri aſſeverat. Id etiam *Part.* 3. *dicta anatom. cap.* 35. de Phocænæ renibus affirmat.

OB-

OBSERVATIO LI.

Urinæ tranſitus renis Calculo per ſedecim dies obſtructus.

PLurima reliquere nobis doctiores exempla diuturnæ urinæ obſtructionis renum calculis exortæ; nullus tamen eorum, quod ſciam, animadvertit accidiſſe, ut urinæ curſum prædicta cauſa per ſedecim dies ſtiterit. Mihi tamen illud anno 1661. in *Mauricio Gerardi Boſchvliet* moderatæ vitæ homine, ac ſeptuagenario, valido tamen etiamnum, ac ſano videre contigit. Is per horas aliquot curru vectus in aggere ſecundum Moſam flumen, ac deſcendens, ut urinam excerneret, eandem ſanguinolentam vidit: Ac, quoniam lapis rhedæ agitatione, corporiſque hinc orto motu mobilior, minuſque adſtrictus factus exinde ſenſim in inferius vergeret, omnis omnino lotii retentionis cauſa fuit, ac ſexto decimo demum die tranſitus lotio patuit, poſtquam varia emollientia tam interna, quam externa clyſterum vide-

 licet,

licet, fomentorum, balneorumqne, &c. à diverſis medicis illi præſcripta, atque adhibita eſſent, quo etiam tempore calculum ille oblongum emiſit, qui nuclei pini magnitudine par erat. Interea tamen per illos dies ipſe præ nimia oppreſſione, urinæque impedito exitu hanc, at ſalſiſſimam aliquoties vomitu ejecit.

IN OBSERVATIONEM LI.

DUm ille, de quo narravi, adeo miſer abſque ullâ urinæ per ſolitas vias emiſſione decumbebat, proximis conſanguineis interdum prædixi illum, quamquam urinam ſolito modo imo & caculum redderet, nunquam tamen integræ fore valetudinis, propterea, quod lotium nullum ad veſicam tranſitum inveniens, atque ita in vaſis concluſum, ideoque magis, magiſque ſalſum redditum partes ejus internas fædâ labe inquinaret, viſceribuſque propter ſalſedinem peſſimum adduceret habitum.

Confirmavit proceſſus temporis prædictionem meam: Ille etenim, quamquam jam ſanatus, pallidi admodum ſemper erat coloris, mihique obviam factus dicebat ſe quidem nunquam antea ventriculi ſui ſitum noviſſe, ſeſe tamen jam primum quod doloret, eum ſatis ſenſu ipſo percipere. Vixit autem idem poſt has miſerias integrum circiter annum.

Bar-

Bartholinus cent. 4. *hiſt.* 56. *pag. mihi* 254 de Juvene quodam memorat, cujus meatus urinarii per trecedim dies adeo obturati erant, ut nihil omnino urinæ excerneret, quare ipſi venæ per totum corpus ita intumuere, ut varicoſus crederetur, ruptioniſque videretur imminere periculum, at procurato medicamentis diureticis lotio venarum diſtenſio, & metus rupturæ ceſſavit.

Joh. Rhodius obſ. med. cent. 3. *cap.* 28. *pag. mihi* 146 ait narraſſe *Joh. Dominic: Salam* Profeſſorem Paduenſem doctiſſimum, peritiſſimumque virum ſemel ſe tantum vidiſſe urinam in quodam per 15 dies fuiſſe ſuppreſſam, cui etiam interea venæ ad pollicis craſſitiem tumefactæ fluente denuo urina ad naturalem ſtatum rediere. Secus, urinam ſupra quinque vel ſex dies nunquam meminerat retentam.

N. Tulpius obſ. med. lib. 2. *cap.* 45, refert *Margaretam Nicolam* viduam 40 annorum aliquamdiu à dolore lumborum infeſtatam procidiſſe tandem in crudele calculi renalis tormentum multis pravis ſymptomatibus ſtipatum, & tantâ urinæ ſuppreſſione, ut totos 18 dies nihil lotii reddiderit, unde excitabatur ipſi è ſero ſurſum recurrente, primum ſopor, ſed mox tam gravis nervorum contractio, ut cogeretur vitam cum morte commutare. Hinc patet à vero valde alienum eſſe, quod pronuntiarunt Medicorum non pauci, ſcilicet iſchuriam,

ſi intra ſeptimum diem non finiatur, letalem eſſe.

Sed quotus tandem dies ſuppreſſo lotio laboranti funeſtus erit? Alii equidem citius, tardius alii intereunt. Valentia corpora ut interdum vigeſimum excurrunt diem, ſic attingunt infirma vix ſeptimum, vel octavum.

Certum eſt, aliquos duraſſe ad undecimum, & tamen omnino iterum convaluiſſe. Sed poſt illum diem, equidem certe vidi (inquit modo adductus *Tulpius*) neminem enavigaſſe periculoſum hoc ſyrtium æquor. Quamvis enim cedat dolor, & fluat iterum lotium, reddit tamen diuturnior illa mora urinam interea uſque adeo acrem, & veſicam ita effoetam ut ne præſtantiſſima quidem medicamenta poſſint ab interitu vindicare naturam, hac ratione non ficte, ac ſimulate, ſed plene emortuam.

Job. Mekeranus obſ. c. 42 tradit ſe mulieris veſicam, quæ ſpatio 23 dierum nullam reddiderat urinam, poſt obitum intus nigrâ pituitâ obductam reperiſſe.

O B-

OBSERVATIO LII.

Renum alter Ulceribus totus quantus exeſus.

NOvem, decemve annorum puella non ſine magno dolore jam diu urinam reddiderat, ſanguinis nonnihil quandoque, puriſque, ac pituitæ aliquid cum ea ſimul emittens, ſolicitis interea multum, ſuſpicantibuſque parentibus calculo eam laborare, Cum eadem jam duos, treſve annos inter maximas haſce anguſtias tranſegiſſet, in latere ſiniſtro abſceſſus conſpectus fuit ſupra locum, quo renum alter ſitus eſt, qui ope cataplaſmatum tandem ſeſe aperuit, atque à Chirurgo poſtea magis apertus multum puris variis temporibus emiſit, quæ emiſſio continuata eſt, uſquedum poſt annos aliquot totus ille ren ſiniſter ulcere tandem exeſus, conſumtuſque eſſet, clauderetur que externa apertura quamvis dolor inter mejendum nunc major, nunc minor puellam ſemper affligeret. Vixit autem illa octodecim, vel

vel viginti annos poſt abſceſſus inciſi curationem modicâ ſanitate, febri tamen quartanâ, lieniſque languore denique extincta.

IN OBSERVATIONEM LII.

ILlud in hac puella obſervatu dignum erat; quod nempe ejus corpus in unam partem nonnihil inclinaret. Cujus quidem inclinationis cauſa erat alterius renis conſumptio, adeoque locus ibi vacuus relictus, in quem corpus ſidebat, trahebaturque. Accedit, quod ambo renes ſana corpora veluti in æquilibrio ſuſtineant, quorum altero deficiente, neceſſario eò ſuperior corporis pars vergit, quoniam tali caſu contiguæ etiam partes inde damnum ſentiunt, atteruntur-que, ac macriores multo fiunt.

Aperto illius puellæ cadavere renum ſiniſtrum totum quantum conſumptum repiri, membranulâ tantum exiguâ, eâque valde contractâ, ſuperſtite, quæ renum vaſa eorumque, extremitates contegebat, eratque eâ parte ureter paſſim craſſum pollicem latus propter continuum haud dubie puris ex ulcerato rene ad veſicam deſcenſum.

P. Barbette lib. 4. prax. cap. 8. de dolore nephritico, refert ſe pauperrimi cujuſdam Viri, qui dolore nephritico, & dyſuriâ triginta per annos la-

laboraſſet, cadaver diſſecuiſſe, reperiſſeque renis ſiniſtri ſubſtantiam totam conſumptam, ita ut præter membranam nihil ſuperfuerit, ſed ſolitò longe craſſiorem.

Interdum magna fit ureteris diſtenſio ab obſtructione calculi, aut materiæ ſabuloſæ, adeo ut interdum diſrumpantur, quale exemplum adfert idem *Barbette Anatom. pract. fol.* 156. Item *Joh. Hebwigius obſ.* 111.

Bartholinus l. anatom. reform. c. 19 in calculoſis diſſectis ſæpius vidiſſe ſe ait cavitatem eorum duos digitos admittere, imò æqualem inteſtinis fieri. N. *Higmorus* ex *And. Spigelio* refert ureteres calculo laborantes inſtar inteſtini extenſos fuiſſe, idem teſtantur *Ephemerid. Germanorum. Decur.* 2. *an.* 1. *obſ.* 19. *fol.* 43.

OBSERVATIO LIII.

Hernia Umbilicalis grandior.

MAriæ *Theodori* viduæ *Gerardi de Graaf* fabri lignarii anno ætatis trigeſimo, tertio partu hernia umbilicalis nata, quæ triginta ſequentibus annis, quo tempore, præter alios tres, illa undecim infantes peperit, ita crevit, ut anno 1681 adulti hominis caput magni-

tu

tudine longe ſuperaret, adeo ut inteſtina hoc tumore concluſa externâ parte apte ſentiri poſſent. Maxime illa oppreſſam ſe ſentiebat, cum nec flatus, nec fæces per alvum emittere poſſet, ac ante quinque, vel ſex annos uſque adeo obſtipatâ alvo erat, ut occluſo verſus inferiora tranſitu, per os ſe erumperent excrementa. Cui malo illam variorum clyſterum uſus denique exemit. Cumque ea erecto ſederet corpore, femoribus ejus ſuſtinebatur hic tumor, vacuuſque omnino fere venter erat, quamvis vinclis tumorem aſſidue frenaret.

IN OBSERVATIONEM LIII.

PLaterus *obſ. lib.* 3. *pag.* 713 ſcriptum reliquit de fœmina ſibi in oppidulo *Thanenſi* viſa, cujus ventri propter ejuſmodi herniam velut alter acceſſerat venter, in quem prope omnia receſſerant inteſtina, ita ut ille flaccidus omnino intuſque recedens appareret, atque ipſa hoc quicquid erat ponderis faſciis, quæ ab ejus collo ſemper pendebant, ſuſtentare teneretur. Haud abſimile quid habet *Benivenius pag.* 144. *cap.* 5

Novimus mulierem, inquit, cujus inteſtina, perfractâ tunicâ, à ſumma umbilici cute, tanquam

quam in ſacculo dependebant in vulvam, hæc cum hoc malo, licet miſeram vitam duceret, conſenuit.

G. Fabritius Hildanus Reſponſ. ad literas Michaelis Doringii pag. mihi 900. Item *cent.* 3. *obſ.* 63. *fol.* 246. vidiſſe ſe mulierem quandam annorum quadraginta Bernæ in Helvetiâ memorat, cui, corpore pinguis cum eſſet, poſt gravem partum, umbilici ſupervenit dilatatio, quam cum peritonæi magna ſequeretur extenſio, maxima ſuborta eſt umbilici prominentia, hic namque inſtar magni cujuſdam ſacci extra abdomen dependebat, retinente tamen ſolitam proportionem ventre. Nec unquam intus tumor hic receſſit, ſed ſui ſemper manſit ſimilis; quamquam illa alvum exoneraret, imò vel ſupina jaceret.

Refert & ille eodem loco aliud cujuſdam fæminæ exemplum, cui itidem poſt graves partus dolores non ipſe umbilicus, at paulo ſupra eum, peritonæum, tanquam ad extremum gravidis, extra corpus protuberaret, quo non omentum, ſed & inteſtinum continebatur, murmuris enim aliquid interdum in eo exaudiebat, doloriſque nonnihil ſentiebat.

Dubitabunt fortaſſis plurimi fueritne hoc noſtro, & aliorum caſu hernia, an vero peritonæi dilatatio.

Michael Doringius, ac Fabrit. Hildanus peritonæum mirum in modum extendi, ac dilatari

 poſſe

poſſe ajunt, uti illud ipſum non tantum in Hydropicis conſpicitur, ſed & circa alias membranas. Sic verbi gratiâ maxima fit extenſio membranæ cerebri in Hydrocephalo, nec non membranæ ſcroti ortis in eadem herniis; nonnunquam etiam in ipſis venis, arteriiſque, videlicet in aneuriſmatibus, & varicibus, quorum mirum in modum ſæpe extenduntur membranæ.

Paulus Barbette cap. 7. pag. mihi 34. *chirurg.* recte equidem animadvertit quam rariſſime rumpi peritonæum, ſeque in apertis cadaveribus non ſemel obſervaſſe, ac demonſtraſſe tradit umbilicum cum inſequentibus inteſtinis protuberaſſe majori tumore, quam eſt viri caput, ita ut abdominis recti muſculi hinc ad latera preſſi, & à ſe invicem ſeparati eſſent; Extenſum tamen tantum erat peritonæum, nullibi autem ruptum.

OBSERVATIO LIV.

Hernia inteſtinalis incuriâ quâdam loco bubonis aperta.

ANni 1664. menſe Auguſto adoleſcenti cuidam quindecim circiter annos nato poſt ſaltationes tumor natus erat in inguine: Celabat autem matrem, Chi-

Chirurgumque quonam modo illud vitii ſibi accidiſſet, ignarus forte & ipſe, quid ſibi obeſſet. Dumque ille interea de maximo dolore atque angore conquereretur, vomeretque, Medicus, Chirurguſque arceſſiti (ſæviente forte tum temporis illic peſte (tumorem hunc bubonem peſtilentem eſſe credidere, quare ejuſdem diei veſperi illi cauſticum quoddam applicare, ac poſtridie eundem phlebotomo aperire ſtatuerunt. Quo facto inteſtinum (quod eo caſu plerumque ſeſe quam proxime cuti admovet) inciſione etiam læſum fuit ita, ut inde fæces effluerent. Per varias autem, plurimaſque moleſtias adoleſcens ille priorem ſanitatem recepit.

IN OBSERVATIONEM LIV.

UT hujuſmodi errores caveant, circumſpicere Chirurgos decet, ac cauſas, tumorumque inguinum differentias, probè diſcere, atque animadvertere oportet: Similium enim quandoque venerea lues ibidem tumorum cauſa eſt, quos bubones venereos dicunt. *Petrus de Marchettis pag. mihi* 125. *obſ.* 55. ſimile quid de ruſtico tradit, qui, cum bubonocecle labora-

ret, tonſorem Caſtrenſem ad ſe vocabat, qui hunc tumorem bubonem venereum ratus, illico inciſionem urgebat, quâ factâ excrementa profluere illico, patiens autem animi deliquium pati non ſine imperiti illius Chirurgi trepidatione.

Ipſe de *Marchettis* quantocius arceſſitus digito in ſuum locum compulit inteſtinum, applicito ovi albumine cum Draconis ſanguine, atque linteolo quadruplicato arctius nonnihil compreſſione factâ, quatuor dies conſtrinxit, à quibus Cerato demum ad Herniam *Aquapendenti* familiari uſus eſt, atque ita decem dierum ſpatio disjunctæ vulnerati inteſtini partes coaluerunt, quamquam majoris ſecuritatis ergo perſuaderi ſibi paſſus ſit ille ruſticus, ut, donec viveret, apto cingulo ventrem muniret.

Non multum differentia herniarum inteſtinalium incautè apertarum habent exempla *Galenus de loc. aff. lib.* 1. *cap.* 1. *Joh. Rhodius obſ. med. cent.* 2. *cap.* 92. *fol.* 117. ut & *Aquapendens obſ. cap. de bubonocele, pag.* 85. nec non *Hoëchſtetterus dec.* 10 *fol.* 403.

Literis olim notum mihi fecit *D. Joh. Lud. Hannemannus* ſeſe, cum munere phyſici, & medici ordinarii Buxtehudæ fungeretur, à Chirurgo quodam ductum fuiſſe ad civem, qui bubonocele laborabat, cuique effluebat ex herniâ aperta olus, quod ipſo die comederat, emplaſtro ſemper adhærente materiâ quadam tam excrementi, quam alimenti. Hic tamen induſtriâ

Chi-

Chirurgi, qui vocabatur *Paulus*, ſanitati reſtitutus fuit, cum interea *D. Hannemannus* intrinſecus potiones vulnerarias ipſi propinare non deſtitiſſet. Sic etiam quodam naturæ luſu, aut errore teſticulum in inguine reconditum habentes, aut tertio inſuper præditi, tanquam hernioſi miſerrimè fruſtraque diu vexati fuere, quales vidiſſe ſe teſtatur *M. Geigerus Kelographiâ*, nec non *Ambroſ. Paræus lib. 7. operat Chirurg. cap.* 16.

Ut itaque ſtrangulata hernia, quæ nec dum in ſcrotum deſcendit, à bubone peſtilenti diſcernatur (utrumque enim ut plurimum febris, cardialgia, vomitus, atque inguinis tumor comitantur) ſciendum eſt rubicundum plerumque eſſe bubonem peſtiferum, nec tam cito apparere, quam herniam inteſtinalem, licet hujuſmodi tumorem temporis tractu inflammari poſſe minimè diffitear. Herniæ etiam tumor non in ipſo proprie inguine, ſed paulo ſupra illud eſt. Quantum ad bubonem Gallicum attinet, dignoſcitur ille ab herniâ inteſtinali, quod hæc ab ipſo initio molli conſtet tumore, cum tamen ille initio minime ſit mollis; deinde etiam, ſi non nimium arcte cohibeatur inteſtinum, ſupinuſque jaceat patiens, hæc intro cedet, & illo ſurgente denuo prodibit, illius autem tumor aſſiduè apparet, remanetque.

OBSERVATIO LV.

Tarda admodum alvi exoneratio.

SIcuti variis de cauſis mortales alvi profluvia inquietos reddunt, ita etiam contra ipſorum excrementorum ejectio per alvum nimis tarda eos valde moleſtat. Hujus autem exemplum obvenit jam antea memorato *D. Samueli Cabeliavo* Medico hîc Hagæ an. 1677. in famulâ, quæ morbo laborans quinque amplius hebdomadarum ſpatio ſemel tantum alvum exoneraverat, primum ſcilicet quarto decimo die, ac deinde poſt trium hebdomadarum intervallum, quamquam & quotidie ſufficientem alimenti portionem ſumeret, unde factum, ut ei valdè anxiæ venter multum intumeſceret, atque ipſi purgantibus opus eſſet; quæ licet ei jam ab alio Medico præſcripta, injectioneſque per alvum adhibitæ eſſent, illa tamen neutiquam per alvum quidquam excernere potuit, Quare ſupra dictus Medicus ipſi tandem præparantem, & ſimul purgantem

gantem mixturam præbuit, atque hinc nonnihil ſingulis horis cochleatim ſumere juſſit, quod cum illa per duodecim, quatuordecimve horas, uti decebat, feciſſet, denuo ipſi alvus enemate fortiori, atque emollienti ſimulque purganti, at necquicquam, fuit ſtimulata. Quare ejus venter per viginti quatuor horas in anteceſſum fotus fuit ſacculo emoll: ac attenuant: herbis, nec non ſeminibus repleto, quæ in vino albo Gallico, tenuiorisque cereviſiæ ſimili copiâ cocta erant: poſtea autem purgans potus è fol. ſennæ, Rhabarbaro, ſpec. Diacarth. & mannâ conſtans matutino tempore ei datus eſt, cujus uſum tempore pomeridiano durorum admodum, atque argillæ ſimilium excrementorum ſecuta eſt terque, quaterque emiſſio, ipſamque famulam non ita diu poſt angor, ventriſque tumor deſeruit; quamquam perſuaſerint ei medici, ut dictæ mixturæ uſum non intermitteret; atque ita deinde ipſa convaluit.

IN OBSERVATIONEM LV.

PLurima quandoque ex tardâ, impeditâque alvi exoneratione naſci incommoda notius eſt, quam ut multis adſtruam. His annumerantur capitis dolores, torpor, flatuum proventus, turbata ventriculi concoctio, cibi faſtidium, imò interdum perverſus inteſtinorum periſtalticus motus; quem excrementorum per fàuces utplurimum ſequitur ejectio. Quin etiam letifera quandoque fuit dictæ exonerationis impeditio, fidem faciente *la* 3. *Riverio obſ. communicatis à Sam. Formio obſ.* 18. Quamquam hujuſmodi tardiori excretioni aſſuetis paulò diutius ceſſans exoneratio vix obſit.

Ita *Braſſavolus de medicinis purgantibus Cap.* 6. Juvenem ſe aliquando per novem, interdum & per duodecim dies nihil excrementorum ab alvo emiſiſſe tradit, licet cibi minime foret parcior, tantumque abeſſet, ut ægrotaret, ut optimè valens equo quotidie veheretur.

Bartholinus etiam *act. med. philoſoph. part.* 4. *pag. mihi* 165. præcipuam mulierem viſitaſſe ſe confirmat octoginta duos annos natam, quam lecto morbus affigebat: eam ipſe, num etiam alvum exoneraret, (neque enim cibos appetebat, multum de lateris dolore queſta) interrogavit. Hæc verò jam decem dies eſſe, quibus id ipſum non egerit reſpondit; hanc autem exonerationis tar-

tarditatem jam inde à juventute ſibi notam fuiſſe, nec unquam nocuiſſe, imo vel per ſeptuaginta amplius annos non niſi octavo, nonove, vel etiam interdum duodecimo die alvi onera depoſuiſſe ſe aſſeruit.

Non diſſimili alvi obſtipationi ſenem quendam honeſtæ familiæ fuiſſe obnoxium ſcribit *Hoëchſtetterus obſ. lib.* 2. *Decad.* 10. *caſ.* 12. *fol.* 377.

Fernel. lib. 6. *Pathol. cap.* 10. quendam ſe noviſſe ait, qui non niſi duodecimo alvum exoneraret die, quique interdum abſque ullo viſibili corporis incommodo per quadraginta dies nihil per alvum excerneret.

Henricus ab Heer obſ. med. lib. 1. *obſ.* 29. *pag. mihi* 249 de nobilibus aliquot dominis teſtatur, quæ alioquin ſanæ, ac quotannis parientes nunquam ante vigeſimum diem, ſed poſt eum quidem alvi onera ejecerint, quibus tamen, licet puerperis, nihil inde mali fuerit natum. Addit ſeſe cum ſacerdote ſatis familiariter vixiſſe, cui docto admodum, linguarumque orientalium peritiſſimo nunquam ante quartum ſupra vigeſimum diem ab ipsâ uſque juventute ventrem fæcum emiſſio levaret, quamvis ſano ſatis corpore, nec unquam laxantibus alvum eſſet uſus.

Joh. Heurnius in Hippocratem de purgantibus Remed. text. 14. *pag. mihi* 171. noviſſe ſe puellulam memorat, cujus venter vix per tres menſes exonerationem urgeret. A quo non mul-

multum differt, quod eſt apud *Salmuth. cent.* 2. *obſ. medic. lib.* 3. *fol.* 437.

Horum autem exemplorum quædam cum *Hippocr. Aphoriſ.* 20. *lib.* 2. pugnare videntur, ubi, *quibus*, inquit, *per juventutem alvi ſunt humidæ, iis ſeneſcentibus exſiccantur: quibus vero in juventute alvi ſunt ſiccæ, iis ſeneſcentibus humectantur*, nec non cum ejuſdem lib. *Aphor.* 53. ubi iterum, *quicunque*, ait, *alvos humidas habent, ſiquidem juvenes fuerint, melius degunt his, qui ſiccas habent. At in ſenectute deterius degunt; nam ſeneſcentibus ut plurimum ſiccantur.*

Exonerandi ventris modum ætatis proceſſu immutari mirum non eſt (præſertim ſi quis nec alimentorum genera, nec cælum &c. mutet) quandoquidem juniorum, ſeniorumque corpora, habituſque immane quantum differunt.

Humidiores namque alvi (quales ſunt juvenibus, aliis tamen magis, minuſque) plus alimenti ut plurimum expetent, quam quidem ſicciores, quod id ipſum multò citius deorſum vergat, nec tam diu intus contineatur, adeoque meſaraica vaſa non tantum ex eo recipiant. Cum ſiccæ alvi contra minus cibi petant, quia interiores partes ſemper aliquid ex diu retento alimento in ſe recipiunt. Accedit, quod junioribus, utpote calidioribus, non tantum plus fellis, ſed & illud multo acrius naſcatur, quod ſi non aſſidue cum fæcibus per inferiora emittant, in graves

ves admodum morbos quam facillimè incident. Felle autem per bilarium ductum in inteſtina effuſo, caſſior ille in iis contentus humor flavo colore imbuitur, ſtimulanturque ipſa inteſtina detergenti fellis qualitate, ejuſdemque acrimoniâ, utque ſeſe citius contentis excrementis exonerent, impelluntur.

Ita ut omnibus fere, quibus mollior, humidiorque eſt naturaliter alvus, ſeneſcentibus multo fiat ſiccior, illis autem, quibus junioribus propter caliditatem præ aliis ſicciores ſunt alvi, ac quibus ille humor, qui alioquin alvi fæces fluidas, magiſque mobiles efficit, pro majori parte conſumitur, exſiccaturque, quibuſque propter bilioſam temperiem non tantus eſt edendi appetitus, quantus aliis, qui frigidioris ſunt temperamenti, his, inquam, alvus ſenioribus humidior fit: illud autem propter temperiei differentiam junioribus, ac ætate provectioribus accidit, ut ſupra notatum eſt.

Licet, teſte etiam ipſo *Hippocrate* dicto *Aphoriſmo* 53 illud non ſemper, ſed plerumque eveniat, Quamquam autem tot dies memoratis hominibus continuata alvi conſtipatio quaſi naturalis nonnullis, atque à conſuetudine dependere viſa ſit, quoniam nihil ipſis, aut minimum ſupervenit incommodi, crediderim tamen ipſe præter naturam aliquid in iiſdem fuiſſe, quod alvi exonerationem ſpeciatim impedierit, retardaritque: ſive craſſa fuerit, lentaque pituita,

tuita, quâ interius veluti veſtiuntur inteſtina; unde eadem fellis ſtimulos non adeo ſentire veroſimile eſt, ſive ipſorum inteſtinorum quædam obſtructio, contractiove, cujus rei ſecutura obſervatio, ejuſque ſcholium exempla manifeſta dabit. Sanis alioquin tarda dejectio ex vivendi errore naſcitur, veluti ab eſculentis ſiccioribus, acerbis, & adſtringentibus: ad hæc ex immoderata ciborum copiâ, qui parvo tempore neque vinci, neque diſtribui poteſt. Ex otio denique, & decubitu, ſomnoque multo. Inopiam ciborum facere ad alvi duritiem inducendam præter *Hippocratem* 2. *de acutis* teſtatur etiam *Euſebius Cæſarienſis lib.* 3. *de præparat. Evangelicâ*, & ante eum *Porphyrius lib. de abſtinentiâ*: Qui ſcripſerunt Eſſæos ob victus parcitatem conſueviſſe vix ſemel in Hebdomadâ emittere alvi purgamenta. In nimiâ alvi conſtipatione interdum materia excernenda ita induratur, ut exitum reliquis fæcibus præcludat, quale exemplum habet *Dom. Panarola Pentecoſt.* 3. *obſ.* 128. *p.* 85. De mirâ Baronis alvi adſtrictione fit mentio *Ephemerid: German. decur.* 1. *an.* 1. *fol.* 228. *obſ.* 98: Hic, uſurpatis fruſtra omnibus artis remediis, jubet apportare cochlear ligneum majuſculum, hoc inverſum & acutum redditum, jubet famulo ut fortiter intrudat in anum, paruit hic juſſus, & obſtaculum in inteſtinis inventum tam diu cochleari huc illuc agitat, donec ſæpius con-

concuſſa materia tandem ſuccederet, & exiret, ſpithamæ longitudine, compacta, & adeo tenaciter cohærens, ut nec acutâ ſecuri potuerit in particulas dividi, ſic rudi hoc novoque inſtrumento, non ubivis tamen admittendo, æger morte liberatus fuit.

Simile quid proditum video iidſem *Ephemerid. decur.* 2. *an.* 2. *fol.* 74. De nobili Marchico, qui in ejuſmodi caſu, omnibus fruſtra tentatis, tandem arripit ſuculam (Germanice *Eiſern ſpanner*) intruditque in anum, quantâ poterat violentiâ, ita etiam, ut ſanguis profluxerit, unde glande hac ferreâ anus irritata ſuo ſatisfecit officio non ſine ægri levamine.

OBSERVATIO LVI.

Tumor durus in inteſtinis repertus.

NArravit mihi ille, cujus jam antea mentionem feci, D. *Stratenus* ſe initio Martii ann. 1658. ad D. *Berchemi* filiam vocatum fuiſſe, *Riſvici* Toparchæ uxorem, quæ cum diu tardâ, moleſtâque alvi exoneratione, nec non colico dolore laboraſſet, eo tandem deducta eſt, ut per ſex hebdomadas quotidie circa tertiam poſt prandium horam ſump-

ſumptum cibum ore evomeret, quamvis alioquin non adeo male ſe haberet, nihilque, aut perparum per alvum excerneret; Quod ut copioſius fieret, quævis purgantia, aliaque incaſſum adhibebantur, ita ut tandem 18. Aprilis ejuſdem anni cum morte vitam commutarit. Cum itaque quilibet tanti incommodi noſcendæ cauſæ cupidus eſſet, ſequenti luce apertum eſt cadaver, repertuſque fuit in inteſtino colo cartilagineus tumor inſtar ovi gallinacei, qui chyli ad interiora tranſitum impedierat; dolor autem, ac excrementorum preſſio adeo infeſtarunt iſtud inteſtinum, ut, eodem ſphacelo obſeſſo, in ventris cavitatem fæces deſcenderint.

IN OBSERVATIONEM LVI.

EXcrementa in inteſtinis diverſimode ſiſti, ac, quo minus deſcendant, impediri poſſe agmen ſequentium exemplorum probatum it.

Jacob. Hollerius de morb. intern. lib. 1. *c.* 41. *ſchol. pag. mihi* 401. ſe obſervaſſe refert Medico *Zolin*, & Advocato *Gillot* inteſtinum colon, quo loco proxime reni adiacet collectâ veluti cartilagine durâ in ſcirrhum obduruiſſe, interiore

cavi-

cavitate eo tumore intercepta, ut nihil tranſcurreret.

Callum quendam in ſancti monialis inteſtinis natum refert *Joh. Georg. Schenkius Inſtitut. pag.* 425, qui vix alvi fæces ad inferiora deſcendere ſiverit, ac tandem illi mortis extiterit cauſa.

Benivenius cap. 34. *abditorum* de virgine ſacrâ memorat, quæ per multos menſes inteſtinorum dolore laboraverit, ac cujus alvus vix, ac ne vix quidem parum excrementorum, ſed craſſorum admodum, decimo tantum, vel circa, die emitteret, ſumptis licet quibuſvis remediis. In hujus autem cadavere inteſtina callo quodam ita reperiebantur coarctata, ut anguſtiſſima tantum ſupereſſet via, atque non niſi difficulter hac tranſire potuerint fæces.

Idem *cap.* 19 de lapide ovum columbinum magnitudine æquante ſcribit, qui lentum admodum, ac difficillimum fæcibus permiſerit deſcenſum. Plura lapidum in inteſtinis repertorum exempla *ſchol. obſ.* 12 adduximus.

Henricus ab Heer obſ. med. lib. 1. *obſ.* 29. *fol. mihi* 250. inauditum quid, ac profecto mirabile ſcriptis mandat: Generoſus, inquit, „ quidam jam multos annos ita vivit, ut fæcum „ alvinarum nihilo plus per anum, quam per „ oculos excernat; Accumbit ſub meridiem „ menſæ opiparæ, convocatis utplurimum ali„ quot nobilibus; comedit, bibit nihil à quo„ quam

„ quam accumbentium diſcrepans. Sub ho-
„ primam ſurgit à menſâ, pridianum prandium
„ revomit, retentis accuratiſſime omnibus re-
„ cens ingeſtis; poſtridie illa, ut heſterna ege-
„ ſturus, putidiſſima atque ab alio ſtercore non
„ differentia. In vomitione conatus nullus:
„ mora nulla: ſimul, & ſemel magnam quanti-
„ tatem exſtomachat. Abluto aquis odoratis ore,
„ ad menſam redit: ventriculum iterum, quod
„ illi in ſequentis diei meridiem ſatis ſit, reſu-
„ mere cogit; Jentacula, cœnaſque ignorat, ſolo
„ prandio contentus. Sic jam ultra viceſimum
„ annum continuat. Sæpe mihi in mentem ve-
„ nit duos illi ut animantibus ruminantibus, eſ-
„ ſe ventriculos, quorum unus altero recens
„ impleto, vomitu ſe depleat, cæterum rei ve-
„ ritas ſola anatome, ſi permittetur, ipſo mor-
„ tuo, eluceſcet.

Ruminationis humanæ paradigmata quædam afferunt *Philip. Salmuth. obſerv.* 100. *cent.* 1. *fol.* 59. *Joh. Rhodius obſ.* 59. *cent.* 2. *pag.* 99. *Greg. Horſtius obſ.* 9. *lib.* 4. *pag.* 163. &c. *Burneti theſaurus med. practicus fol.* 794. *Velſchius Epiſag. pag.* 23.

Mercurialis lib. 2. *cap.* 4. *de excrementis* refert de quodam Romæ, qui toto fere vitæ tempore alvi fæces per os egerebat. Similium meminere etiam *Caſpar Wolphius*, ac *Joh. Poſthius, obſervationibus ſuis.* Nec non *Thom. Bartholinus*, qui *hiſt. anatom. rar. cent.* 1. *hiſt.* 65. *fol.* 103.

103. teſtatur in Latio ſe vidiſſe virum annorum 40. qui ab ineunte ætate ſine podicis, peniſque notâ vixerat, durioreſque fæces certis periodis finitâ ventriculi concoctione per cornu ori impoſito evomebat.

Ipſe equidem quondam in cujuſdam ſcriptis legi in medio inteſtino jejuno interiorem ſcilicet inter, atque exteriorem ejus tunicam tumorem fuiſſe repertum juglandem magnitudine ſuperantem, propriâque cinctum membranâ, ac continentem in ſe corpuſculum quoddam mirificè admodum fibris, vaſiſque ſanguineis intertextum. Prohiberi etiam poteſt tranſitus alvi excrementorum nimiâ craſſæ pituitæ copiâ, inteſtina intus obducente, cujus rei obſervationem 62. Scholium ulteriorem mentionem faciet. Hanc pituitam in cæci, aut coli inteſtini cellulis diutius coercitam, nonnunquam concreſcere in calculos tradit *Fernelius pathol. lib.* 5. *cap.* 9. *fol.* 157. quales ſæpe vidiſſe ſe ait inſtar nucis juglandis, & in quodam magnitudine caſtaneæ, quarto, aut ſexto quoquo die, dolore nullo exturbatos.

Noviſſe ſe monachum quendam refert *Bartholinus Cent.* 4. *pag.* 420. *hiſt.* 40. qui, quotieſcunque alvum exoneraſſet, ſemper ita laſſus evadebat, ut illico reficienti quodam alimento egeret. Omnes enim partes exteriores tanquam moribundi hominis erant, frigidaque illius ac languida comperiebantur membra. Tradit idem ex *Ballonio lib.* 1. *Epidem. ad an.* 1574. inteſtinum

num jejunum in cujuſdam nobilis cadavere (qui non, niſi lentiſſime, ſemper alvum exonerare potuerat) anguſtum admodum, atque cartilagineum apparuiſſe.

Contingit etiam quandoque, ut inteſtina poſt ulcus deterſum aliquomodo intus coaleſcant. Quâ de re vide ſis *miſcell. med. phyſ. decur.* 1. *ann.* 2. *obſ.* 87. *f.* 140. ac *Marcell. Donatum lib.* 4. *de med. hiſt. mirab. cap.* 10. *fol.* 351.

Franc. Ign. Thiermairius conſult. & reſp. med. lib. 1. *ſchol. ad cap.* 15. *fol.* 190. *Non ita pridem* „ *eſt*, inquit, *ex quo viro* cuidam erudito in- „ teſtini recti portio ima ob ulcus profundum „ coaluit, ut nullo ingenio coalitus ſolvi potue- „ rit; rectum igitur inteſtinum fæcibus diſten- „ tum veſicæ agglutinatum fuit arctiſſime, ut „ tandem fæces continuo impulſu inteſtinum, „ & veſicam perruperint, ac miſer homo longo „ tempore fæces cum urinâ per urethram, ſæpe „ maximis cum cruciatibus excreverit. Si forte „ fæces duriores evaſerunt, dolores non abſimi- „ les iis, quibus calculus in veſicâ eſt, patieba- „ tur, ut non raro injectionibus emolliri debue- „ rint.

Inteſtinorum etiam coarctatio fieri poteſt, quando illa meſenterii, alteriuſve cujuſdam viſceris tumore premuntur, demonſtrante id ipſum dicto *Cap. Fernelio.*

Meminerunt etiam puellulæ cujuſdam *miſc. med. phyſ. curioſ. ann.* 1. *obſ.* 126. *fol.* 285. in cujus

cujus ileo tres reperiebantur nodi, ſinguli ſpithamæ intervallo diſiuncti, in quorum ſingulis magna dicti inteſtini pars, quæ menſenterio non affigebatur, latebat.

OBSERVATIO LVII.

Excrementorum vomitus poſt Herniam.

Anus quædam diu non ſine dolore indies accreſcente inguinali laboraverat herniâ. Cum jam illa quodam tempore ad ipſum uſque femur extenſa eſſet, inſecuta fuit poſt gravem cardialgiam ipſorum excrementorum vomitio, cui paucos tantum dies ſuperfuit. Ejus cadavere à Chururgo *Guilielmo Borgoigne* me præſente aperto, magnâ jam parte emortuum apparuit ileum.

IN OBSERVATIONEM LVII.

CEnſent plerique tam vetuſtiores, quam recentiores ſcriptores veram ac completam (uti vocant) herniam fæminis ſupervenire non poſſe, quod illæ peritonæi productionibus careant. Verum illa eodem modo fæminis, quo viris contingit. Licet enim membrana perito-

næi exterior fæminarum vaſa ſpermatica eodem modo, quo in maribus, extra ventris cavitatem non deducat, colligere tamen eſt eandem membranam integumentum ligamentis rotundis præbere; idque ſatis ad inferiora productum, ut epiploo, & inteſtinis ad vulvæ uſque labia procidendi occaſio ideo concedatur, ut herniæ completæ ſpecies inde emergere poſſit, quatenus ſcilicet peritonæum eo in loco ubi ligamenta exeunt, præter modum dilatatur. Liquet id exemplo *R. de Graaf lib. de organ. mulier. generat. inſervientibus*, qui in cadavere filiæ cujuſdam herniâ laborantis eo in loco, ubi rotunda uteri ligamenta abdomen deſerunt, peritonæum adeo relaxatum ſe inveniſſe refert, ut integram foveam ſive burſam efformaret, per quam inteſtina in inguen deſcendendo herniam inteſtinalem producebant. Ligamenta hæc ubi abdomen derelinquunt, oblique ſupra pubis oſſa verſus pinguedinem ibi copioſe exiſtentem excurrunt, in eaque prope clitoridem in multas partes diviſa terminantur, ac evaneſcunt.

Nicol. de Blegny tract. de hernys puerperam ſe tractaſſe ait, cui inteſtinum uſque ad vulvæ labium ſiniſtrum deſcenderat, ſeque idem pugni craſſitie prominens in locum naturalem reduxiſſe.

Atque ita idem herniæ ortus eſt tam in maſculis, quam in fæminis; fit tamen plerumque per dilatationem, rarius per rupturam; hoc autem

ca-

caſu hernia proprie non in inguine, ſed pone illud paulo verſus os pubis oritur.

Fabritius Hild. cent. 6. pag. mihi 588 exemplum adducit obſervationi noſtræ imprimis accommodum. Quare illud ipſum adſcribam.

„ Cum, inquit, Franciſca Roſcia, ſoror mea „ natu major, jam ante aliquot menſes tumo- „ rem in inguine ſenſiſſet, & in ea parte dolo- „ rem fere continuum ab aliquibus diebus paſſa „ fuiſſet, iſque tumor à ſex tantum diebus adeo „ increviſſet, ut molem, pugnorum duorum „ æquaret, imò exſuperaret, & ab eo tempore „ dolor, & calor indies intenſior perpetuo eam „ moleſtaſſet, ſæva & horrenda ſymptomata, „ qualia ſunt febris, dolores atrociſſimi, vo- „ mitus crebri, vigiliæ continuæ, ructus fre- „ quentes, & ventris rugitus & tandem die „ quinto delirium, atque frequentes ſyncopes „ ei ſupervenere, & quod magis mirandum, imò „ ſtupendum fuit, illa die, & nocte tres clyſte- „ res per os rejecit, atque hinc volvulum ex „ hernia profectum eſſe judicavi, contrectato „ loco, detectus eſt mali fons, peritonæi nem- „ pe ruptura in inguine facta, per quam inteſtina „ cum fæcibus devoluta erant, quæ cum per „ eundem meatum, ſeu foramen, per quod „ deſcenderant remeare non poſſent, prædicta „ ſymptomata invexerant, quare continuo lo- „ cum tumentem decoctis, & cataplaſmatibus „ ex emoll: & reſolvent: diutius fovimus, & tan-

„ dem manibus ſenſim tumorem contrectando
„ inteſtina in ſuum locum ſuaviter omnino re-
„ truſimus, atque repoſuimus: quibus reductis
„ non multo poſt clyſterem laxativum injicien-
„ dum juſſimus, quo alvus laxata, fæceſque
„ fætidiſſimæ expurgatæ fuerunt, hinc dolor
„ atque vomitus ceſſarunt, cæteraque ſympto-
„ mata remiſerunt, & deinceps ea, quæ con-
„ clamata videbatur, per Dei gratiam evaſit,
„ & vivit etiamnum herniosa quidem ab eo tem-
„ pore, ſed quæ nunquam poſtea in Iliacam
„ paſſionem recidit, & quamvis ob rupturæ
„ magnitudinem, & foraminis amplitudinem
„ inteſtina frequenter, & facile elabantur, fa-
„ cilè tamen reducuntur.

G. Blaſius obſ. med. 8. *fol.* 13 de muliere quadraginta annos nata memorat, quæ jam ante ſex annos gravi hernia, cujus cauſa caſus ex alto erat, laboraverat, ita ut validiſſimo vinculo ſeſe ſemper cingere neceſſe haberet. Aperto ejus cadavere compertum fuit inteſtinum colon magnâ ſui parte ventris cavitatem reliquiſſe, quoniam ruptum peritonæum, exterioreſque ventris partes multum erant dilatatæ.

Ejuſmodi caſum refert *Thom. Bartholinus hiſt. anatom. cent.* 1. *hiſt.* 3. *fol.* 9.

OB-

OBSERVATIO LVIII.

Pus, atque Excrementa per Umbilicum emiſſa.

C. B: viginti quinque circiter annos nata jam diu febre continuâ laboraverat, quæ ipſi gravidæ poſt multorum recentium fructuum eſum ſupervenerat, prius quidem ex obſtructione meſenterii quâdam; deinde vero ex ejus duritie, quam extrinſecus tangendo facile ſentire licebat. Poſtea autem, ingraveſcente paulo magis febre, tumor quidam non abſque inflammatione, ſummoque dolore ſupra Umbilicum apparuit, ita ut cataplaſma anodynum ei imponendum fuerit. Poſt cujus uſum Umbilici tumore rupto magna bene cocti puris pars non ſine maximo laborantis levamine effluxit. Quâ puris emiſſione dies aliquot perſeverante febris continua, dictaque meſenterii durities minuebantur. Verum ipſe (quod equidem mirabar) ex ægrâ intellexi ſimul cum pure flatus quandoque non tantum crepitu,

ac ſtridore, verum etiam fætore comitatos poſt ventris quoddam murmur ex umbilico prodire, quare ſuſpicabar in quodam inteſtino etiam aperturam eſſe; quod verum eſſe non ita diu poſt,propter tenuium fæcum exitum, quas inamænus plane comitabatur odor, quæque per Umbilicum provolvebatur, expertus ſum, certiſſimo indicio aliquod ex inteſtinis ab ulcere meſentery ſimul fuiſſe perforatum.

Primo etiam Octobris die anno 1682, quod illi in multis ſimile eſt, videre mihi contigit exemplum in puellâ quâdam, viginti ſex annos habente, quæ tenui, ac macro corpore, indoleque melancholicâ, ac Bredæ nata, *Anna Maria Mes*, vocabatur, hîcque Hagæ commorabatur. Hæc per ſex quidem hebdomadas febri continuâ multum infeſtata paſſim de ventre ſuo conquerebatur, in quo etiam extrinſecus quædam apparebat durities; ac protuberare poſtea cæpit Umbilicus, ortuſque fuit inſtar columbini ovi tumor, quo dicti anni vigeſimo Septembris ultro rupto, per quinque dies continuos plurimum albi, tenuiſ-

tenuiſque, ac fætentis emanavit puris, quin & ipſæ ex inteſtinis provenientes effluxere fæces. Hæc autem veſperi tertii Octobris occubuit. Quarto autem ejuſdem menſis die anni 1682. ejus cadaver à Fratre longe quondam dilectiſſimo *Joh. Stalpartio vander Wiel*, me præſente, diſſectum fuit. Sicuti vero C: B: (de quâ ſupra) febri continuâ aliquamdiu, ac poſt minus accuratum vivendi modum prius meſenterii obſtructione, ac poſtea duritie laboraverat, quam etiam tangendo quivis extrinſecus ſentire potuiſſet: ac ſicuti poſtea tumor quidam non ſine inflammatione apparuit, è quo initio quidem pus, mox & poſt aliquot dies tenuia prodibant excrementa: Ita omnia ſeſe fere eodem modo habuere in dictâ *Anna Mariâ*. Cum vero iſta obſervatio, quæ de C. B. agit, ut & tota mearum obſervationum prima Centuria, jam impreſſa, nec dum tamen edita eſſet Belgico ſermone, tum demum mihi obvenit illud *Annæ Mariæ* exemplum, ac ſicuti ſcholio obſervationis 58 quæſieram cur fæces, quæ ex inteſtino proveniebant, ac pus, quod ex

meſenterio profluebat, non deorſum in abdomen deſcenderent, & ſicut tum temporis, ſalvâ cuique ſuâ opinione, ad quæſtionem illam; prout etiam in proxime ſecuturo ſcholio legetur, reſponderam: Ita etiam poſtea expertus fui veritati meam opinionem eſſe congruentem, remque ita, uti expoſueram, ſeſe habere. Aperto enim *Annæ Mariæ* cadavere (quod in C: B: etiamnum vivente non licuit) comperi non meſenterium tantum, verum etiam ipſum ventrem plurimis abundare exulceratis glandulis (cujus rei etiam 63 Obſervatio exemplum dabit) quæ minimo fere rumpebantur tactu. Inteſtina quoque tenuia Peritonæo circum umbilicum ſpatio orbis, qualis menſis imponitur, adhærentia, ac adnata, plurimiſ- fibris extremitatibus, ſive circuitui affixa, ſed quo magis meditullium, ſive Umbilicum dictæ adhæſionis accedebant, eó firmius annexa, atque unita vidi.

In quem Umbilicum immiſſum ſpecillum in tenuia uſque deſcendiſſe inteſtina, in ipſâ autem umbilici cavitate, fiſtu-

fiſtulam ejus latitudinis, cujus eſt minimus digitus, comperimus.

Omnia autem hæc tenuja inteſtina ea, quæ ſunt ovium, magnitudine non ſuperabant, nec ullas continebant fæces, utpote plicata, ac flaccida omnino, cum quod parum alimenti per dies aliquot continuos ſumpſiſſet ægra, tum quod illa vomitionibus infeſtata fuiſſet, ſumptuſque cibus per fiſtulam ſemper fere exiiſſet. Quo loco etiam meſenterio naturaliter annectuntur inteſtina hujus interventu coaluerant, ita ut illorum nulla, niſi difficulter admodum, à ſe invicem ſeparari poſſent, & tum quidem propter abruptionem plurimum albi puris è dictis glandulis promanabat, quo multa etiam ventris pars replebatur. Adeo ut vero ſit ſimile hoc ipſum quidquid erat puris non tantum inteſtina, quæ propter meſenterii tumorem ſuperius verſus peritonæum apprimebantur, verum etiam peritonæum acrimoniâ ſuâ exaſperaſſe, atque ita dictas partes ſuperficietenus eroſas, facile potuiſſe uniri, ac coaleſcere, quin etiam dictum pus ibidem non tantum ulceris, ſed &

dein-

deinde ipſius umbilici perforationis extitiſſe cauſam.

Præterea in ventris cavitate ſupra inteſtina ad latus dextrum prope hepar duo reperiebantur ingentes, atque etiamnum tum viventes vermes, ſinguli quartam ulnæ partem cum dimidia longi, qui haud dubie per memoratam fibroſam texturam porro in ipſam ſe penetrarunt ventris cavitatem.

IN OBSERVATIONEM LVIII.

SIcuti aqua in Hydropicis quandoque ſeſe ultro per umbilicum exonerat, cujus rei plurima adferunt ſcriptores exempla, ut *Foreſtus lib.* 19. *obſ.* 33, *Benivenius cap.* 42, ac *Marcellus Donatus de med. hiſt. mirab. lib.* 4. *cap.* 21, aliique: ita etiam, quamquam rarius, per eundem locum intus latens pus ultro ſeſe ejicit.

Tulpius obſ. med. lib. 2. *cap.* 4 exemplum adducit viduæ ſexagenariæ cujuſdam pleuritide laborantis, ac cujus pectoris inflammatio, quod ſerius illa medicorum imploraſſet opem, in abſceſſum jam degeneraverat. Cum jam in ſummo verſaretur vitæ diſcrimine, non ſine ejus ingenti commodo magnum, poſtquam plurima fruſtra adhibuiſſet, inter coſtas, ac poſtea non diſſimile,

mile, aut majus circa umbilicum ortum eſt ulcus. Per quas vias, quamquam tardius, ſatis tamen ſalubriter antea pectore concluſum pus emiſſum eſt, ut haud diu poſt ad priorem illa redierit ſanitatem.

I. B. de Lamzweerde Append. ad Armamentarium Chirur. pag. mihi 267. meminit pueri novennis, qui, cum aliquamdiu veluti contabuiſſet, plurimum tandem fædioris materiæ per umbilicum ejecerit; hæc enim ibidem collecta in abſceſſum vertebatur, ac ipſum perforabat umbilicum, ita ut quotidie ſumptum alimentum inde effluere cerneretur. Hic puer tamen probâ curatione, aptiſque ſanatus eſt remediis.

Bartholom. Cabrolius obſ. 19. *pag. mihi* 11. puellæ quatuordecim annos habentis mentionem facit, quæ ventre admodum tumens, ac macilenta per integrum quadriennium continuâ laboraverat febri, poſt quod tempus prominere valde cæpit umbilicus, ac cum idem ultro rumperetur, per decem menſes continuos plurimum inde emanavit puris, ac tres denique vermes ſpithamam ſinguli longitudine, digitumque minimum craſſitie æquantes inde prodiere; iſta puella ſatis feliciter tamen convaluit, varioſque poſtea bene ſe habentes infantes enixa eſt.

Simile quid eſt apud *Hoëchſtetterum obſer. med. decad.* 2. *in Scholio pag. mihi* 175. qui agit de muliere quâdam, quæ tardâ languerat febriculâ, cujuſque ex umbilico tres viridis, fœten-

tentiſque ſaniei libræ provenerant, cum illa melius valeret; quamquam ea poſt detergentium medicamentorum uſum, repetitumque majorem peſſimè olentis puris fluxum tandem deceſſerit.

Plura ejuſmodi afferunt *Job. Mekeranus obſ. cap.* 23. *pag.* 150. *Bauhinus Anat. lib.* 1. *cap.* 2. *Hoëchſtetterus dec.* 2. *ſchol. caſus* 10. *fol.* 175. nec non *Ephem. German. decur.* 1. *ann.* 3. *obſ.* 135. *fol.* 547. ut & *dec.* 1. *ann.* 5. *obſ.* 135. *fol.* 186.

Quantum vero ad fœcum per umbilicum emiſſionem attinet, de hac etiam nonnulli docti, ac fide digni agunt medici.

G. Horſtius lib. 9. *obſ.* 19. *fol. mihi* 448. de infante unum annum cum dimidio nato agit, cui fiſtuloſum umbilici ulcus erat, per quod excrementa eâdem formâ, quâ ex inteſtinis proveniebant. Quoniam vero hoc non umbilici tantum, ſed & inteſtinorum malignum erat ulcus, infans jam multum debilitatus interiit.

Alex. Benedictus Prax. lib. 20. *fol. mihi* 573. vidiſſe ſe refert infantem, cui poſt dyſenteriam, ac vehementem, febrem inteſtinorum natum eſſet ulcus, unde pus exeſis inteſtinis per umbilicum ſeſe erumperet.

Schenkius obſ. med. lib. 3. *pag.* 430. è *Cardano de ſubtilitate* caſum pueri octennis refert, qui evacuatis per umbilicum fæcibus nihilominus curatus diſceſſerit. Plura idem eò loci exempla addu-

adducit illorum, quibus poſt inflictum vulnus, vel internum quoddam apoſtema, alvi purgamenta per umbilicum exierint, quique nihilo ſecius ſani evaſerint.

G: Fabrit. Hildanus cent. 1. *obſ.* 51. *fol.* 43. duodecim annorum Adoleſcentis mentionem facit, qui ventris excrementa per umbilicum itidem exonerabat, ac poſt cujus mortem meſenterium, pancreas, ac inteſtina &c. circumquaque duris tumoribus, ſteatomatibuſque referta reperiebantur, in inteſtino autem colo oblongum apparebat ulcus.

Joh. B. à Lamzweerde obſ. 65. *pag.* 267. de novenni puero memorat, cujus inteſtina, ac umbilicus abſceſſu exeſa erant, ita ut poſt prandium illac alimenta effluerent, quod, quamvis letale, malum feliciter tamen fuit ſublatum.

Roonh. part. 1. *obſ.* 12. *fol. mihi* 50. obſtetricis cujuſdam meminit, è cujus rupto umbilico excreſcentia carnea infantis caput magnitudine ſuperans, ſimulque per inteſtini cujuſdam aperturam excrementorum pars exibat; fuitque hoc ulcus ita percuratum, ut apertura tantum Phaſeoli inſtar relinqueretur, per quam quotidie alvi exonerabat fæces, ne minimâ quidem earum parte per anum, imo ne flatibus quidem emiſſis. Illa autem, cum hæc ſcriberet *Roonhuſius*, jam ſex annos ita vixerat; valuit tamen bene, quamdiu ſuperfuit, ac ducentas & octoginta libras appendit; quinimo trecentos cum viginti

ginti quatuor fœtus ex uteris maternis recepit.

Mirabuntur autem fortean nonnulli, quare in C. B. ægrâ (de quâ me in hoc ſcholio dicturum jam ſupra monui) fæces ex inteſtino, pus vero ex meſenterio provenientia non deſcenderint in abdomen?

Judicet quivis, quodcunque voluerit: meâ autem opinione propter obſtructas, tumenteſque meſenterii glandulas, quin & propter inflammationem, quæ ulcus præceſſerat, dictum inteſtinum unà cum meſenterio peritonæo appreſſum, & contiguum, temporiſque tractu unitum, ac agglutinatum fuit. Idque eò facilius fieri potuiſſe reor, quod, illâ jam gravidâ, atque ab eo uſque tempore meſenterii obſtructione vexatâ, inteſtinum ſimul cum meſenterio fætu intumeſte, ac turgente utero, facillime verſus peritonæum propelli, eique conjungi potuerit. Neque enim fieri poteſt, ut abſque inteſtini cum peritonæo combinatione fæces per umbilicum tranſeant; neque id facilius fit, quam pus ex jecore in pectoris cavitatem, atque ita in ipſum pulmonem ſe penetrat, cujus rei quadrageſima ſexta obſervatio mentionem fecit. Hanc autem meam opinionem veram eſſe, quod longo poſt tempore aperui, dictæ *Annæ Mariæ* cadaver docuit.

Plurium labiorum unionum tam ventriculi quam inteſtinorum vulneratorum, eorumque

cum

cum peritonæi, diaphragmatis, nec non muſculorum abdominis, aliarumque ejus partium læſarum labiis, nexuum, mentionem fecimus *obſ.* 39, 46. ſicut etiam infra *ſchol. obſ.* 60. nec non *cent.* 2. *obſ.* 23. *Scholioque obſ.* 25. facturi ſumus.

OBSERVATIO LIX.

Purgamenta alvi ex inteſtino colo per lumbos ejecta.

NObilis quædam Domina quadraginta circiter annos nata, poſtquam à quarto ætatis anno aliquamdiu ſanguineam excreviſſet urinam, ac ea tandem ceſſaret ſanguinis emiſſio, per duodecim fere annos continuos plurimum fætentis puris non ſine magno dolore ſimul cum urinâ diverſis vicibus ejecit, uſquedum tandem parvus abſceſſus non ſine maximo ſiniſtri lateris dolore, quo loco renum alter ſitus eſt, extrinſecus apparuit, quo indies accreſcente anno 1674. me, Fratremque *Joh. Stalpartium vander Wiel*, nec non Chirurgum *Cornelium vander Hoogh* conſuluit, noſ-

tramque de iſto malo quæſivit ſententiam. Perpenſis omnibus, hoc eſſe renis ulcus judicavimus; quare illico cauſticum ei admovere placuit, quo, nec non inciſione poſtea ſatis feliciter factis, probe cocti puris copia bene magna effluxit, quod aliquamdiu majori quidem multitudine, poſtea minori, ad duas videlicet, treſve uncias quotidie per integrum annum hâc viâ eductum fuit. Tandem autem, deficiente pure, fiſtula ibidem orta eſt, per quam non tantum initio male olens pus, ſed & tenuiora inteſtinorum prodiere excrementa: Cum puris haud dubiè acrimonia ex ulcerato rene provenientis ſimul etiam inteſtinum colon reni adiacens exedisſet.

IN OBSERVATIONEM LIX.

NOn equidem negaverim plurima literis mandata eſſe exempla eorum, qui fæces inteſtinorum inſolitâ, ac præternaturali viâ, ſive ex inguine (ut mox dicetur) ſive ex umbilico (ut paulo ſupra) ſive denique ex utriuſque ſexus pudendis, aliiſque alvi locis exonerarint.

Con-

Contingit autem illud ipſum, cum vel inteſtina exterius acuto quodam telo, aut plumbeâ glande, caſuve læſa ſunt, vel interius abſceſſu quodam, acrive quâdam materiâ ulcerata, aut exeſa ſunt, quo caſu temporis tractu etiam fiſtula naſcitur, per quam per plurimos annos abſque ullo vitæ periculo excrementa ita fuiſſe egeſta variis probat exemplis *Schenkius obſ. med. lib.* 3. *pag.* 430. quamquam autem plurimorum ſcripta perlegerim, nullus eſt, quod ſciam, qui evacuationis puris ab inteſtinis exemplum eodem loco, modoque, quem diximus, adferat.

Si quis quærat, quare ex inteſtino colo provenientia excrementa non in ventris deſcendant magis cavitatem, quam per hanc fiſtulam, ac lumbos ſeſe egerant? Sciat veroſimilius, ac rationi longe eſſe convenientius, ſi dicamus labia dicti inteſtini aperti, quo loco exeſio contigerat, ſeſe labiis membranæ dicti exulcerati renis univiſſe. Dicere etiam quis poſſet renem illum ante exulcerationem inflammationi fuiſſe obnoxium, ac valde tumentem, proximeque inteſtino colo (qui præterea etiam naturaliter reni conjungitur) admotum paulatim ſeſe affixiſſe, ita ut renis membranâ pure exeſâ inteſtinum facile lædi, perforarique, atque ibidem fiſtula naſci potuerit, per quam illa Domina non quotidie, ſed quandoque, præcipue cum multum cibi ſumpſiſſet, multive flatus in inteſtino colo continerentur,

tur, maxime fætentem ſaniem emittebat: futuræ autem ejectionis deliquium animi fere præſagium erat, ac tum ſanies impellentibus flatibus per dictam aperturam egerebatur.

David ab Hoogſtraten diſſertat. epiſtolicâ de hodierno medicinæ ſtatu ad N. vander Kappen; Memini, inquit, nobis præſentibus, ſectioni cadaveris fæminei intentum fuiſſe Celeberrimum Virum, & Dexterrimum Anatomicum Carolum Drelincurtium, in quo, reni exulcerato adnatum inteſtinum colon, perpetuum pus per rectum inteſtinum deturbabat.

OBSERVATIO LX.

Fæces per ingune excluſæ.

HAgienſis cujuſdam civis infantem biennem, vocatus abſceſſu inguinis laborare vidi, è quo ſimul prodibant excrementa; cauſa autem illius, ut ſuſpicabar, inteſtinorum erat inflammatio. Ipſe illud malum detergentibus, ac conſolidantibus tam extrinſecus admotis, quam intrinſecus injectis per alvum, brevi tempore curavi.

IN OBSERVATIONEM LX.

FIdem faciunt ſcriptores plurimi diverſas interdum excrementis aperiri vias, cum fæcibus, uriniſque tranſitus clauduntur, parteſve quibus dicta continentur excrementa, internè læſæ, exulceratæve ſunt.

Schenkius pag. mihi 430. varia eorum producit exempla, quibus inteſtina ſive per internum abſceſſum, ſive per externum vulnus perforata eſſent, quique nihilominus multos annos poſtea ſani vixerint, ac fæces per fiſtulam inguinis egeſſerint inſtrumento, ſive vaſe quodam, provenientia excrementa excepturo aſſidue uſi. *Gale-* „ *lenus lib.* 1. *cap.* 1. *de loc. aff.* ait ortum ſu- „ pra inguina panum cum medicus incideret, „ ſtercus ſubſecutum in colo abſceſſum eſſe de- „ claravit.

G. Fabrit. Hildanus pag. 54. *cent.* 1. *obſ.* 74. Juvenem quendam ſe vidiſſe memorat, cujus abdomen, quoniam in acutiorem inciderat palum, ita læſum erat, ut ipſa ex vulnere prodirent inteſtina, ac quoniam ille ante tertium diem Chirurgi ope levari non potuerat, in ſuum locum reduci inteſtina nequivere, niſi dilatato ante per novaculam vulnere, quamvis illa ipſa, dilatatione factâ, ac quavis curâ requiſitâ adhibitâ, ſatis aptè intus contineri non potuerint: Ita ut paulo ſupra inguen dextrum ad latus Ilii

oſſis inteſtinum unam ſpithamam cum dimidiâ longum, ac ejus craſſitiei, cujus eſt brachium juxta carpum extra ventrem propenderet, quod ille tamen juvenis pro lubitu aliquo modo intromittere, atque introrſum adigere poterat: Erat autem hoc inteſtinum toti vulneris circuitui unitum, adnatumque, nec ab ipſo uſque vulneris initio juvenis per anum fæces alvi emittebat.

Simile exemplum adfert *H. Smetius miſcell. medic. lib.* 10. *fol.* 566.

Platerus obſ. lib. 3. *pag.* 827. Centurionis cujuſdam mentionem facit, qui vulnerato ventre, multis annis per fiſtulam alvum exonerabat. Idem *pag.* 828. mulieris gravidæ meminit, cui tuberculum nucis juglandis magnitudine, in ſiniſtrâ abdominis ſede tranſverſæ manus ſpatio ab umbilico exſuperabat, quod in abſceſſum, indeque ulcus ſinuoſum abjerat, è quo aperto primum pus, & ſanies, deinde poſt partum aliquot annis purgamenta ventris, nullâ eorum parte per anum ejectâ, egerebat; id autem manuum ope, quibus corpus premebat, efficiebat.

OB-

OBSERVATIO LXI.

Varii pinguiores, virideſque globuli per alvum excreti.

ARceſſitus fui cum fratre *Joh. Stalpartio vander Wiel* ad Dominam quinquagenariâ minorem, quæ, poſt aliquot dies continuatum alvi fluxum, ſimul etiam plurimos virides, ac pingues admodum globulos uvas criſpas pro parte, pro parte etiam nuces moſchatas minores magnitudine æquantes per alvum egeſſit, qui cochleari contenti, pruniſque impoſiti haud ſecus, ac butyrum liqueſcebant, & in ignem conjecti, tanquam oleum, flammam concitabant. Hos autem cum mulier illa nullâ tabe langueſceret, crediderim natos fuiſſe inde, quod cum paſſim de imbecillo ventriculo conquereretur, pinquibuſque delectaretur, ventriculi fermentum jam antea debile, hiſce magis obtuderit, in hæc enim difficulter agit fermentum, quare pinguedo in ventriculo parum im-

mutata, ulteriuſque ad colon inteſtinum deducta, & ob motus ineptitudinem moram ibi trahens, eodem modo, quo ſicca in ovium inteſtinis ſolent excrementa, tandem in globulos efformata eſt.

IN OBSERVATIONEM LXI.

LAzarus Riverius Profeſſor quondam Academiæ Magdalonenſis *cent.* 2. *obſ.* 23. *pag. mihi* 133 id ipſum in trienni puellulâ conſpexiſſe ſe memorat, quæ ejuſmodi itidem virides, at paulo minores globulos emittebat, nullam autem unquam hujus rei mentionem apud ſcriptores ſe reperiſſe aſſerit. Narrat porro medicinam ſe feciſſe melancholico cuidam, perverſâque imaginatione agitato, putantique nonnunquam venena quædam ſibi propinari, ad quæ reprimenda, ac obtundenda plurimum interdum ſumebat olei. Atque hic etiam, teſte *Riverio*, ejuſmodi virides exonerabat pilulas, quas ipſe liquefaciebat, atque in lagenis conſervabat; quæ materia ita ſervata viridi amurcæ non multum diſſimilis erat, nullumque diffundebat odorem.

Quare judicaſſe ſe idem refert ſcriptor iſtam olei multitudinem non omnino potuiſſe intus immutari, ſed craſſas ejus particulas in corpore ali-

aliquamdiu concluſas, atque indies craſſiores redditas ejuſmodi pilulas procedente tempore evaſiſſe.

De globulis pinguibus butyraceis per infantum alvum magnis cum torminibus ejectis referunt *Miſcell. med. phyſ. German. curioſ. decur. 2. an. 2. obſ. 152. fol. 340, &c.*

Muliercula quædam macro, ac tenui corpore ſæpius (ſcribente *Tulpio obſ. med. med. lib. 3. cap. 18. fol.* 216) tertiana febri, obſtructoque laborans liene per quatuordecim tandem menſes continuos plurimum ſubflavæ pinguedinis excrementis haud ſecus, ac ſi butyrum eſſet ſupernatans, per alvum excrevit tantâ etiam aliquando multitudine, ut (ſi collecta fuiſſet) phialas aliquot, ac lagunculas impleſſet: Eadem inſuper in ignem conjecta multa ardebat flammâ; ſin vero hæc ipſa pinguedo, poſtquam aliquamdiu fæcibus inhæſiſſet, frigeſceret, inſtar adipis coagulabatur.

Pinguedinem meram per alvum excluſam obſervavit *Möellenbroccius Ephemerid. German. decur. 1. an. 2. obſ. 19. & 20.* Materiam humanæ pinguedini ſimilem, ſingulis diebus per alvum excretam à fæmina contabeſcente vidiſſe ſe narrat *Mæbius fundamentis Phſiyolog. cap. 11. ſub finem.*

OBSERVATIO LXII.

Pituita aliquamdiu cum fæcibus alvinis ſimul excreta.

VIdere quondam mihi contigit duos maſculos, qui, quoties alvum exonerabant, diſtinctam ſimul pituitæ copiam ovi albumini non diſſimilem poſt ventris tormina emittebant, quæ ſæpius in pelvi à reliquis fæcibus ſeparata, atque accumulata reperiebantur. Verum equidem eſt me plus centies ejuſmodi pituitam præſertim ſimul cum poſterioribus excrementis poſt purgationis uſum emitti vidiſſe; cujuſmodi ejectio plerumque etiam poſt præcedentes ventris cruciatus contingit, qui utplurimum oriuntur pituitoſæ materiæ abraſione, qua inteſtina naturaliter ad defenſionem ſcilicet oſtiolorum vaſorum ſuorum intus veluti veſtiuntur. Verum ingenue fateor ſatis diu me hæſiſſe in quærenda dictæ pituitoſæ ejectionis cauſa: neuter enim horum dyſenteriâ, diarrhæave laborabat; alteri autem ulceratus erat pul-

pulmo, alter diuturnâ, benignaque (quam vocant) infeſtabatur gonorrhæa. At poſtea edoctus ſum hunc craſſum mucum, ſive viſcidum humorem è lenticularibus craſſorum inteſtinorum glandulis (gracilibus enim ſunt aliæ, ſuccumque non adeo tenacem profundentes glandulæ) nimio muco ob ſuam debilitatem ſcatentium provenire, quam opinionem confirmavit ſubſequens curatio, cum uterque calefacientibus, roborantibuſque, tum per os aſſumptis, tum per clyſteres infuſis, ab hoc malo ſatis brevi temporis ſpatio fuerit liberatus.

IN OBSERVATIONEM LXII.

FErnelius *Patholog. lib. 6. cap. 20. fol. mihi* 171 puri ſimilem materiam quandoque cum fæcibus exonerari tradit, quamquam nec pus ſit, nec ex ulcere proveniat; hanc autem puris ſpecie plurimos decepiſſe idem ait, mucoſas vero & ſubalbidas ſordes, ac veluti limum, fæcemque ſanguinis melancholici aſſerit, quam podicis expuunt vaſa, ac multo interdum tempore poſt diuturnos fere melancholicos morbos, duramque & laborioſam equitationem eructant.

Idem

Idem *Pathologiæ lib. 6. cap. 9. fol. 157.* in Inteſtinis craſſam nonnunquam, copioſamque produci pituitam ait, quæ non alvi è cibis proveniens, ſed peculiare quoddam inteſtinorum ſit excrementum, quæque ibidem ſecundum naturam gignitur, concreſcitque; è quibus cernitur, quandoque ſponte fæcibus circumquaque adhærentem deſcendere, quandoque clyſtere manifeſte deduci, aliquando dyſenteriæ vi corradi.

Interdum vero, inquit idem, è craſſâ, lentâ, vereque gypſeâ pituitâ, præter naturam ſenſim, & copioſius collectâ, firmiuſque inteſtinis adhæreſcente, omnis fere eorum cavitas repletur. Quale exemplum idem de legato Caroli Quinti Imperatoris Adducit, *qui dolore torquebatur, nec non tumore à dextro hypochondrio per ima ventriculi in ſiniſtrum exporrecto. Huic quum ſexennio toto remedii genus omne tanquam emolliendo ſcirrho adhibitum fuiſſet, injecto tandem acriori clyſtere, durum ac firmum quippiam, medio ductu pertuſum, pedis longitudine detractum eſt: quod ille inteſtini portionem eſſe metuebat. Sed cum repente levatus videretur, adhibito conſilio, iterum, ac tertiò clyſtere prolutus eſt; rurſuſque ſimili evulſâ materiâ continuo priſtinæ eſt valetudini reſtitutus. De altero etiam narrat, cui ſimilis, ſed gravior affectus alvum prorſus cohibuerat, qui tandem ventre ſupra modum intumeſcente deceſſit è vivis,*

vis, inventumque eſt colon inteſtinum uſque adeo infarctum pituitâ concretâ, ut ſolidum prorſus cenſeretur, nihilque omnino fæcis in alvum delabi ſineret.

Memini me legiſſe in ſcriptis *Otth. Heurnii* dicentis ſe Profeſſori cuidam Lugdunenſi in Batavis purgationem alvi præbuiſſe, poſt cujus uſum hic ſimul cum excrementis maximam firmiter ſibi adhærentis, lentiſſimæque pituitæ copiam exonerans illico *Heurnium* arceſſi juſſerit tremebundus, cum jam inteſtinorum ſuorum partem ejectam arbitraretur.

P. Salmuth: cent. 1. *obſ.* 78. *pag.* 49. à *Peucero* narratum ſibi tradit de Italo quodam, cui morbo colico letali multum fatigato poſt mortem totum inteſtinum colon pituitosâ materiâ intus obſeſſum fuerit, relicto ſolum fæcibus ejus latudinis tranſitu, cujus eſt digitus.

Idem cent. 2. *obſ.* 21. *fol.* 68. de ægro quodam nobili narrat, cujus ſanandi initium purgatio erat; ſolitis autem fæcibus expulſis, per aliquot hebdomadas continuas tantum pituitæ prodiit, ut, quo magis iſtam purgantibus mediis ille uteretur, eò plus ejuſdem exoneraret, donec nulla ſanabilis arte tandem occumberet.

OBSERVATIO LXIII.

Infantis cujuſdam abdomen paſſim exulceratis glaudulis refertum.

MEnſe Junio 1665. vocatus fui cum *Jacobo Sena* medico, ut quatuor annorum infantis cadaver aperirem, qui longo ante obitum tempore continuâ febriculâ emaciatus erat, atque hæc quidem ex glandularum abdominis obſtructione (quod exinde etiam tumeſcebat admodum) orta erat. Diſſecto autem cadavere hepar, lienemque uſque adeo firmiter diaphragmati ventriculoque annexa reperimus, ut nullâ ratione ab eo ſeparari poſſent. Pulmonem inſuper ad latus dextrum membranæ pleuræ affixum, & concretum, plenumque parvulis abſceſſibus, iiſque ſingulis cocto pure repletis comperimus. Totus venter durioribus ſcatebat glandulis; quibus meſenterium etiam, omentumque, ac pancreas paſſim obſidebantur. Salſiores cibi ſemper appetentior fuerat, hic

hic infans, qualem præbent locuſtæ marinæ, haleces ſale conditæ, aliique ſalſi, ac vento indurati piſces, unde illius viſcera pravum admodum contraxerant habitum; quoniam vero malo ſucco abundabat corpus, hic illic cutis herpete, nec non caput, facieſque fædâ obſidebantur ſcabie: laborabat porro hic infans ophthalmiâ, atque aſthmate; ut mirum non ſit, ſi tam male affectum corpus anima cito deſeruerit.

IN OBSERVATIONEM LXIII.

HEnricus Roonhuſius Chirurgus, dum viveret, Amſtelodamenſis *parte* 2. *pag*. 158. ſimile quid de juvene tradit, in cujus cadavere non tantum totum collum, verum etiam meſenterium ſtrumis refertum inveniebatur, quæ ſeſe etiam in pectoris viſceribus manifeſtabant.

Otth. Heurnii Lugdunenſis in Batavis quondam Profeſſoris *Ephemerid. pag. mihi* 14. inter rariora hoc etiam puellæ quatuordecim annorum exemplum habent: Illa enim, cum diu multis magniſque, & hinc inde ſuppuratis, atque exulceratis in colli ambitu, & ſub axillâ ſiniſtrâ ſtrumis laboraſſet, diuturnâque confecta eſſet ipſa macie, tandem anno 1638. in Noſocomio Lugdunenſi deceſſit. Illius autem viſcera eo modo,
quem

quem obſervavimus noſtro caſu, unita, concretaque erant, atque intus ubique innumeris ſcatebant ſtrumis, ne exemtis quidem Peritonæo, mediaſtinoque, ac diaphragmate, imò ne uteri quidem ligamentis: Strumarum autem aliæ caſtaneæ, aliæ avellanæ nuci, piſoque pares erant aliæ magnitudine: jecur, pulmo, lien, præter ſtrumas majuſculas, quas hinc inde obtinebant tota interius, exteriuſque quaſi grandine conſperſa erant. Multæ etiam milii coriandrive granum vix ſuperantes in inteſtinorum tunicis repertæ ſunt.

Plurimum inſuper aquæ in ventre, ac pectoris dextrâ parte apparebat malo Citreo colore par; Eadem etiam, ſed coloris pallidioris, in pericardio, cerebrique ventriculis, illiuſque baſi abunde conſpiciebantur; ut plenius dictæ *Ephemerides* narrant.

Similia reperias apud *Fabrit. Hildanum cent.* 1. *obſ.* 51. *pag. mihi* 43. *&* *obſ.* 70. *cent.* 1. *pag.* 23. nec non *Theoph. Bonetum Anat. Pract. pag.* 540. ut & *Barbette cap.* 2. *pag.* 25. *prax. med.* qui glandularum totius corporis non dubium ſtatuit officium lymphæ percolationem, & ſecretionem, ideoque concludit craſſiorem liquorem, hujus mali eſſe cauſam, unde initio quidem ipſarum glandularum obſtructio, mox & durities, denique & ſenſim accreſcentes ejuſmodi pertinaces tumores naſcantur.

OB-

OBSERVATIO LXIV.

Ceraſorum nuclei in inteſtino Colo per ſex circiter menſes latentes.

EXonerantur per alvum quandoque ea, quæ ante aliquot menſes, priuſve ſumpta erant. Sic ipſe ante annos aliquot inter excrementa J: D: V: Civis Hagienſis varios ceraſorum nucleos (purgaverat enim alvum ægrotus) menſe Januario vidi, quos præcedentis anni æſtate haud dubie deglutiverat. Neque enim poſtea alia ceraſa ſive recentia, ſive alio quovis modo præparata, conditave comederat.

IN OBSERVATIONEM LXIV.

QUoniam cellulis abundat inteſtinum colon, ne citius deſcendant corporis excrementa, contingit nonnunquam, ut durioris materiæ aliquid illis contineatur.

Thom. Bartholinus (ita enim liquet ex *miſc. med. phyſ. decur.* 1. *an.* 2. *obſ.* 74. *pag.* 134.) narrat literis ſuis fabrum ſe noviſſe ferrarium, à villâ ſuâ non longe habitantem, qui dentem ſuillum

S (forte

forte cum olere) deglutiverat, quique de continuo lateris conquerebatur dolore, ita ut, cum antea eſſet corpore pingui, paulatim maceſceret admodum, donec poſt biennii intervallum, dente illo tandem per alvum excreto, doloribus iſtis eximeretur.

Philip. Salmuth. obſ. med. cent. 1. *fol.* 16. per integrum annum cum dimidio ſcybalorum copiam bene magnam in inteſtino colo fuiſſe retentam obſervavit, quæ non niſi poſt multa enemata ventriſque fomenta potuerint expelli.

In magnis obſtructionibus alvi apertionem difficilem eſſe, in multis ſe obſervaſſe dicit *Schenkius pag. mihi* 433. ſibique aliquoties in praxi occurriſſe, ut, cum alvus potionibus purgantibus probe evacuata videretur, & excrementa liquida egererentur, tamen excrementa alia ſicca, eaque plurima in inteſtinis nihilominus ſubſiſterent, & novam obſtructionem, repetitoſque dolores excitarent; ita ut poſt peractam purgationem reliquum enematibus educere opus habuerit.

Felix Platerus obſ. cent. 3. *pag.* 844. de quodam refert, qui, cum plurimum ediſſet caſei, diu vehementi morbo colico, interdum & nervorum contractionibus vexatus fuerit, quique poſt variorum clyſterum uſum, maximam obdurati, coagulatique caſei copiam per alvum excreverit, cum tamen ejuſmodi cibi nihil omnino (vetuerat namque Medicus) per multum temporis ſumpſiſſet.

Agit

Agit idem de fæminâ quadam, inter cujus excrementa plurima gallinarum pedum oſſicula, quæ variis temporibus cum liquore quodam per fauces tranſmiſerat, poſt diuturna alvi tormina fuerint reperta.

Meminit *Zod. Med. Gallicus an. 2. fol.* 88. pueri decennis, qui plus 50. aciculas 12. aut 15. dierum ſpatio emiſerit ante 6. vel 5. annos ſenſim, at incauté deglutitas.

OBSERVATIO LXV.

Mulieri uno, eodemque fætu gravidæ quadragies, ac novies vena ſciſſa.

MEmini matronam quandam an. 1653. Harlemi habitantem ſanâ gaudentem temperie, ſanguiniſque divitem, atque optimo ætatis vigentem robore, ſæpius quam citiſſime adeo oppreſſam fuiſſe, ut vix reſpirare poſſet: quare ex ejus brachii venâ, conſilio experti admodum Medici *M. la Febure* ſæpius apertâ, aliquot unciæ ſanguinis depromebantur, poſt quam exonerationem illa denuo ad ſe rediit. Ipſe etiam cum forte Harlemi eſſem decimo quarto

ante ejus partum die adfui, cum dictæ Matronæ ante bene ſe habenti, ac lætæ, iſte angor, reſpirationiſque difficultas cito admodum ſuperveniret, ita ut Chirurgum continuo arceſſi juberet. Illa autem, poſtquam me præſente ſeptem, octove ſanguinis unciæ eſſent detractæ, tanquam nihil ei obeſſet, iterum cum aliis menſæ accumbere cæpit, nec edere, nec animo eſſe læto deſtitit. Hæc autem, cum primum fætum ferret, repetitâ quinquies venæſectione, nihilominus filiam, etiam nunc viventem edidit. Cum vero ſecundò uterum ferret, toties dictâ anxietate infeſtata fuit, ut brevi tempore trigeſies, ac ſexies venam ſibi ſecari præceperit. Illius autem neceſſarii non parum hac de re ſolliciti (quamquam, ſi hoc vitii excipias, bene valeret illa) Medicum *G. Stratenum*, ac me de malo iſto conſuluerunt. Perpenſis autem omnibus, nec inventis aliis remediis, quæ ipſam tantis eximerent anguſtiis, non omnino rejiciendam, urgente neceſſitate, ſtatuimus phlebotomiam; fuitque illi poſtea ter, ac decies aperta vena (ita ut quadragies, ac no-

novies hoc modo, dum ultimo intumeſceret fætu, ſanguinem emiſerit) nec minus recte illa uſque ad graviditatis finem valuit, ita ut eo, qui partus tempus præcedebat, die avide ſatis, multumque hepatis Aſelli majoris comederet. Ipſa autem, ſive non ſufficientibus viribus, ſive aliis de cauſis, tumente corpore, nullâ oris uteri interni apertione factâ, ſub noni menſis finem vivis intereſſe deſiit.

IN OBSERVATIONEM LXV.

HIppocrates *ſect.* 5. *Aph.* 31. *Mulier*, inquit, *uterum ferens abortit ſectâ venâ, eoque magis, ſi ſit fætus grandior.*

Datque ad Aphoriſ. hunc *Galenus commentario ſuo* hanc cauſam, quod nempe fætus deſtituatur alimento ſuo, ſi ſanguis minuatur, unde ſequatur abortus.

Verum enim vero contrarium ſæpiſſime ægris, gravidiſque mulieribus contingit, verbi gratia, Pleuritide, peripneumoniâve, aut Synanche laborantibus, vel febribus continuis, ardentibuſque (quas vocant) vexatis, ubi venæſectio perutilis, ac neceſſaria eſt, nec ſine ratione non prioribus tantum, mediiſve, ſed & poſte-

rioribus graviditatis menſibus fit (uti ex obſ. noſtra trigeſimâ tertiâ ſatis conſtat) quâ omiſſâ ſæpius mater cum fætu ſuo interit. Qui itaque hoc caſu mulieri gravidæ venam ſcindi præcipit, in *Hippocratis*, *Galenive* doctrinam non peccat: ſentit enim uterque ideo tantum abortire gravidam, quod ſanguinis detractio fætui ſuum adimat alimentum. Si itaque talis fiat ſectio, que fætui nihil detrahat nutrimenti, non metuetur abortus: talis autem fit ſanguinis primis graviditatis menſibus emiſſio, fætu etiamnum parvo, nec multum requirente alimenti, præcipue, ſi tum adſint copioſi ſanguinis, roboriſque gravidæ indicia. Mediis vero, poſterioribuſque cautius agendum eſt menſibus, propterea quod major ſit fætus, ideoque plus nutrimenti ei ſit neceſſarium, nam unà cum ſanguine matris, portio quædam chyli poſtea ad uteri tubulos pro nutritione fætus deferendi, emittitur. Quod ſi tamen eo caſu abundet ſanguine mulier, nec multum detrahatur cruoris, poterit & tum vena tutò ſcindi, quod ita minuatur morbus, nec tantum detrahatur ei, qui in utero eſt, ut abortus inde metuendus ſit.

Conſiderandum etiam eſt gravidarum venæſectionem veteribus inſolitum fuiſſe remedium, ita ut non multam hujus mentionem faciat ſuis ſcriptis *Hippocrates*.

Celſi autem tempore, non adeo timendam ejuſmodi ſciſſionem uſus docuit; nos etiam hodie

die hoc modo ſæpius periculoſiſſimis eripimus matrem, fætumque morbis, imo vel ſub ipſam graviditatis finem. Tanta enim quibuſdam mulieribus ſanguinis eſt abundantia, ut eo fætus ſæpius non tantum ſuffocetur, ſed & ipſa mater maximo exponatur diſcrimini, quandoquidem periculoſior longe mulieri eſt abortus, quam partus perfectus.

Joh. Beverovicius Theſauri ſanitatis pag. mihi 571. de Medico quodam agit, qui à duabus diverſis mulieribus conſultus erat, in quarum alterius utero quatuor octavo, in alterius autem duos ſexto menſe ſanguinis abundantia extinxerat fætus. Illæ autem, cum quinto à conceptione menſe multum iis detraxiſſet ſanguinis, ſæpius poſtea, feliciterque perfectos edidere partus.

Similia habent *Paulus de Sorbait miſcell. cur. med. phyſ. decur.* 1. *ann.* 2. *pag. mihi* 186. *Zacutus, Amatuſque Luſit: Primiroſius, Rodericus à Caſtro, Dominicus Panarolus, Henr. ab Heers obſ. med. lib.* 1. *obſ.* 14. *aliique.* Omnium vero notatu digniſſimum eſt, quod narrat *Lazarus Riverius pr. lib.* 9. *de morb. mulier. cap.* 16. *pag. mihi* 498.

„ *Uxor*, inquit, *Joh. Vieules civis Mon-*
„ *ſpelienſis, tres abortus conſequentes paſſa fue-*
„ *rat variis temporibus geſtationis: dum quarto*
„ *gravida eſſet, circa finem menſis ſecundi, cor-*
„ *repta eſt iiſdem ventris, & lumborum dolori-*
„ *bus, qui aliorum abortuum prodromi eſſe con-*

,, *ſueverant. Vocatus ad eam, & advertens*
,, *mulierem ſanguineo temperamento præditam,*
,, *& plethoricam, ſtatim ſanguinem mitti ju-*
,, *beo ad ℥viij, & intra dimidiam horam præ-*
,, *dicti dolores omnino quieverunt: & mulier ita*
,, *bene habuit, ut reliqua remedia, ad præcau-*
,, *tionem aborſus à me præſcripta admittere no-*
,, *luerit: Illa autem ſymptomata apparuerant*
,, *eo prorſus tempore, quo ipſa extra gravidita-*
,, *tem menſtruas purgationes pati conſueverat.*
,, *Tertio demum graviditatis menſe eâdem pe-*
,, *riodo ſimilia redierunt ſymptomata. Illa me*
,, *ſtatim vocatum rogat, ut iterum phleboto-*
,, *miam præſcriberem, cum præterito menſe*
,, *adeo præſentaneum levamen ab eâ percepiſſet.*
,, *Me igitur votis ipſius annuente, ſanguis de-*
,, *nuo mittitur, pari prorſus eventu. Quarto*
,, *itidem menſe, quinto, ſexto, octavo, iiſ-*
,, *dem ſymptomatis periodice recurrentibus ite-*
,, *rata fuit venæ ſectio, & mulier ſtatim libe-*
,, *rabatur. Ultima phlebotomia celebrata fuit*
,, *octo diebus ante principium noni menſis, cum*
,, *eodem fructu; & circa finem noni menſis dic-*
,, *ta mulier peperit filium vitalem, & bene ha-*
,, *bitum.*

Accedit, quod longe aliter nunc apud nos, quam olim apud veteres *Hippocratis* ævo fiat venæ ſciſſio: Illi enim ſanguinis libras aliquot, nos uncias detrahimus, nec minus quam caperet cotyla, depromebant primâ vice, repeten-

dâ

dâ tum etiam brevi poſt venæ ſectione: ſingula autem cotyla decem vini (teſte *Galeno lib. de ponderibus & menſuris*) duodecim autem ſanguinis capiebat uncias, propterea quod hic vino ſit gravior, ſcribitque idem *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap.* 12. meminiſſe ſe ſex quandoque ſimul ſanguinis libras è vena demiſſas fuiſſe. Quin & ipſe dicto *Cap.* 12. ut & *lib.* 9. *meth. med. cap.* 4. ex iis, qui acutis, continuiſque febribus laborant, ad animi deliquium uſque depromi ſanguinem permittit, ſive id unâ fiat vice, ſeu duabus, tribuſve, dummodo ægrotantis virium habeatur ratio.

Aliam inſuper vivendi rationem ſervant hiſce temporibus mulieres, quam quidem olim. Dantur enim haud paucæ, quæ probe cuticulam curent, nec victus, potuſve largioris impatientes ſint.

Cur autem gravidis non æque vena ſcindi queat, quam alvus purgari, quod tamen admittit *Hippocrates*? Ventris enim purgatio olim periculoſius fiebat, quam ſanguinis emiſſio, quandoquidem priſci illi medici lenius purgantibus deſtituti, *Elleboro* plerumque, ac Scammonio, Colocynthideque utebantur.

Præterea, qui ſciſſione fit, pro libitu ſupprimi poteſt ſanguinis fluxus, quod quidem in humorum purgatione non æque factu eſt facile.

Permultæ inſuper reperiuntur, quæ ſanguine abundant, mulieres, quæ uterum ferentes bis,

terve utplurimum venam ſibi aperiri jubent poſterioribus etiam menſibus, quo omiſſo, herpete, aliiſque cutis affectibus infantes multum infeſtantur.

Denique anne ſæpius contingit, ut gravidarum corpora copioſo ſanguinis per nares, variceſque, aut hæmorrhoides, ac ipſum uterum fluxu, ſuperfluam ejuſdem ejecerint multitudinem;

Teſtatur *Savanarola* optime ſe habentem fætum productum à muliere fuiſſe, cui gravidæ duodecim dierum ſpatio plus decem ſanguinis libris per nares effluxerit.

Alii cuidam fæminæ, referente *Foreſto lib.* 29. *de Arthritide obſ.* 24. octavo graviditatis menſe varices prope talum ultro exeſi erant, ita ut plus tribus ſanguinis libris emitterent, atque ipſa inde animi pateretur diliquium, hæc tamem ſatis feliciter peperit.

L. Benjamin Scharffius miſcell. med. phyſ. an. 9. *pag. mihi* 43 de triginta annorum muliere memorat, quæ corpore craſſa, ac plethorica à primo menſe prioris graviditatis uſque ad ultimum magnam puri, ac laudabilis ſanguinis copiam qnotidie plerumque ad octo uſque uncias, interdum & plus, minuſve abſque notabili incommodo evomuit; vixit etiam illa ſana, ac quamvis tam copioſe ſanguinem exoneraſſet, bene valuit. Cumque illa à venæ ſciſſione multum abhorreret (quam tamen præceperat Medicus)

cus) præ mali cujuſdam timore illam nunquam admiſit.

Nec deſunt plura ejuſmodi variis ſcriptoribus jam diu notata.

Quoniam itaque conſtat ſpontaneam ſæpenumero contingere exonerationem, quid ni hæc arte etìam quandoque fiat?

Quotus etiam quiſque eſt, qui neſciat malè caſtas viduas, puellaſque ſæpenumero necquicquam ad ſaphænæ ſectionem confugere?

Unicum tantum, quod nobis inſerviat, animi gratiâ adducam, nec minus tamen memorabile è *Zacuto Luſitano* exemplum. Scriptor hic *lib.* 2. *prax. med. admir. obſ.* 144. *pag. mihi* 77 ita loquitur.

„ Mala quædam mulier, juvenis, bilioſa, &
„ gracilis, quum ſeptimi menſis fætum in utero
„ gereret, ob metum abſentis mariti aborſum
„ procurat, plurima auxilia parat, aſſumit pur-
„ gantia valida, applicat utero fortiſſima un-
„ guenta, apponit peſſaria violenta, & alia fæ-
„ tum enecantia medicamenta per os devorat.
„ Demum omni prorſus deſtituta auxilio, ex-
„ actiſſimâ inediâ incaſſum tamen, corpus mace-
„ rat: Tandem quaſi deſperata, viribus licet in-
„ validis, ad ſaphænæ phlebotomiam decies,
„ & ter celebratam, & hirudines in ſede ter ap-
„ plicatas ſe convertit, ſed nunquam voti ſui
„ compos evadere potuit, immo geminos
„ nono menſe obeſos, & ovantes (mirum dictu)
„ edidit

„ edidit in lucem. At Chirurgorum teſtimo-
„ nio apud magiſtratum à Marito accuſata,
„ meritas, truncato capite, adulterii luit pænas.

Conſtat itaque *Hippocratis* dictum intelligendum de infirmioribus mulieribus, iiſque, quibus non ita multum eſt ſanguinis, quæve facilius abortiunt, morbiſve obnoxiæ ſunt, quos venæ augeat ſciſſio.

OBSERVATIO LXVI.

Uteri ruptura.

CUm *Jonæ Pergo* filia jam quater peperiſſet, nec ſine maximo dolore atque incommodo ſingulis vicibus edidiſſet partus, quinto uterum ferens haud minoribus agitata cruciatibus, ac ſatis diu antequam pareret vehementius longe, quam quidem præcedenti tempore infeſtata fuit uſque ad tertium ante partum diem; ab hoc enim tempore multum ſibi obveniſſe levaminis fatebatur. At, cum jam ipſe inſtaret pariendi actus, nullo modo emittere obſtetricis ope valuit fætum, qui jam ante dies aliquot extinctus videbatur (uti poſtea ex mutatione, ac ſeparatione

ne cutis illius ſatis liquebat) quique flexis poſt cervicem manibus, atque ore oblique ſurſum ad os pubis elevato reperiebatur: ita ut varia, ac gravia admodum jam parturienti ſenſim magis, magiſque ſupervenirent ſymptomara; videlicet non deliquium tantum, oppreſſio, horror, ac febris, ſed & plurimarum obſcurè viridium fæcum vomitu rejectio, quoniam fætus inteſtinum rectum, cui proximus erat, ita premebat, ut excrementis per inferiora negaretur tranſitus. Ad hanc mulierem tantis preſſam anguſtiis, nec parere valentem arceſſitus tandem mecum fuit experientiſſimus Chirurgus *Cornelius Solingius* nunc etiam Medicus, qui, me preſente, brevi poſtea jam mortuum eduxit fætum. Quo facto, quia non ita facile educere ſecundas poterat Chirurgus, in ipſius mulieris corpus immittere manum, quam funiculus ducebat, cæpit: tum vero inteſtina prius, quam Uteri placentam ſenſit. Hanc vero illico poſtea reperiens, tribus partibus propendentem ſenſit in abdomine, extra uterum, quem, quoniam jam ante aliquot dies

dies fætum emiſerat, pro maximâ parte, dure admodum compactum, atque in ſe contractum comperit, ita ut initio ſcirrhum crederet. Ille itaque porro ſecundam, ubi etiamnum abhærebat, ab utero ſeparavit, cartilaginemque, cujus ope pubis oſſa coniunguntur, omnino mollem evaſiſſe, ac dicta oſſa ad digiti latitudinem à ſe invicem receſſiſſe haud dubie paulatim diducta ſenſit. Ipſa autem mulier tantis victa laboribus, angoribuſque eodem die vivere deſiit. Poſtridie autem, me, fratreque *Joh. Stalpertio vander Wiel* præſentibus, illius cadaver à dicto *Silingio* fuit apertum. Tum vero venter ante diſſectionem mirum in modum extenſus, ac protuberans apparuit, illâ autem factâ, ex magno iſto tumore nihil à nobis effluere animadverſum eſt, præter foetentem flatuum copiam, nec non parum coagulati, bonique coloris ſanguinis, qui ex Cotyledonibus, aut multo magis ex uteri vaſorum oſtiolis, quo tempore ab eo avelleretur placenta, illuc defluxerat. Poſtea dictus *Solingius* manum ab exteriore parte per vulvam in cadaver immi-

immiſit, atque iterum tum inteſtina, recedentemque ſupra os pubis uterum reperit, cujus partem inferiorem paulo ſupra internum os verſus poſteriora (quo ſcilicet loco communis membrana à peritonæo proveniens inteſtinum rectum ſimul cum utero cingit, veſtitque) ruptam invenit, per quam aperturam totus fætus exceptis capite, brachiiſque, ut modo dictum, poſt cervicem flexis, in matris ventrem tranſierat. Atque hæc quidem cauſa eſt, quod idem, ampliori ſpatio reperto, levamen aliquod matri, ut ſupra narratum, paucis ante partum diebus attulerit.

IN OBSERVATIONEM LXVI.

QUandoquidem pauca admodum rupti in gravidis uteri legere eſt exempla, ad meæ obſervationis veritatem confirmandam plura ex aliis ſeligere, atque hîc apponere placuit.

Schenkius obſ. lib. 4. *pag. mihi* 611. fætus, cui ſitus alioquin ad faciliorem partum in utero accommodatus erat, mentionem facit, quique capite deorſum, facie ad poſteriora reclinatâ, corporiſque trunco in longitudinem extenſo,

nullo

nullo neque velamine, aut membranâ, neque utero cinctus, ſed liber in ventris inferioris capacitate, vaſis tamen umbilicalibus placentæ etiamnum affixis, in matris cadavere fuit repertus.

Simon Scholzus Ephemerid. med. decur. 1. *ann.* 2. *obſer.* 84. *pag.* 159. refert de partu præternaturali, quo fœtus altero brachio extra matris corpus exerto conſpiciebatur. Defunctæ cadavere aperto, diſruptus apparuit uterus, fætuſque cum ſecundis extra illum inter inteſtina reperiebatur. Uterus in fundo diſſectus ad palmæ craſſitiem ſcirrhosâ duritie tumidus apparuit. *Dicti lib. obſ.* 254. *pag. mihi* 378. mulieris cujuſdam meminit, quæ 35. annos nata jam quatuor robuſtos ediderat fætus, jamque quinto tumeſcens paſſim peſſime ſeſe habuerat. Hæc autem poſtquam quatuor dies in graviſſimo hæſiſſet partu, dum jam altera fætus manus vaginæ uteri inhæreret, quinto die extincta eſt: cujus aperto cadavere ſatis bene valens infans extra uterum in ſiniſtro ventris latere omnibus involucris liberatus repertus eſt, in dextro autem durus apparuit tumor, in convexum uſque ad cervicem uteri inſtar globi ſe extendens, in concavo hujus ulcus nigrum gangrænoſum illius tumoris cauſa, qui fætui viam præcluſit, repertum eſt. Sectus per medium tumor craſſitiem 4. tranſverſorum digitorum ſuperabat.

De

De hujusmodi Uteri laceratione, & capitis infantuli in ventris capacitatem dimiſſione, cujus cauſa matricis ſcirrhus infantis caput propemodum æquans, mentionem facit *G. Fabrit. Hildanus centur.* 1. *obſervat.* 67. *pag. mihi* 51. Idem etiam *obſerv.* 54 exemplum adducit fætus, cujus caput in lævam ventris capacitatem per matricis rupturam tranſierat, cujus ſubſtantia, utpote nervoſa, circa infantis collum contracta reperiebatur, quæ ipſum haud dubie ſuffocarat. Idem & *cent.* 4. *obſ.* 57. *pag. mihi* 329 de fætu agit, qui tranſverſè jacens altero pede uterum perforaverat, manu altera extra orificium propendente.

I. Guillemæus lib. Gall. de proſpero partu duas refert hiſtorias mulierum, quarum fætus, perforato utero, in abdomine inventi.

Henr. Roonhuſius lib. 2. *pag.* 12 caſum narrat quo fætus in medio ventre inter inteſtina colo affigebatur, ut ſine forcipe ab eo avelli non poſſet: Cauſam ſtatuit non internam (qualis eſt uteri internum os anguſtius, vel ipſa matrix intus tumore laborans, vel etiam tranſverſè ſitus fætus) ſed externam, caſum ſcilicet, ictum, illiſumve, cujus quidem opinionis illic nonnullas adducit rationes.

Ex hac noſtra obſervatione patet non male judicaſſe eos, qui ſtatuerunt oſſa pubis in partu divelli poſſe, licet id negent quamplurimi, quorum in numero eſt *Bartholinus lib.* 4. *de*

oſſibus hac de re agens, nec non *Mauricæus lib. 2. fol.* 199. *Laurentius Joubertus lib.* 4. *cap.* 1. *fol.* 144. aliique plures.

Nec ſolum pubis, ſed etiam ipſa iſchii oſſa interdum in partu diſtrahi affirmat *Paræus lib.* 23. „ *cap.* 13 his verbis. Puerperas, inquit, ſtatim „ à partu diſſecui, in quibus animadverti oſſa „ Ilium ab oſſe ſacro digiti intervallo diſtracta, „ quin etiam pleriſque parientibus, qui me, „ auxilii in tam difficili conatu gratiâ, advoca- „ runt, ſubjecta coccygi manu, certò, & au- „ ribus hauſi, & contactu percepi crepitantium „ divulſionis vi oſſium ſtrepitum. Sed & nar- „ rarunt mihi honeſtiſſimæ matronæ multæ ſe „ aliquot ante partum diebus eorum jam ſe diſ- „ trahentium fragorem cum dolore percepiſſe. „ Multis etiam poſt partum diebus, coccygis „ regio, oſſiſque ſacri (quam renum regionem „ appellant) ſic pleriſque dolet, ut natura ſolu- „ tam oſſium Ilium continuitatem reparare haud „ valente, in reliquum vitæ claudicent.

Idem ſtatuit *Jacob: Guillemæus lib.* 2 *de proſ-* „ *peris mulierum partibus cap.* 1. *fol.* 298. „ Novi equidem, inquit, à plurimis, magniſ- „ que viris hanc agitatam fuiſſe quæſtionem, ac „ inter eos etiam noſtro tempore *Laurentium*, „ *Pinæumque* numerandos, ad quos lectorem „ remitto. Ipſe autem iſthæc credo, quæ mi- „ hi, monſtrante experientia, videre contigit, „ quoniam 40 annis proximis plus quingentis „ ad-

„ adfui parturientibus, è quarum nonnullis
„ fætus excipiens, perſpicue admodum crepitantia,
„ atque à ſe invicem recedentia oſſa animadverti,
„ ſeparationem immiſſa manu manifeſtam
„ inter duo oſſa pubis inveniens, quin &
„ omnes fere in difficili partu mulieres eo caſu
„ de iſtius loci dolore multum conqueruntur.
„ Præterea miſſa ſub earum oſſe coccygis manu
„ oſſium ilium ab oſſe ſacro diſiunctionem reperi:
„ in quibuſdam inſuper, quæ in partu
„ obierant, illico poſt mortem ſectione cæſarea
„ (ut fætibus conſervarem vitam) apertis,
„ dicta etiam oſſa ſeparata, atque diducta, ligamentis
„ eorum mollibus admodum, ac laxatis,
„ vidi, quoniam hic locus maximam ſuperimpoſitæ,
„ præmentiſque ſuſtinet matricis
„ partem.

OBSERVATIO LXVII.

Ipſius Uteri corporis inverſio.

IPſe cum dicto Chirurgo, medicoque *Cornelio Solingio* hic Hagæ ann. 1673 14. Aprilis ad M. J. Uxorem vocatus fui, quæ pridie robuſtum ediderat partum, cujuſque è corpore ignorantia obſtetricis ſecundarum loco uterus eductus erat, quem inſtar inverſæ manicæ, in-

terioribus partibus exterioribus redditis, inter femora propendentem invenimus, infantis minoris caput æquantem magnitudine; Dictam quoque puerperam poſt dimidiam à partu horam deceſſiſſe intelleximus: Altera autem paulo poſt accedens obſtetrix ſecundas cum funiculo umbilicali ab inverſo utero, cui etiamnum affigebantur, ſeparavit. Nos autem inverſum hoc corpus bene perſpectum, facto in fundo foramine, in ſuum reduximus locum, atque tum illico per dictum foramen ipſa ſenſimus inteſtina.

IN OBSERVATIONEM LXVII.

SI contingat forte, ut productum fætum non ſtatim ſequantur ſecundæ, rumpaturque funiculus umbilicalis, non tantum maximâ cum cautione junioribus, & ſacra iſthæc nondum ſatis recte intelligentibus obſtetricibus agendum eſt, ne videlicet, eas citius, aut fortius attrahant, quam par eſt, ac veluti avellant, quo quidem major contingit ſanguinis fluxus, ſed ante omnia caveant neceſſe eſt, ne ſecundarum loco ſimul & uterum educant, quod contigiſſe noſtrâ obſervatione liquet.

Fa-

Fabritius Hildanus Reſponſo ad Mich. Doringium pag. mihi 904. intellexiſſe ſe ex *D. Stapedio* memorat, obſtetricem quandam ſecundinam educere conantem uterum unà adduxiſſe, atque abſcidiſſe, unde miſera eodem die interierit puerpera.

Item quoque *centur.* 4. *obſ.* 60. *pag. mihi* 334. de matronâ quadam agit, quæ ſexto imprægnationis menſe mortuum produxit fætum. Obſtetrix alterum reſtare fætum ignorans, ſecundaſque vi attrahere geſtiens tantum puerperæ lumbis attulit dolorem, ut illico deſiſtere cœpto teneretur. Ipſa autem matrona, vocatâ aliâ obſtetrice, mortuum iterum edidit fætum; At quamquam poſterior hic partus non ita male ſuccederet, lumborum tamen, partiumque genitalium, ac ventris totius non ceſſavere dolores, nec potuit pugni magnitudine extra corpus propendens in locum ſuum matrix ab ullâ reduci obſtetrice. Puerpera autem per duos jam menſes noctu, atque interdiu cum hujuſmodi doloribus colluctata tandem ab ipſo *Fabritio* priori reſtituta eſt ſanitati.

Sed dubium me tenet hæc viri hujus celeberrimi hiſtoria, non enim crediderim fuiſſe ipſum, qui propendit, uterum, ſed tantum ejus vaginam. De ſimili enim errore ab obſtetrice ruri degente commiſſo, ſequens obſervatio mentionem facit.

Bartholinus cent. 2. *hiſt.* 91. *pag.* 303. nobilis

cujuſdam, ac maritatæ Dominæ in Holſatiâ meminit, è cujus corpore poſt partum uterus unà cum ſecundis fuerit extractus, unde illicò animam efflaverit.

Petr. de Marchettis obſ. 61. *pag.* 138. ſcribit etiam obſtetricem quandam, cum non ita citò ſequerentur ſecundinæ, atque ipſa uterum nonnihil à partu laxatum ſentiret, hunc illarum loco vi attraxiſſe, & extra pudendum præcipitaſſe, non ſine maximo puerperæ dolore, quorum causâ incidit in lypothymiam, mox utero valde inflammato, & hærentibus ſecundinis, quæ uteri gravis inflammatio in gangrænam, & mortem puerperæ migravit.

Plura ejuſmodi exempla vide ſis *miſcell. med. phyſ. curioſ. German. decur.* 1. *ann.* 3. *fol.* 238. & *Decur.* 2. *ann.* 1. *obſ.* 141. *fol.* 344. nec non apud *Roſſetum*, *Nic. de Blegny Zod. med. Gall. an.* 3. *obſ.* 8. *Franc. Mauricæum de morb. mulierum lib.* 2. *cap.* 12. *& lib.* 3. *cap.* 6.

Veterum plurimi uterum non omnino ad vitam requiri ſtatuêre, quos inter *Fabrit. Hildanus pag.* 901. Verum *Th. Bartholinus centur.* 2. *hiſt.* 91. *pag.* 303 *& Job. Mekeranus pag.* 301. id negant. *Barbette autem part.* 1. *Chirurg. cap.* 8. *pag.* 36. abſque vitæ diſpendio exſcindi eum non poſſe, dictæque ſententiæ aſſentiri bono Anatomico intolerabile tradit.

OBSERVATIO LXVIII.

Vaginæ uteri extenſio.

CUm an. 1667. ad nautæ cujuſdam uxorem Hagam inter ac Delphos habitantem fuiſſem vocatus, ipſi à partu etiamnum recenti, magnum in ipſius uteri vaginâ tumorem eſſe comperi, non ſine ejuſdem exitu, extra corpus enim propendebat ovo Struthio-cameli ſimilis, ac purpuraſcentis, lividique erat coloris. Chirurgum itaque arceſſi, prædixique haud dubie mox gangrænam inſecuturam, atque illicò Chururgus *Nic: Wintercamp* Riſvico veniens adfuit, qui, me præſente, dictum tumorem variis in locis incidit, ne ſentiente quidem muliere. Nos vero tumorem illum (atque ita quidem fueram ſuſpicatus) coagulato ſanguine reperimus refertum. Quare talia ipſi cataplaſmata, fomentaque præparavimus, qualia hujuſmodi requirit malum. Atque ita quidem illa poſt factam ſeparationem, carniſque ac-

cretionem intra menſis ſpatium convaluit, pluresque dein liberos peperit.

IN OBSERVATIONEM LXVIII.

QUoniam vaginæ uteri procidentis nulla à Veteribus, recentioribuſque fit mentio, atque id vitii olim ipſum uterum procidentem credidere, non vanus videbor fortean, ſi de ejuſdem cauſis nonnihil dixero.

Henricus Roonhuſius Chirurgus Amſtelodamenſis *obſ. lib.* 2. *pag. mihi* 93. externas, atque internas vaginæ uteri procidentiæ cauſas ſtatuit. Internam primam ait graves matris conatus, nixuſque, cum in ipſo partus labore fætus capite in orificium uteri quidem prono, attamen eſt majore, quam cui tranſitum præbeat mater, quo caſu ita premitur, urgeturque vagina, ut rugarum illius aliæ ſuper alias, extenſæ à locis, quibus cohærent, avellantur.

P. Barbette Chirurg. part. 1. *cap.* 8. *pag.* 36. compertum ſe addit præcepue illis, quibus alvus obſtipata erat, ventriſque torminibus infeſtabantur, vaginæ uteri membranas uſque adeo fuiſſe extenſas, & dilatatas, ut imperitiores eas ipſum crediderint eſſe uterum, atque etiamnum credant.

Secunda *Roonhuſii* interna cauſa eſt, quod in male ſe habentis corporis uterum, ejuſque vaginam viſcoſæ ſæpenumero, humidæque materiæ,

aliive

aliive ſimiles longo tempore defluant humores, unde hæc pars magis, magiſque procidat, atque ita dilatetur, extendaturque, ut notabili magnitudine extra corpus propendeat. Atque id eo fere contingit modo, quo infantibus, poſtquam diutius laxa ipſis fuit alvus, inteſtinum rectum quandoque procidit, quoniam ejus ligamenta affluentis humoris nimia copia ſenſim laxat, atque ita proceſſu temporis extendit.

Tertiam, eamque internam, ſtatuit cauſam, incautius prehendentem obſtetricem, quæ digitis, loco fætûs, ſecundinæve, haſce rugas adducit, unde vagina à ſubjectis avellitur partibus, ac prominere incipiens ingentis cauſa eſt difficultatis

Illud autem de quo obſervatione noſtrâ egimus, obſtetricis culpâ natum fuiſſe incommodum patuit: Quandoquidem coram præſentibus, aliâque obſtetrice poſtea advocatâ, faſſa eſt, ſe poſt partum etiamnum nonnihil intus ſenſiſſe, nec dubitaſſe, quin alterius infantis eſſet caput. Ita ut illius digitorum vi magnâ hujus partis contuſio, atque hinc ipſa contigerit procidentia.

OBSERVATIO LXIX.

Vera totiùs uteri procidentia.

QUamquam plurimi ſcriptores ac inter eos recentiores multi (quales ſunt *Theod. Kerckringius*, *Roonhuſius*, *Mekeranus*, aliique) negent totam vulvam procidere, ipſe tamen cum ſæpius memoratis Fratre meo, ac *C. Solingio* Medicis, poſt debitam inquiſitionem comperi, *Martinæ* cuidam *Mottyn* non vaginam tantum, ſed & ipſum procidiſſe uterum, qui durus admodum, ac duorum pugnorum inſtar conjunctorum reperiebatur. Internum etiam matricis os quam facillime ſentire poteramus, quod extrinſecus tanquam os Cyprini (Carpam vulgo dicimus) nobis apparebat.

IN OBSERVATIONEM LXIX.

NOn ita facile procidit ligamentorum relaxatione uterus, ſcribente *P. Barbettio Chir. part.* 1. *cap*, 8. *pag*. 25. ac multo minus diſruptione,

tione, quod tamen fieri imaginantur plurimi. Quanquam contingat nonnunquam, ut poſt graviſſimos parturientium labores, vel propter incautius eductam ſecundinam inverſum matricis fundum in pudendis, atque extra eadem conſpiciatur, cujus caſus obſervatione 67. mentionem modò fecimus.

Regn. de Graeſ de mulierum organis pag. mihi 144. licet uteri procidentiam omnino negent quidam, aut eandem tam raram credant, ut vix, ac ne vix quidem ſemel contingeret, ſe tamen eorum adſtipulari opinionibus non poſſe tradit: quandoquidem docet ratio à toto corpore defluentes humores uteri ligamenta relaxare, in humidioribus locis id ipſum ſæpius accidere, quin & in virginibus ejuſmodi procidentiam ſibi viſam, ſanatamque ſcribit.

Thom. Bartholinus Actor. med. part. 2. *cap.* 44. *pag. mihi* 139. procidere poſſe matricem, ac præcipue hydropicis concedit: cujus rei bina ſibi obveniſſe exempla memorat. Quoniam enim, abundanti illo humore in ventre præter naturam collecto, neceſſe eſt, ut laxiora evadant uteri ligamina, à vero non abſonum eſt, ſi dicamus eum, cum, quod lubricus ſit, tum propter gravem aquarum multitudinem deorſum deprimi.

G. Blaſius obſerv. part. 3. *pag. mihi* 42. de verâ totius uteri procidentiâ diſtincte admodum ſcripſit, qui procidens tantus erat, ut extremâ

ſui

ſui parte ſtantis mulieris genua contingeret: addit porro in hujus cadavere non repertam fuiſſe matricem, ſed inverſam plane extra corpus propendiſſe, ac teſtes, & ipſa vulvæ ligamenta, cavitate ſuâ (exceptâ dextrâ alâ, quæ ventri inhærebat) comprehendentem. Deinde matricis fundum prolapſum, teſteſque, ac cæteras adhærentes partes, non ad extremum hujus tumoris, genubus proximum, at dicto fundo concluſa ad uteri os internum tantum decidiſſe, extenſam etiam admodum vaginam ipſamque matricem inſolito plane modo craſſam, duramque repertam fuiſſe tradit.

Bis terve accidit, inquit idem, *comm. ad cap. 7. ſyntagm. anatom. Joh. Veſlingii fol.* 104. *D. Marchetto* in Xenodochio Patavino, quod uterus extra pudendum muliebre exierit, quem repoſuit, & medicamentis adſtringentibus curavit.

Thom. Bartholin. Act. Haffn. volum. 2. *cap.* 44. *pag. mihi* 139. notaſſe ſe poſt partum ipſum quandoque uteri ſe explicuiſſe globum, & propendiſſe ait, qui fomentis calidis iterum reponebatur.

Laxantur aliquando ligamenta uteri propter vim partus, nimiam corporis humiditatem, aut aliis de cauſis; adeo ut uteri oſculum in ſinum pudoris decidat, & inverſâ vaginâ extra propendeat, cujus rei exempla adfert *Platerus obſ. lib.* 3. *pag. mihi* 714, *&c.*

Re-

Retulit mihi nuper Nobiliſſim: *D. Egidius Euth. Saxoniæ Ducis Archiater* ſe ann. 1683 die Octobris 16 hîc Hagæ ad Matronam I. D. V. 19. annos habentem ocyſſime fuiſſe vocatum, quæ ex Carpenti, ſeu eſſedi ſaltu præcipiti abortum difficilem, & violentum non ſine uteri prolapſu paſſa erat. Quem ipſe, obſtetrixque, nec non Matronæ Mater, aliæque conſpexerint: Suaſit itaque, ut appropriatis adſtringentibus in vino coctis foveretur, oleoſiſque intruderetur uterus, atque ipſa elato tranquille cubaret podice, brodiaque analeptica per epicraſin ſumeret. Atque ita quidem intra unius menſis intervallum priſtinæ reſtituta eſt ſanitati, quotannis ſine ullo parturiens incommodo. Quod ſi illa quidem ætate fuiſſet provectâ, res hæc non tam felicem, opinor, habuiſſet exitum.

OBSERVATIO LXX.

Pſeudo-partus Hydatidum.

Civis quidam Hagienſis uxor 46 circiter annos annos habens, poſtquam jam novem menſes fuiſſet impregnata, multo affici cæpit dolore, quare & obſtetricem ad ſe arceſſi juſſit. Hæc autem cum ipſi inter eos labores

jam

jam totum triduum auxilium tuliſſet; nec quidquam appareret, vocata fuit *Eliſabeth Tomboy* itidem obſtetricis fungens munere, quæ poſt exactiorem examinationem nullum fœtum, ſed aliud quid, quod præſentibus ſe illico oſtenſuram ſperabat, adeſſe affirmavit. Poſtea puerperam aggreditur, ejuſque è corpore, præſentibus Fratre meo *Joh. Stalpartio vander Wiel*, nec non Chirurgo *Cornelio vander Hoogh*, magnam hydatidum copiam eduxit, racemorum more ſibi invicem adhærentium, membranis extrinſecus tenuioribus, quam queis veſtiuntur fœtus, ambientibus.

Quales quintæ figura prima adjecta Tabula exhibet. Quanquam autem dicta mulier nullum ederet fœtum, puerperarum tamen more lochiorum fluxum paſſa eſt: Illa etiam poſtea imprægnata perfectum, vivumque enixa eſt infantem.

IN OBSERVATIONEM LXX.

QUanquam rariſſimus eſt noſter hic caſus; ſimiles tamen annotatos reperio à *Chriſtoph. à Veiga lib.* 3. *ſect.* 10. *cap.* 13. *art. med.*, ubi

Tab: 5: Fig: 1



Pag 20 frustum Oſsis Sphæroidis. Fig: 3

Fig: 2.



Pag 20 frustum Oſsis frontis.

ubi *Leonoram Sanctaren* ſexto imprægnationis menſe miri quid protuliſſe tradit, quod obſtetrix majori exceperit pelvi, plus ſeptuaginta videlicet aquoſas veſiculas, ſingulas caſtaneæ magnitudine pares, ſibique invicem fibris, ac membranulis adhærentes, Lymphâque refertas.

Valleriola lib. I. *obſ.* 10. *pag.* 71. junioris ac robuſtæ mulieris exemplum adfert, quæ gravidam ſe rata, quod omnia graviditatis in ſe experiretur ſigna, ac cum per ſex, vel octo menſes onus quoddam geſtâſſet, poſt graviſſimos dolores ingentem, membranaceamque edidit maſſam, aqueis veſiculis totam, tanquam ovis piſcium, refertam; quæ omnes rotundæ, tumidæ, ac tranſlucentes, & aquoſo, ſubflavoque liquore plenæ, necnon fætentes, ac per totam membranam, quâ tegebantur, tantâ diſperſæ erant copiâ, ut fere numerari non poſſent. De aliâ quadam idem etiam memorat, quæ ſexto à conceptione menſe haud abſque vehementioribus præcedentibus ſymptomatibus, non diſſimilem membranam innumeris refertam hydatidibus protulerat. Utramque tamen aptis remediis valetudini priſtinæ reſtitutam fuiſſe ait.

Similia habent *Mercatus de mulier. affect. lib.* 5. *cap.* 8, ac *Schenkius fol.* 685, *N. Tulpius obſ. lib.* 3. *cap.* 32.

Pichart Zod. med. Gall. an. 3. *fol.* 73 narrat mulierem quandam de graviditate ſuâ non dubitaſſe ob menſtruorum ceſſationem, anorexiam, nau-

nauſeam, ac vomitiones, nec non propter ventris tumorem, aliaque: Huic vero circa quartum menſem tales ſuperveniſſe refert dolores, quales parturientes ferre ſolent, quamquam nec externa vi, nec ſanguinis fluxu præcedente. Ipſa rotundam fere maſſam poſtea duos pugnos magnitudine æquantem enixa eſt, totam quantam veſiculis majoribus, minoribuſque conſtantem: hæ tamen communi membrana ambiente non cingebantur, nam ſua peculiaris unicuique erat tunica, à cujus tergo exurgebat ligamentum quoddam ſingulas annectens loco cuidam, aut vaſi ejuſdem fere longitudinis, cujus eſt brachium, adeo ut minimæ illi proximiores eſſent, majores amplius diſſitæ. Hinc exurgebant ordines, illis propemodum ſimiles, qui in gallinarum ovariis conſpiciuntur.

Veſicularum autem majores ovo columbino pares, univerſæ autem puro, tenuique liquore repletæ numero quater, vel quinquies mille erant. Lorum autem, cui tanquam meſenterio affigebantur, conſtructum videbatur ex plurimarum divaricationum vaſorum conjunctione, originem è carnea maſſa placentæ haud multum diſſimili, ac ſecundarum partem conſtituente, ducentium.

Similem huic hiſtoriam narrat *Scholiaſtes decur.* 2. *an.* 2. *Ephemerid. German. obſ.* 95. *fol.* 237 de ingenti numero veſicularum denſè ſibi conjunctarum cum hepate uterino excluſo, in

in quo continebantur veſiculæ hæ magno numero, quæ recipiebant humorem limpidum inſtar cryſtalli; Per medium ferebantur vaſa ſanguinea in varios ramos diremta, qui ſurculos impertiebant veſiculis ſingulis. Credit ille ſerum in hoc caſu â ſanguine diſſolutum è venis, & arteriis, oſtiolis adapertis, vaſiſque lymphaticis ruptis, aut eroſis, in abdominis cavitatem exſudaſſe, quod fit, ubi ſanguificatio læditur, & loco boni ſanguinis aquoſus, & ſeroſus gignitur, quo caſu ſerum cæteris ſanguinis partibus minus arcte junctum eſt, quare facilius, & minimâ quavis occaſione ab ipſis ſecedit &c.

OBSERVATIO LXXI.

Fœtus materno in corpore putrefactus.

COntingit nonnunquam, ut matris in corpore fœtus corrumpatur, ac, carne, partibuſque tenuioribus tanquam pedetentim liqueſcentibus, oſſa fruſtatim emittantur Hujus rei exemplum in paupere muliercula videre mihi contigit, quæ diverſis vicibus, ſimul cum urinâ oſſiculorum tantum emiſit numerum, ut fœtus trium circiter menſium

ſceletum conſtituiſſent, quæ omnia accurate etiamnum ſervo.

IN OBSERVATIONEM LXXI.

AD majorem rei confirmationem è nonnullis quædam exempla non adeo recentium, ſed perfectorum fætuum adducam.

Roßetus Hiſt. 5. *pag.* 250. teſtatur mulierem quandam viginti, ac tres annos natam excludere fætum non potuiſſe, quamquam robuſta, valenſque videretur. Contigit autem, ut mortui fætus molliores partes jam putrefactæ per vulvam aliquamdiu diverſis temporibus, nec non poſtea corrupta, exeſaque oſſa (quæ per novem menſes corpore fuerant contenta) ex ulcerato, ac verſus inteſtina perforato utero quotidie prodirent, unde in ventre ortus eſt abſceſſus, è quo aperto corrupta paulatim extrahebantur oſſa, & qui, illo ſcribente, ſanabatur poſtea, quamvis remanente fiſtulâ itidem denique curatâ.

Idem *Roſſetus p. mihi* 228. *è Matth. Cornacis Hiſtoriâ* 1. de muliere quadam narrat, quæ per integrum quadriennium mortuum tulerat fætum, paſſimque putredinis fædæ plus, minuſque per pudenda emittebat, ac è quâ diu poſtea variis temporibus pro dimidiâ parte putrefactus educebatur fætus.

Ex eodem *Cornace hiſt.* 4. *pag.* 246. de infan-

tc

te in ventre putreſcente agit, cujus corrupta oſſicula per abſceſſum paulo ſupra inguen ortum unâ cum pure penetrabant, quam tamen mulierem convaluiſſe addit.

Simile quid eſt apud *Alex. Benedictum lib.* 26. *cap.* 33. nec non *M. Cordæum comment. ad lib.* 1. ac *R. Solenandrum lib.* 5. *conſilior. cap.* 15. *artic.* 40.

B. Ronſſeus Epiſt. med. 1. *pag. mihi* 3. de fæminâ agit, quæ integro anno geſtati fætus minora oſſa primo cum urinis, mox & majora per alvum excreviſſet. Confirmat hæc *Tulpius obſ. lib.* 4. *cap.* 39. *fol. mihi* 358. cum meminit infantis cujuſdam, qui ex utero ulceratione detruſus per anum excludebatur.

Confirmant etiam *Joh. Langius Epiſtol. tom.* 2. *Epiſt.* 39 *pag.* 670. *Marcelluſque Donatus de med. hiſt. mirabili lib.* 4. *cap.* 22. *fol.* 438. ac *Franc. Roſſetus de partu Cæſareo ſect.* 4. *hiſt.* 2. *pag.* 74.

Albucaſis lib. 2. *Chirurgiæ cap.* 76 *pag. mihi* 221. vidiſſe ſe mulierem tradit, quæ, quamquam mortuum geſtaret fætum, nihilominus fuerit imprægnata, licet & hic extingueretur fætus. Diu autem poſteà prope umbilicum abſceſſus intumuit, è quo aperto pus effluxit, ac, procedente tempore, plurima oſſa ſeparatim prodiere. Huic autem mulieri, quamvis ſanatæ fiſtula remanſit, quæ puris aliquid ſemper emittebat. *Thom. Bartholinus cent.* 2. *hiſt.* 2. agit de vituli

 ſcele-

ſceleto in utero vaccæ, dum mactaretur, invento, oſſibus ſiccis, & omni prorſus carne deſtitutis.

Idem *centur.* 4. *hiſt*: 14. *pag.* 238. mulieris mentionem facit, quæ per ſex annos omnino conſumpti fætus oſſa ventre ſuo geſtarit, ac interea imprægnata nihilominus vivum produxerit infantem.

Felix Platerus obſ. ſuis duas adfert hiſtorias, ubi mortuo fætu in utero reſtante, mater nihilominus conceperit. Similis caſus meminit *Jacob. Primiroſius de morb. mulierum pag.* 316, *& ſeqq.* Nec non *Joubertus de vulgi error. lib.* 3. *cap.* 1. *fol.* 100, ac *G. Harvæus exercitat. de partu fol. mihi* 499.

Marcellus, cujus modo memini, *Donatus cap.* 22. *lib.* 4. *fol. mihi* 436 itidem de fæminâ agit, quæ, poſt geſtatum aliquamdiu mortuum fætum, ejuſque corporis molliores partes per uterum emiſſas (concluſis tamen interea eodem oſſibus) nihilo ſecius iterum conceperit; cum vero poſtea peſſime ſeſe haberet, ac veluti in mortis verſaretur diſcrimine, inciſione ipſi apertus venter à circumforaneo quodam, eductiſque oſſibus, conſutus fuit, atque illa ſanata eſt. Quodque vel maximâ dignum eſt admiratione, tradit illam non tantum debito tempore conceptum fætum, viventemque, ſed nullâ etiam parte læſum edidiſſe, ac poſtea quatuor enixam inſuper fuiſſe partus. Ad confirmandam hujus narrationis veritatem varios teſtes ibi-

Tab: 6.

fig: 1
Fol 329



fig: 2



ibidem nominat, qui interfuerint omni operationi.

Idem *pag.* 437. *ex Ægidii de Hertoge Epiſt. ad M. Cornacem* de Belgicâ narrat muliere, quæ per 13 annos mortui fœtus oſſa corpore ſuo circumtulerit. Vide etiam *M: Cornacem hiſt.* 3. *apud Roſſetum pag.* 240.

De mortuo, putrefactoque embryone fruſtatim poſt 12 annorum intervallum emiſſo lege ſis *Zacut: Luſitanum fol.* 276.

OBSERVATIO LXXII.

Canis è muliere nata.

E*Liſabetha Tomboy*, cujus modo facta mentio, obſtetrix eduxit 21. Septembris anno 1677. è cujuſdam utero caniculam quandam membranis ſuis cinctam, viventemque, ſed pilis carentem, nec non omnibus rite formatis abſolutam membris atque minori digito magnitudine parem, qualem adjectæ ſextæ Tabulæ figur. 2. exhibet. Hunc autem minus humanum abortum etiamnum calentem illa continuò ad ædes mei Fratris *Joh. Stalpartii vander Wiel detulit.* Ipſa autem mulier (dictu

 mi-

mirabile) nihilominus gravida permanſit, ac poſt 14. hebdomadas ſanum admodum, ac bene natum, nec non etiamnum viventem peperit filium.

IN OBSERVATIONEM LXXII.

QUotquot in hanc obſervationem incident, non ita facile, opinor, inſoliti hujus animalis conceptum formationemque invenient. Hæc autem (quantum ex iis, qui nullo occupato præjudicio mihi rem narrarunt, intelligere potui) ita contigere; quæ, ut & matrem, quantum quidem in me eſt, omni ſuſpicione liberem, addo.

Maritus homo plebejus, rudis, & potui deditus inſolito plane, inverecundo, ac prorſus inhumano modo uxorem, & quidem invitam, à tergo ſubinde cognovit, fuſtibus, & ferri acie ipſi minitatus, niſi perverſæ veneri obſequi vellet; quin & vel canis procreationi ſe daturum operam ſceleſtiſſimo dictitabat ore. Quæ deteſtanda dicta, ut & coitus ille vere caninus tam alte, & continuè hæſerunt animo ejus, ut imaginatrix vis aſſiduâ abominabilis hujus dicti, factique reminiſcentiâ adeo invaluerit, ut canis hinc tandem fuerit efformata. Similium autem præpotentium imaginatricis facultatis virium apud ſcriptores paſſim fit mentio.

Fateor

Fateor equidem ingenuè in eorum quondam me fuiſſe opinione, qui viva animalia, vel etiam monſtra, quæ modo nata per cubiculum currere poſſint, ideoque ſint ſuffocanda, à muliere unquam fuiſſe producta negant, ac, quidquid hac de re traditur, non niſi ſplendidis otioſorum hominum commentis, anilibuſque deberi fabulis ſtatuunt. Cujus rei pernoſcendæ ergo jam ab ipſa uſque juventute plurimas, eaſque peritiores, ac jam ſeneſcentes diligenter interrogavi Obſtetrices, quæ utique omnes oculatas ſeſe fuiſſe negabant teſtes, ut ut ab aliis intellexiſſe ſe non ignorarent. Ipſe autem fide digniſſimorum ſcriptorum hujuſmodi partus affirmantium immenſo convincor plane numero, cogorque fere, ut, abjuratâ priore erroneâ opinione, in ipſorum ſecedam partes. En ſcribentium turbam, en teſtium nubem: *Matthæus de Grado comment: ſuis in Rhaſin cap. de Molâ* de animali alato à muliere producto, quodque illico poſt nativitatem volaret, teſtatur. Molæ volatilis effigiem avem quadrupedem referentem exhibet *Thom. Bartholinus Act: med: Philoſoph: tom:* 1. *cap.* 26. cujus ſceletum in Muſeo ſuo ſervat vir illuſtris *G: Rozæcranzius Præſes Regius Soranus.* De eâdem vide etiam *obſ. med. phyſ. German. decur.* 1. *an.* 2. *obſ.* 160. *fol.* 256, *ut & an.* 3. *obſ.* 129.

Phil. Salmuth. cent. 1. *obſ.* 62. *fol.* 40. De avi quadam ſimul cum bene nato fœtu naſcente.

Aves, mureſque, ac ſerpentes è fœminis fuiſſe natos *H. Mercurialis conſilio* 85, ut & *Paræus* teſtantur. De mure craſſiore, cauda carente legere eſt apud *Joubertum de erroribus popularibus*. Idem, de quo mox monui, *Salmuthus* de quinque muribus, iiſque viventibus à muliere in lucem emiſſis, qui è matrice educti perque obſtetricis manus quam citiſſime ſalientes huc illuc aliorum more murium per cubiculum diſcurrebant, mentionem facit. *Phil.* autem *Camerarius* de novem muribus tradit.

De animali Helſenuriæ nato, quod majoris gliris inſtar, ac illico curſu ſeſe oculis hominum ſubtrahens poſtea non fuerit viſum, refert *Bartholinus cent.* 1. *hiſt.* 10. *fol.* 20.

Zacutus Luſitanus prax. admir. lib. 2. *obſ.* 149 *fol.* 79, de animali quadrupede narrat, quod manus palmam magnitudine, pollicem craſſitie æquans, piloſo capite, atque ore acutiore prodibat, quodque in liquore repletam lagenam immiſſum biduum nativitati ſuperfuit. Eâdem obſervat: relatum ſibi fuiſſe à D. *Nicol. Fontano* ait trigenariam, poſtquam enixa eſſet filiam, incidiſſe poſt 12 horas in animi deliquium cum febri acutâ, & delirio conjunctum, ac deinde excreviſſe per uterum rotundum globum tenuiſſima membrana alba contectum, è quo diſrupto exierunt duo animalia longa, anguillarum formâ, viva, rubra, dorſo purpurea lanugine reſperſo, oculis vividis, dimidii palmi longitudine,

ne, craſſitie digiti minimi, quorum caput pro corporis proportione fuerit ampliſſimum: quæque ambo poſt duas horas per domum repere viſa ſint, quibuſque excretis fæmina placide abdormiverit.

A. Paræus lib. 19. fol. mihi 424 varias etiam monſtrorum exhibet ſpecies, ſicuti & *Geſnerus hiſt. Animal. lib. 2. de ranis*, nec non *Andr. Laurentius lib.* 2, ac *Schenkius obſ. medicin. lib. 4. de molis vitalibus fol.* 687, *&c. Scholiographus ad cap. 61. lib. 1. Hollerii de morb. internis, Delrio diſquiſit magic. lib. 2. quæſt. 7. Levin. Lemnius lib. 1. de occult. naturæ miraculis cap. 8. fol. mihi* 38, *G. Hieron. Velſchius obſ. med. Epiſagm. 76. fol.* 50.

De bufone multipede *Laz. Riverius cent. 2. obſ.* 100. *fol. mihi* 203, nec non *Lycoſthenes, Bodinuſque.*

Bartholinus act. tom. 2. pag. 98 de monſtro capræ non multum diſſimili, quod à Lugdunenſi in Batavis muliere, quæ indias Aſiaticas petebat, productum illico per navim procurreret, ſcribit.

Bauhinus App. ad Ronſſæum de maxima agit millepedâ.

Wierus de Præſtigiis Dæmonum cap. 6 de talpis. De muſtela, vel animali huic ſimili, cum humano fætu ſimul nato *Torquemado Dialogo* 1.

Appianus Alexandrinus de Bello Civili lib. 1. mulierem quandam Romæ ſerpentem edidiſſe ſcribit.

ſcribit. Simile quid narrat *Sabellicus libri* 3.

Celeberrimus Vir *Joh. Ludov. Hannemannus obſ.* 55. *miſcell. med. phyſ. German. decur.* 2. *an.* 2 mentionem facit de ſerpente ſimul cum fætu excluſo qui ventrem ejus juxta regionem ſtomachi inſtar balthei militaris cinxerat.

De fæmina, infante, duobuſque gravidâ ſerpentibus, refert *M. Cornax. hiſt.* 6. *pag.* 251. Idem & *fol.* 254 de muliere memorat, quæ ranam, bufonemque ſimul, nec non Salamandro ſimile quid produxerit, mentionem facit. De monſtro *Wagenheimii* nato, quod 4 pedes acutis haberet unguibus, menſaſque ac ſcamna tranſcenderet legendus *Horſtius lib.* 9. *pag. mihi* 543.

Clara Anthonii (ſcribente *Jobo Mekerano App. obſ. med. Chirurg. fol.* 440) anno 1653, primo parvulum quoddam monſtrum inſtar limacis etiamnum vivens, poſt quatuor autem, vel quinque horas ſex menſium abortum edidit.

Non poſſum equidem hoc loco ſilentio præterire, ſcripſiſſe nuperrime celebrem medicum *Joh. Baptiſtam de Lamzweerde hiſt. nat. molar. uteri cap.* 25. *pag.* 322. *ex merâ obſtetricis relatione me referre* de hac cane. Potuiſſet equidem ille, ſi paulo accuratius celeberrimi D. *Joh. Ludov. Hannemanni verba*, quæ *dec.* 2. *miſcell. med. phyſ. obſ.* 55. *fol.* 91 reperiuntur, legiſſet, non ignorare me, qui Belgico ſermone ante annos aliquot haſce obſervationes edidi, *Cornelium* non *Johannem* vocari *Stalpartium* *van-*

vander Wiel. Meus autem frater *Joh. Stalpartius vander Wiel* tum temporis hic Hagæ Chirurgiæ, & Anatomiæ Profeſſor calentem etiamnum canem domi ſuæ ab obſtetrice accepit, atque ipſe cum ſexentis viris, uſque ſatis eruditis (quos inter & ſcriptis Nobiles medici erant D. *Cornelii Bontekoe, ac Solingius*) hanc vidi, manibuſque contrectavi. Quod ſi etiam D. *Lamzweerde* meam legiſſet obſervationem, ſciviſſet adhuc à matre calentem canem fratris mei, (qui illam liquore quodam à corruptione defenſam annis aliquot poſt plurimis oſtendit) domum fuiſſe portatam, nec me ex ſola obſtetricis relatione ſcripſiſſe opinatus fuiſſet.

OBSERVATIO LXXIII.

De Molâ virginali.

PUella quædam viginti quatuor circiter annos nata, hicque Hagæ habitans protulit menſe Auguſto an. 1681 molam, poſtquam jam per ſeptem hebdomadas menſtruus ceſſaſſet fluxus, qui alioquin (ita enim ajebat illa) ne per unum quidem diem ſolito tempore ceſſaſſet. Magna itaque hinc illi nauſea, membrorumque torpor natus, ac poſt ſeptem

ſeptem hebdomadarum ſpatium ipſa peſſime ſe habere cæpit, nec multo poſt ſanguinis fluxus non ſine animi deliquio ſupervenit, produxitque illa membranam orbis prandentibus apponendi, ſi margines demas, inſtar, ac poſtridie non coagulati ſanguinis, ſed carneam, ſolidamque maſſam duos digitos in longum extenſos longitudine, duos autem cum dimidio pollices in latum patentes latitudine æquantem, ac intus cavam, & cellulis (quales intra Cor) diſtinctam. Hanc autem emiſſionem ejuſmodi dolores, ſanguiniſque ſecuti ſunt fluxus, cujuſmodi plerumque immaturi fætus abortum inſequi ſolent.

IN OBSERVATIONEM LXXIII.

NOn ita facile admittunt plurimi molæ à fæmina abſque ope virili productionem. *Galenus* enim diſertis verbis negat *l.* 14. *de uſu part. cap.* 8, nec non *Hippocrates lib. de ſterilibus. Item tractatu de morb. mulierum*: A quibus non diſſentit *Ariſtoteles*.

Quamvis autem *Hippocrates*, *Galenus*, *ac Ariſtoteles*, aliique plures abſque viri congreſſu mulierem molam producere poſſe negent, con-

trarium tamem experientia, plurimorumque fide dignorum ſcriptorum monſtrant teſtimonia, qui molas non à puellis tantum, aut viduis, ſed & à vetulis productas fuiſſe tradunt.

Philip. Höechſtetterus obſ. med. decad. 6. pag. mihi 697 meminit generoſæ virginis in gynæceo quodam, quæ ſingulis menſibus cum menſtruo carnoſum quid inſtar molæ deponeret.

Th. Bartholinus hiſt. Anat. cent. 1. *hiſt.* 67. *pag. mihi* 142 meminit tredecim annorum puellæ, quæ in durius pavimentum è ſcalis incidens ſe vix læſam ſenſerat, ſed nonnullis poſt hebdomadibus lumborum ei ortum dolorem ſenſim ipſius ſecutus eſt ventris tumor, cujus diligenter examinandi ergo poſt alias etiam conſulta obſtetrix, perſpecto corpore, gravidam puellam judicavit. Cumque hæc miſera indies deficeret, nec ullo juvaretur medicamine, octavo poſt caſum hebdomada extincta eſt. Aperto parentum conſenſu cadavere uterus ulceribus ſcatens, ſed pure carentibus, ac fætore, in interna autem ejus cavitate ſpongioſæ, putrefactæque carnis fruſtum reperiebatur quatuor cum dimidia libras appendens, ipſa autem viſcera bene conſtituta, ac ſana inventa ſunt. *Idem Act: med: Philoſoph: part:* 3 *cap:* 17 *fol: mihi* 29 ſimile quid de virgine, monaſterii cujuſdam Abbatiſſâ, tradit. Item *part:* 4 *cap:* 11 *fol:* 37, & 38. *Greg: Horſtius lib:* 4 *de morb: mulier: obſ:* 39 *pag:* 293 de virgine viginti duos annos habente memorat,

quæ

quæ itidem, cum menſtrua fluerent, è ſcalis decidit, quo caſu, mox ceſſante fluxu, maxima ipſi reſpirationis ſupervenit difficultas, quod accidens venæ brachii ſuſtulit ſciſſio, licet ne per ſex quidem menſes redeuntibus catameniis. Cum itaque tuſſi, reſpiratione difficiliori, ac ventriculi dolore, aliiſque affligeretur ſymptomatibus, remediis ad eliciendos menſes uſa eſt, ſectâque bis pedis venâ, molam muri majori ſimilem, at vitâ carentem non ſine maximo ſanguinis produxit effluvio.

De viduis, quæ molas emiſerint, inter alios teſtatur *Ioh: Rhodius obſ: medic: cent:* 3, *cap.* 53 *pag. mihi* 173, ubi de quâdam, cui ſexagenariæ provenerit Mola, narrat, quæque jovem lapidem juraret ſeſe octodecim proximis annis cum nullo rem habuiſſe.

Petrus à Caſtro de ſeptuaginta annorum anu refert. Nec abſque ratione id fieri autumat *Melchior Sebitzius ſingulari de molis diſſertatione.*

Marcel. Donatus lib: 4 *cap:* 25 *pag. mihi* 451 de nobili, ac honeſtiſſima muliere memorat, quæ euſarca, ſanguiniſque abundans copiâ ſexto ſupra quinquageſimum ætatis anno, jam diu ceſſante circuitu menſtruo, plurimos ediderit carnoſos abortus, alios pugno ſimiles, minores alios, durioreſque, ac molliores, poſt quorum ejectionem ſanguinis plurimum, uti in verarum ſecundarum emiſſione fit, dolenti admodum profluxerit.

De

De molis per multos annos utero inhærentibus agunt *Alex. Benedictus lib. 26. de morb. cap. 36. Schenkius lib. 4. pag. mihi 679. G. Horſtius lib: 4. de morb: infimi ventris obſ: 53. fol. 244.* Sequentia autem tantum, ut brevis ſim, adducam exempla.

Dodonæus obſ: med: cap: 49 fol: 119. de carneâ molâ pedem fere longâ, medium latâ, tres autem digitos latos craſsâ teſtatur, quam quindecim prope annis honeſta admodum geſtarit vidua uteri procidentiam rata, quod circa illius os nonnihil propendere ſentiret. Illa tamen, ut idem ait, ſolito purgabatur tempore, imò magis abunde quandoque, quam expediret, ac tandem poſt graves labores parturienti ſimilis molam edidit.

Interdum & molas in uteri collo naſci tradunt *P. ex Æginâ medicus lib: 3. cap: 69. Ætius ſect. 16. & 80. ut & Marcellus Donatus lib: 4. pag. 457. Hoechſtetterus obſ: med: dec: 6. pag: 457.*

Ioh: Jæniſch miſcell: med: phyſ: curioſ: decur: 1 an: 2 obſ: 79 pag. 154. de fœminâ ſcribit, quæ cum decem perfectos fætus, ac pene totidem abortus edidiſſet, jam parere ceſſans, non, niſi molas, modò unam, modò plures, ſingulis menſibus per ſeſquiannum, etiam abſente longo tempore marito, haud abſque acerbiſſimis parturientis doloribus, nec non inſequente ſanguinis fluxu, denique molam produxerit infantis caput inſtar per totum geſtatam quinquennium

uteri quoque procidentiâ ſeſe laborare credens? hæc autem uſque adeo dura, ac tenax erat, ut vix ſecuri dividi potuerit, abſque putredine, & hinc orti fœtoris moleſtiâ: Quodque magis miremur, ſine omni ſanguinis veſtigio. Quo facto prolapſus uteri quinquennis evanuit, & molæ molem non in utero, ſed extra eum in vaginâ uterinâ circa exterius pudendi orificium tam diu latuiſſe eventus docuit, uteri ſitu inculpato invento.

Omnia hæc, uti par eſt, perpendens ſtatuo nullas molas ſentientes, vel ſe moventes abſque viri ope produci poſſe. Ita & *Paulus Zachias lib.* 1. *quæſt: med: legal: tit:* 3 *quæſt:* 6 *num:* 35 *&* 36 *pag.* 72 ſentit inter viventem, vitâque carentem, ac plantæ modo nutritam diſtinguens molam: quarum illam abſque viro vix, hanc autem, illæſâ pudicitiâ, rarius produci ſtatuit.

Nullam omnino ſentientem, aut ſe moventem molam ſine virili auxilio generari poſſe credit *Marcellus Donatus lib.* 4 *pag. mihi* 455, quamquam non dubitet, quin quædam motu, ſenſuque carentes ſine virorum congreſſibus gignantur.

Anne etiam polypum in naſo, carnoſam in vulneribus, ulceribuſque excreſcentiam, fungos in juncturis, alibique, nec non alias in multis corporis partibus provenire cernimus excreſcentias?

Quidni itaque rudis, indigeſtaque carnis maſſa

maſſa in utero generationi à Creatore deſtinato producatur? Carnoſas, rudeſque, ac formâ deſtitutas maſſas, quæ ultro moverentur, quandoque à maritatis editas fuiſſe mulieribus ajunt *Joh. Matthæus de Grado comment. in Rhaſin cap. de molâ*, plures vidiſſe ſcribens, quæ per horam poſt ejectionem moverentur, ac *Zacutus Luſitanus pr. med. mirab. lib. 2. obſ.* 44. *pag.* *mihi* 264, ut & *Greg. horſtius lib.* 11. *pag.* 543. Si itaque virgines, viduaſque molas emittere poſſe ſtatuamus, quo tamen id fiat pacto, ſciamus oportet.

Veluti igitur in alias corporis partes nonnihil ſanguinis ex arteriis, aliuſve humor ex lymphaticis vaſis effundi, ibique coagulari poteſt, qui poſtea in Sarcoma, vel Atheroma, Steatomave, aut Meliceriden pro materiæ diverſitate mutatur quique tumor, ſive excreſcentia ab omni parte membrana cingitur, ad quam quotidie affluit alimentum: Ita etiam in viduis junioribus, virginibuſque plurimis de cauſis, præcipue vero præcedente fortiori veneris imaginatione fieri poteſt, ut ſanguinis nonnihil, vel alia materia extra vaſa in uteri cavitatem effluat; quo caſu uterus in ejuſmodi laſcivis concipiendi avidus è ſolo ſanguine ob defectum fermenti ſeminis virilis verum conceptum formare non valentis rudem potius maſſam profert, quæ ſenſim incrementum ſumit.

Hujus etiam opinionis eſt *Levinus Lemnius*

de occult. naturæ miraculis lib. 4. *cap.* 19 ſub finem, cum quod famelicis quandoque, qui gratiſſimo dapum odore in culinis quodammodo ſatiantur, eoque, deficiente alimento, reficiuntur, contingit, id ipſum jam viro maturæ, ac nubili virgini accidere ait, quæ amantem dilectiſſimum, cum eo potiri nequeat, tacito ſinu fovet, illum animo menteque etiam abſentem concipit, ita ut illa imaginatione crebra, validiſſimaque, informem quandam concipiat maſſam, conglobatis, collectiſque in iis partibus humoribus qui conceptui inſerviunt, quæ informis concretio imaginaria Venere nullo conceptu, virique opera perficitur.

Hujus etiam ſententiæ eſt *Fernelius phyſiol. lib.* 7. *cap.* 6. *fol.* 177, ubi de ovis loquitur, quæ ſubventanea dicuntur, & de rudioribus molis, quas mulieres quandoque nullo viri concubitu concipiunt, in his ſiquidem procreationis eſt quædam adumbratio, quam maris ſemen, ſi ſuis inſtructum viribus acceſſiſſet, tanquam multo potentius, numeris, & ornamentis omnibus abſolviſſet.

Avicenna fen. 21. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 18 calidæ uteri intemperiei molæ productionem attribuit. Cui adſtipulatur experientia: quæ enim ſine maris ope molas gignunt, viragines plerumque ſunt, laſcivioreſque fæminæ, ut & teſtatur *Marcellus Donatus lib.* 4. *de med. hiſt: mirab. cap.* 25. *pag. mihi* 455, cum ait vidiſſe mul-

multas fæminas, ſed ſalaciores, ejuſmodi molas generaſſe.

Aſſentitur etiam *Galenus lib. 2. de ſemine*, calidioris temperamenti fæminas, viragineſve molam concipere poſſe ſtatuens.

OBSERVATIO LXXIV.

Fætus in ſecundis repertus.

E*Liſabetha Tomboy*, cujus ſupra memini, retulit mihi ſeſe è puerperâ geminos excepiſſe, quorum alterius membranæ amnio quoddam accreviſſet corpuſculum, haud aliter quam majoribus oſtreis minus quandoque adhæret, quod funiculo quodam placentæ conjunctum eſſet, & in quo parvulus fætus digiti inſtar lateret. Hic autem maſculus omnibus abſolutus membris, altera pectori impoſita manu, ſed durus admodum, ac tanquam è latere cocto conſiſteret, reperiebatur.

IN OBSERVATIONEM LXXIV.

HUic noſtræ de fætu in ſecundis reperto per omnia ſimilem obſervationem habet.

Nic: de Blegny Zod. med. Gall. an. 1 *obſ.* 8 *f. mihi* 8. *Fœmina quædam*, inquit, *puellam peperit, cujus ſecundinas perluſtrans D. Amiens Chirurgus Regius, tempore partus accitus, in iis latentem deprehendit fœtum marem, manus longitudine, membranis propriis adhuc obvolutum, adeoque totâ ſuâ longitudine compreſſum, ut vix craſſitie quartam pollicis partem adæquaret: ipſa etiamnum cranii oſſa, ſuturarum ratione, eandem conſtitutionem adepta erant: Cuti, & carni eadem propemodum inerat ſoliditas, quæ in fœtu diutius ſpiritui vini immerſo deprehenditur, vix in membranis ipſis ulla alteratio animadverſa, &c.*

Fœtus hic noſter ſuperfœtatio dici nequit, veroſimile autem eſt eum dicto loco induruiſſe, quod debito alimento deſtitueretur, ſubtrahentibus illud geminis, quoniam ille cum his unâ eâdemque membranâ fuit concluſus, ſentiat quivis, quicquid libuerit, quamquam nec accedam ſuperfœtationes dari negantibus, quod dixerit *lib.* 5. *Aphoriſ.* 51. *Hippocrates* gravidis os uteri internum clauſum eſſe; nec non *Galenus lib.* 2. *de ſymptom. cauſis claſſe* 3. *cap.* 3. *fol. mihi* 21, *ut &* 3. *de natural. facultat. Claſſe* 1. *cap.* 3. *fol. mihi* 302 ſcribat, quam diu gravida ſit, mulieri uterum tam arcte claudi, ut ne acus quidem acies intromittatur. Verum illi *Hippocratem* non recte intellexiſſe videntur, cum verbum συμμύεσθαι, non prorſus clauſum eſſe, ut ſty-

ſtylum ne minimum admittat, ſed connivere, ut nos palpebris, cum dormimus, ſignificet. *Adr. Spigelius corp. hum. Fabricæ lib.* 8. *cap.* 22 *Uteri os*, inquit, *gravidis hiat, tantoque magis, quanto ſunt partui viciniores, quicquid etiam alii crepent ex Hippocrate, cum ipſi nec recte eum intelligant, neque experientiam, quæ veterum ſcriptorum, imprimis autem divini Hippocratis, fidiſſimus eſt interpres, conſulant. Ego vero non tantum centies id tetigi, ſed & obſtetrices inveſtigare docui, ut cognoſcerent, revera gravidæ eſſent mulieres, an molam tantum gererent, cum facile digito id explorare liceat. Docui quoque eaſdem, cum tempore partus maxime hiet, inveſtigare, fætusne verſus terram capite ſit convolutus.*

Uteri autem os poſtremis menſibus aliquo modo aperitur, quoniam illius ob magnitudinem fœtus extenſi cervix, contractione brevior fit, ut haud difficile ſit per id tempus uteri os digito attingere, præſertim ſi pedibus gravidæ inſiſtant.

Nec metus eſt, ne aër ſubintrans fætui damnum adferat, nam uteri oſculum cum hiet in gravidis, obturatur craſſâ & lentâ materiâ, quæ non ſolum impedit ingreſſum aëris in uterum, ſed viſciditate ſuâ, partus tempore, uteri ſinum, & pudendum lubricat.

Integrum de ſuperfætatione librum ſcripſit divinus Medicorum Magiſter *Hippocrates*;

 cujus

„ cujus principio, *Superfœtant autem*, inquit,
„ *mulieres, in quibus uteri os, poſt primum*
„ *conceptum, non ita valde clauditur, quod*
„ *evidentibus quibuſdam ſignis conſtat.*

Commodiſſimum autem ſuperfœtationis tempus videntur mihi primi eſſe menſes, quia tum fœtus nondum ita accrevit ſecundum omnes uteri parietes, ut ovulo è tubâ fallopianâ delapſuro ob nimiam ipſorum extenſionem idoneus adhæreſcendi locus adimi poſſet, nam licet os matricis internum poſt conceptum claudatur, nihilominus interdum conceptio de novo fieri poteſt.

Idem *Hippocrates* ſuperfœtationis exemplum de muliere Lariſſæa *lib.* 5 *Epidem fol. mihi* 1144. adducit, quæ quadrageſimo à primo partu die, quod præpoſtere conceptum fuerat, excluſit.

Eam admittit quoque *Ariſtoteles* 7. *de hiſtor. animal. cap.* 4. Nec non *Plinius lib.* 7. *natural. hiſt. cap.* 11. ut & *Dan. Sennertus*, *Nicol. Florentinus*, *P. Pereda*, alique innumeri. Sed ſuperfœtationis natura, & ratio tantis difficultatum involucris eſt implicita, ut plerique eam fieri non exiſtimarint, verum audiendi non ſunt, inquit *Andr. Laurentius lib.* 8. *quæſt.* 22.

Qui teſtimoniis tot, & tantorum virorum non convincuntur, ait *Theod. Kerkringius obſ.* 2. *fol.* 4, *veniant, & videant duo penes me ſceleta geminorum uno partu editorum, quorum alter erat* 8 *menſium, alter, quantum nunc ex oſſibus appa-*

apparet, & tunc cum carne veſtitâ mihi offerebantur, è toto corporis habitu apparebat, quartum non attigerat menſem.

Frid. Loſſius obſ. medic. lib. 4 *obſ.* 14. *fol.* 355 ſibi in praxi contigiſſe dicit. *Conſultiſſimi Viri D. Joh. Chaſſe uxorem adhuc juvenem ſtato naturæ termino peperiſſe filiolum recte formatum, integrum, & bene ſanum: nono vero à partu die iterum enixam fuiſſe, ſeu perdidiſſe fœtum adhuc immaturum, quem nondum trium menſium maturitatem complevisse conjecturabat, propriâ ſecundinâ involutum, cui neque oculi, neque aures, neque os patebant, licet ſexus diſtingui poſſet. Vero perquam ſimile eſt,* inquit idem, *Uterum poſt primum conceptum, non exquiſite clauſum, vel ſaltem ſeminis avidum ex voluptate, quam in congreſſu percipiebat, iterum nonnihil fuiſſe apertum.*

Rariſſimum ſuperfœtationis exemplum adfert *Thom: Bartholinus centur.* 4. *hiſt.* 15. *fol. mihi* 139, ut & *Rembert. Dodonæus ſchol. ad obſ.* 111 *Anthon. Benivenii.*

Verum, ut brevis ſim, unicum tantum lectoris delectandi ergo, ex D: *S. Vireſio* rarum oppido ſuperfœtationis adducam exemplum.

Scribit ille *Theatri magni dulcium, atque utilium hiſtoriarum cap.* 61. *pag.* 433. De fœtu improviſè admodum poſt alium, quocum in utero creverat, quique jam editus objerat, nato, cujus parentes in oppidulo *Hertshornâ* nomine,

 haud

haud procul Heidelbergâ habitabant. Hic infans diu poſt patris, qui nobilis, ac dives admodum fuerat, obitum naſcebatur, ejuſque uxor Teſtamento hæres inſtituta in mariti bona allodialia ſucceſſerat, feudis, quæ ampliſſima poſſederat, deficiente prole maſculâ, ad agnatos proximos perventuris. Cum itaque mater mortis conjugis cariſſimi tempore gravidam ſeſe eſſe quodammodo ſuſpicaretur, nec tamen certo ſciret, feudorum poſſeſſionem agnati invaſere, necquicquam obnitente viduâ, atque, ut id temporis, quo infans naſci poſſet, præterlabi ſinerent, poſtulante. Cum vero aliquamdiu poſt pareret, mortuus prodiit fætus: eoque inſolentiores facti proximi, tanquam jure, feuda inter ſeſe partiti ſunt, atque iis etiam viduam intervertere, coepere, quæ ad ipſam teſtamenti vi pertinebant. Cum verò huic venter poſt partum illum etiamnum tumeret valde, ut balnea Badenſia peteret, conſuluere medici, pravis humoribus illum tumorem ortum dicentes, hydropicamque ipſam judicantes, adeoque balneis reficiendam, ſanandamque. Illa itaque Badenam profecta degentibus id temporis ibi forte Moguntino, ac Saxone Electoribus, ſecundo poſt adventum die parturientis labores ſibi ſupervenire ſenſit, advocataque obſtetrice, pulcrum, valentemque optime edidit filium, qui octavo poſt genitoris obitum menſe, undecimaque poſt ultimum partum prodiit

diit hebdomada. Miræ ſatis rei fama illico ad Electorum pervenit aures, voluitque Moguntinus infanti, cum ſacro baptiſmatis lavaretur fonte, adeſſe compater: Saxo eidem mille Imperiales (quos vocant) donavit, deditque Heydelbergam ad Palatinum literas, uti ipſe avidos illos, reique non ſuæ inhiantes nimium, poſſeſſione feudorum dimoveat, viduæque illa, utpote Ferdinandi recens nati vaſalli matri, reſtituat.

Quod continuo quidem factum fuit; nec ſua tandum damna noxiâ cupiditate orta doluere agnati, ſed, quod longe durius malum, cachinni dolores auxere.

OBSERVATIO LXXV.

Gemini, ſinguli quidem ſuo utentes umbilicali funiculo, at tertio inſuper communi donati.

ILla, cujus proxima meminit obſervatio, obſtetrix retulit mihi ſeſe hic Hagæ bis diverſis locis geminos excepiſſe ſingulos ſua concluſos membranâ, tribuſque, prout adjecta tabulæ ſextæ primâ monſtrat figura, funiculis utentes. Uterque fætuum propria donabatur placenta, quæ ambæ (licet non abſ-

que cujuſvis infantis membranarum interſtitio) ſibi invicem propinque admodum matricis fundo, lateribuſque affigebantur, quarumque è centris utrique fœtui communis ad umbilicalium vaſorum radices, antequam placentis inſererentur, prodibat funiculus. Tertius etiam funiculus, vaſaque umbilicalia communia non aliter gyris, nodiſque erant diſtincta, quam in recens natis plerumque conſpiciuntur.

IN OBSERVATIONEM LXXV.

PLurima quandoque inſolitâ quadam produci lege obſervationum noſtrarum non paucæ evincunt. Quamvis autem id, quod modo attuli, mirum forte videatur, inveniemus tamen, ſi accuratius paulo inquiramus, ejuſmodi vaſorum conjunctionem ſæpius alibi noſtro in corpore contingere, ſcilicet præſertim in ſanguiducis vaſis, ac parenchymatibus. Id ipſum autem fit, ut ex uno vaſe in aliud ſanguis tranſitum inveniat, ac dubio procul noſtro caſu factum eſt, ut, quicquid eſſet in unius placenta, funiculove ſanguinis, in alterius vaſa tranſfunderetur. Cujus placentarum ſanguinis communionis ope gemelli iſti haud dubie

tem-

temperie, aliiſque proprietatibus magis ſimiles erunt.

Certant viri docti, num gemelli in utero impregnatæ unâ, eâdemque ſemper cingantur membrana, quæ in duas, veluti mediaſtino quodam, diviſa partes fœtus diſtinguat? Verum equidem eſt in ſuperfœtatione, cum nec ſimul concipiuntur, nec ſimul eduntur, ſingulos fœtus diſtinctis involvi membranis, diverſiſque uteri affigi partibus, ita ut, etiamnum incluſo altero, alter emitti queat. Longe autem aliter circa gemellos eodem conceptos tempore res ſeſe habet, qui eadem quidem plerumque incluſi membrana, eodemque contenti loco alterius tamen cujuſdam tenuioris membranæ interventu diſtinguuntur, quæ aquæ preſſione poſt alterius egreſſum facillime rumpitur. Proprio autem quivis utitur funiculo ab umbilicalibus utriuſque vaſis producto; diſtincta eſt & cuivis placenta: quamvis autem extrinſecus aſpecta una tantum videatur, proprius tamen adſpicientes duas, pluresve videbunt pro fœtuum incluſorum numero, hæ tamen omnes vaſorum interventu communionem inter ſe habent, ut ex hac in illam tranſmitti queat ſanguis.

Th. Bartholinus cent. 4. *hiſt.* 83.*pag. mihi* 403 de gemellis agit, quorum ſinguli propria cingebantur membrana, quod & noſtra docet obſervatio, ejus tamen caſum tertio illo communi funiculo obſervatu digniorem reddente.

De

De uno, eodemque fœtu cum duplici funiculo, duplicique placentâ vide ſis *Ephemerides Germ. decur.* 1. *an.* 1. *obſ.* 39. *fol.* 127.

Tergeminos quandoque eâdem membranâ concluſos repertos fuiſſe idem tradit ſcriptor. Nec videtur illud mihi minus verum, quandoquidem ſupra memorata obſtetrix illud ipſum ſibi in ruſtici cujuſdam tergeminis videre licuiſſe retulit. Eo tamen caſu diſtincto quivis ligatur funiculo.

Tale exemplum etiam adducit *C. Solingius tract. de Embryulcia fol.* 292 ſed eo caſu tres iſti fœtus duabus intermediis à ſe invicem ſegregantur membranis.

OBSERVATIO LXXVI.

Sanguinis fluxus continuus ad ipſum uſque partes diem, novoque inſuper ſingulis menſibus auctus profluvio.

PRæſtantiſſimus Medicus D. *Theod. Liebergius* dixit mihi præcipuam quandam matronam extra Hollandiam degentem plethoricam admodum, & corpore tenui ab ipſo uſque imprægnationis initio continuo ſanguinis fluxui fuiſſe obnoxiam, qui ſingulis itidem men-

menſibus novo augeretur genitali efflu-
vio. Plurimi itaque conſulti Medici gravidam non credidere. Contigit autem poſtea, ut Hagam veniens dictum etiam conſuluerit Liebergium, qui unico inductus indicio, mammarum videlicet tumore, gravidam negare non potuit, at dubius tamen paulo diutius perpenſurum omnia, ſequentique ſe rediturum die promiſit. Cum vero adeſſet poſtridie, matronam jam ſeptem menſium fœtum edidiſſe comperit, qui quamvis diu non ſupereſſet, baptizatus tamen fuit.

IN OBSERVATIONEM LXXVI.

HIppocrates *ſect. 5. Aph. 60. Si prægnanti ait, purgationes menſtruæ currant, impoſſibile eſt, ut bene valeat fœtus.*

Ut autem recte intelligatur Aphoriſmus ille, diſtinguendum eſt, conſiderandumque, num fluxus ille major ſit, minorve, frequens, an infrequens, num ſe prope graviditatis finem, an verò alio manifeſtet tempore, denique quo modo quibuſve ille fiat viis.

Cum itaque dicat *Hippocrates, ſi prægnanti purgationes currant menſtruæ*, non de unico fluxu,

fluxu, ſed de pluribus, qui ſæpius, diverſis temporibus, vel ſingulis menſibus contingunt, loquitur. Ita enim capiendum Aphoriſmum primus ejuſdem de morbis mulierum docet liber, ubi gravidarum uteros, ſi plus juſto aperiantur, ſingulis menſibus ſanguinem eodem plane modo, quo non gravidæ ſolent, mittere ſcribit: libro autem *de Natura pueri* non nocere ait, ſi uno, & altero menſe nonnihil ſanguinis impregnatæ, dummodo non ſingulis ad partum uſque menſibus, emittant. Hujus autem ratio in promptu eſt: ſi enim ſanguine abundat valde illa, quæ jam concepit, quid ni etiam illius portionem per menſes aliquot abſque ejus, qui in utero eſt, (ut ex veterum loquar opinione) nutrimenti detractione ejiciat? Si vero gravidæ non prioribus tantum, ſed & poſterioribus ad uſque partus tempus menſibus ſanguinis ea decedat copia, quæ non gravidæ fluxit, tum demum plerumque contingit, ut fætui nutrimentum debitum, nec non robur, & calor adimatur, præterquam quod mulierum, licet non impregnentur, corpora iſtæ purgationes plus minus, pro illorum conſtitutione, turbent, atque ipſum etiam fætum participem reddant. Hujus etiam *Ariſtoteles* eſt ſententiæ, qui *lib.* 7. *de hiſt. Animal. cap.* 3. & *lib.* 1. *de generat. Animal. cap.* 19. *Si menſtrua, inquit, gravidæ quovis menſe ſolita fluant copia, fieri non poteſt, ut fætus eam conſervet ſanitatem, quâ, ſi matri parum,*

nec

nec ſingulis decederet menſibus, gauderet. Quinto itidem de *hiſt. Animal.* quaſdam reperiri mulieres, quæ per totum imprægnationis tempus ſanguinem emittant, has autem parvulos, tenellos, ac rariſſime vitales producere fætus tradit.

Quantum ad vias, quibus utatur effluens cruor, ſi modicus ſit fluxus, ac validæ, beneque ſe habenti primo geſtationis ſuperveniat tempore, nec terror quidam, aut iracundia, nec etiam laſſitudo ſaltuſve, aut longiores curruum motationes, vel crebriores ſternutationes, graviores tuſſes, vomituſve, nec alia denique externa caſuum, verberum, ictuumve præceſſerit vis, certiſſimum eſt fluxionem è matricis colli vaſis provenire. Confirmat id *Galenus lib. 6. de locis affectis ſub finem cap. 5. Item Comment: in Hippocrat. aphoriſm. 60. ſect. 5.* Ideoque non ita metuendus erit abortus, ſi quandoque menſtruum emittat imprægnata ſanguinem.

Hieron: Reuſnerus obſ. med. pag. mihi 55. perhibet, *Jacobum Lochnerum* teſtari, vidiſſe ſe gravidam, cui ſingulis menſibus abſque omni incommodo ſanguis flueret, haud aliter quam cum nondum uterum ferret. Similes caſus ſe Vratiſlaviæ in Sileſiâ in duabus diverſis mulieribus itidem imprægnatis vidiſſe memorat.

Thom: Bartholinus centur. 3. hiſt. 13. pag. mihi

mihi 32. Mercatoris uxorem novit Hafniæ, cui, quotieſcunque gravida eſſet, tantum ſuperveniret ſanguinis effluvium, ut propter corporis debilitatem lecto quandoque inhæreret diutius, quod tamen ſolito ceſſaret tempore, atque à primo ad uſque ultimum geſtationis menſem inchoaretur juſtâ lege, quamvis ipſa validos nihilominus ederet filiolos.

Gravidæ apud *G. Fabritium Hildanum centur.* 5. *obſ.* 41. toto geſtationis tempore liberaliſſime fluxerunt menſes. De aliâ refert *Solenander ſect.* 5. *conſil.* 15. *pag.* 492. quæ innoxie majori quantitate, quam aliis temporibus menſium habuerit profluvium.

De plethoricis itaque non erit intelligendus ille Aphoriſmus, quibuſque ea eſt ſanguinis copia, ut hæc, niſi venæ ſectione eliceretur, dictâve minueretur fluxione, vel abortus, vel ipſius imprægnatæ exiſteret mortis cauſa.

OBSERVATIO LXXVII.

Menſtrua Periodus infanti anni unius.

IDem Medicus *Theod. Liebergius* mihi etiam conſultum ſe nuper fuiſſe memoravit de filiolâ quâdam, cui, quamquam unum tantum annum, vel paulo amplius habenti, ſed optime valenti jam

jam ter repetitâ vice adultarum more (habitâ ſanguinis, infantiſque tenelli corporis ratione) menſtruus fluxerat ſanguis.

IN OBSERVATIONEM LXXVII.

SIcuti mulieribus rarius poſt quinquageſimum annum menſtrua proveniunt, ita etiam vix ante quartum decimum fluunt: quamquam plurimis citius ſupervenerit hic fluxus.

Hercules Saxonia part. 3. *prælect. pract. cap.* 23. *fol. mihi* 257. puellulam quinque annorum noviſſe ſe narrat, cui provenirent menſtrui fluxus, quique pro corporis modulo ſingulis lunæ circuitibus continuarentur.

Fred. Deckers notis ad praxeos Barbettianæ caput 13. *fol.* 247. Lugd. Batavor. ſe obſervaſſe dicit duas puellas, alteram ſeptem annos natam, alteram duorum circiter annorum menſtrua habuiſſe, verum natu minorem poſt tertiam periodum periiſſe, cum major natu, licet jam ſexies ſingulis menſibus rediiſſet ille fluxus, ſana manſerit. Simile exemplum habet *G. Fabrit. Hildanus cent.* 11. *obſ.* 60.

Celeberrimus olim Medicus N. Tulpius lib. 3. *obſ. pag. mihi* 255. de puellâ ſcribit, cui, cum à quarto ad octavum annum debito ſemper tempore, modoque purgata eſſet, ac caſus quidam menſtruum illum impediiſſet circuitum, ſurſum

in caput ſanguis aſcenderit, graviumque extiterit cauſa ſymptomatum: quæ res cum illi prope fide videatur major, magis tamen mirum id eſt, quod tradit *Theod. Kerkringius obſ.* 87. *pag.* 168 de infante cui, ab ipſa uſque nativitate iſte adfuerit fluxus: ille etiam nonnullas adducit circumſtantias, dicitque gravidam matrem quodam tempore ita fuiſſe animo commotam, ut illico non tantum plurimum ipſi decederet ſanguinis, ſed & ab eo tempore quovis menſe rediret fluxio, ita ut, num gravida eſſet, dubitaret, eoque magis, cum per quindecim dies continuos prope geſtationis finem ſanguis flueret: quo tempore filiolam peperit, quæ ad quintum decimum à nativitate diem ſimili obnoxia erat effluvio, poſt quod tempus illud ipſum quovis menſe rurſus animadvertebatur. Iſta autem puellula, poſtquam ter ſanguinem, tribus videlicet menſibus, eo modo exoneraſſet, vivere deſiit.

Narravit mihi *D. Cornelius Solingius* Medico-Chirurgus ſe an. 1679 medicinam feciſſe filiolæ Advocati cujuſdam Ultrajectenſis, cui quatuordecim menſes natæ, beneque valenti, ſecundo à partu die menſes, iique ſatis magna pro modulo tantilli corporis quantitate, lunaribus periodis profluxerint.

OBSERVATIO LXXVIII.

Puerpera abſque Lochiis.

C*Ornelii Hugonis* uxor poſt difficiles viginti quatuor circiter horarum partus labores edidit filiolum qui modo non naturali, binis videlicet pedibus, brachiorum alterum inter ſe medium comprimentibus prodiit vigeſimo nono Junii 1680. A quo tempore illa debilis admodum, ac febribus impetita fuit multum: nec (quod mirabar) purgata fuit. Quoniam itaque ipſi hæmorrhoides valde tumere animadvertebam, ſanguiſugas aliquot iis admoveri præcepi, quo remedii genere indies minuebatur febris, vireſque ſenſim redierunt.

Poſt aliquot autem dies torminibus ventrem ſuum, hypogaſtriique dextram partem tumore infeſtari queſta eſt mulier, quem ego preſſione manus alte deſcendere ſenſi, ut minime quidem, quin ipſius uteri tumor eſſet, dubitarem. Ipſe itaque poſt enematis laxantis uſum, idoneum fomentum, linimen-

tumque, ac emolliens denique emplaſtrum præparari juſſi: his autem medicamentis tertia à partu hebdomada convaluit puerpera, nec quidquam ex utero præter parum albentis, fætentiſque humoris omni illo tempore emiſit.

IN OBSERVATIONEM LXXVIII.

HIppocrates *lib. de naturâ pueri, Mulieri, inquit, cui lochia poſt partum non fluunt, gravis ſupervenit morbus; Si vero eorum fluxus aptis quam citiſſime non promoveatur remediis, vitæ diſcrimen incurret puerpera.*

Cujus dicti veritatem quam rariſſime infringit experientia, quamvis & illi, de quâ obſervatio noſtra, mulieri nihil omnino attulerit incommodi lochiorum defectus.

Nec tamen ſimiles noſtro caſus ſcriptores medici obſervare neglexerunt. Narrat quippe *G. Fabritius Hildanus cent.* 4. *obſ.* 41. *pag. mihi* 428 de honeſtiſſima fæmina, quæ morbis nullo infeſtata tempore, at ſana ſemper, valenſque catamenia nunquam ſive cælebs, ſive marita experta fuiſſet, ac, quamquam ſeptem robuſtos enixa eſſet infantes, puerperii tamen tempore minimum ex utero profluere ſanguinis animadvertiſſet. Teſtatur etiam *Joh. Schenkius lib.* 4. *pag. mi-*

mihi 913. *Petrum Toletum* vidiſſe mulieris cujuſdam (quæ nec ante partum, nec hujus tempore ſanguinem ſolito fæmineo ſexui more exoneraverat) infantes fædis plerumque capitis, facieique ulceribus vexatos prodiiſſe.

Marcellus Donatus lib. 4. *cap.* 23. *pag. mihi* 160. validæ, animoſæque admodum, nec minus contentioſæ mulieris mentionem facit, quæ menſtrui fluxus ſemper immunis filium tamen, ac dein puellam, utrumque valentem, atque inſuper optime nutritum ediderit, cuique parienti parum admodum, poſt partum vero nihil omnino deceſſerit ſanguinis.

Joh. Rhodius cent. 3 *obſ.* 54. *pag.* 173 *an.* 1628 nobiles duas Paduæ vixiſſe matronas memorat, quæ ſtaturâ proceriori, tenuiorique corpore abſque ullâ fluxione conceperint, nec quicquam toto partus tempore lochiorum egeſſerint. Male tamen ſeſe has impregnationis tempore habuiſſe idem tradit.

De parturiente ſine aquis, & parum egerente ſanguinis, nullamque vel omnino exiguam vixque ſenſibilem poſt partum lochiorum purgationem habente mentionem faciunt *Ephemerid. German. decur.* 1. *an.* 3. *obſ.* 132. *fol.* 241.

Nec non *obſ.* 265. de ſex liberorum fæliciter partu editorum matre, quæ nunquam qualicunque ſanguinis, vel etiam menſtrui, fluxu laborarit, nec inſuper in partu vel aquam, vel ſanguinem fuderit, nullis etiam ſubſequentibus lochiis;

ut & *decur.* 2 *an.* 1. *obſ.* 41. de muliere, quæ nec ante, nec in, nec poſt partum menſes, aut lochia paſſa erat.

OBSERVATIO LXXIX.

Sanguis menſtruus ex iraſcentis papillis effluens.

ADriana Noſocomii Scheveringani gubernatrix jam prope quadragenaria, ſed corpore macra, tenuiſque, nec bile tantum abundans, ſed & iracundior, anno 1644. ita offenſa erat animo, quo tempore fluxu laborabat menſtruo, ut præ maximâ mentis perturbatione è papillis prorumpens reliquum corpus prolueret ſanguis. Cui ipſe arceſſitus illico pedis venam ſcindi juſſi, ut ſanguini aliorſum deducto commodior daretur exitus: Ipſa autem brevi poſt convaluit.

IN OBSERVATIONEM LXXIX.

QVibus mulieribus in mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificare Hippocrates ait Aph. 40. *ſect.* 5. Hiſce autem ſignifi-
cat

cat ſanguinem, ſi, obſtructis catameniis ad mammas feratur, majori, præternaturalique imbui calore, vel etiam pro parte ipſum petere cerebrum, atque ita furoris exiſtere cauſam.

Galenus autem ad hunc textum nunquam ſe ſimile quid vidiſſe aſſerit. Quicquid ſit; Noſtro caſu maximam animi perturbationem furorem jure merito dixeris; cui illud convenit *Catonis*:

Ira furor brevis eſt.

Scribit *Paræus lib.* 23. *cap.* 52. *fol.* 33. uxori *P. Fabri* tantâ copiâ per mammas fluxiſſe menſes, ut tria, quatuorve vix capiendo eſſent mantilia. Idem ex Anatom. *Salom. Alberti* adnotat *Dan. Sennertus* de fæmina, cui ſingulis menſibus ſanguis per mammas uberrime evacuabatur.

Id quoque teſtantur *Cordæus* (*Comment.* 6. *lib.* 1. *Hippoc. de morb. mulier*, *Andr. Laurentius Anatom. lib.* 7. *quæſt.* 19. *pag. mihi* 278. *Dominicus Panarola Pentecoſt.* 4. *obſ.* 13. *pag. mihi* 119. nec non *Anthon Muſa Braſſavolus ad dictum Hippocratis Aphor* 40. *lib.* 5. Queis adde *Marcellum Donatum fol.* 30. *lib.* 1. *de med. hiſt. mirab. cap.* 2. *Amatum Luſitanum Curat. Medicinal. Cent.* 2. *Cur.* 21. *fol. mihi* 163. nec non *Cent.* 7. *Curat.* 48. *fol.* 746. ac denique *Schenkium pag.* 700.

OBSERVATIO LXXX.

Menſtruum viris per penem profluvium.

NAturale quid eſt, ſi bene valentibus menſtruo effluvio ſanguis decedat mulieribus. Præter naturam autem fit, atque inaudita res eſt, ſi ejuſmodi fluxio viris accidat.

Optime tamen memini me in duobus, quos novi, animadvertiſſe menſtruam per virgam periodum: Erant illi autem temperamenti frigidioris, nec multâ lanugine malas tecti, ac poculis admodum deditі.

IN OBSERVATIONEM LXXX.

F*Ranciſcus Ignatius Thiermairius Medicus Bavarus Conſultat. lib.* 1. *cap.* 15. *pag. mihi* 181. de quorundam geminorum altero narrat ante ſeptimum decimum ætatis annum ſanguinis per penem fluxui obnoxio, qui aliquot annos continuabatur: ita ut ſingulis poſt novilunium quadris quinque circiter punicei ſanguinis uncias per virgam emitteret, præcedentibus tamen ſemper quibuſdam non abſque dolore tormini-
bus

bus circa umbilicum, lumbos, ac inguina, uteri doloribus non abſimilibus. Ceſſante item hac exoneratione, acerrimâ affligebatur ille cephalalgiâ.

G. Reyes à Franco Elyſio jucundiſ. quæſt. Campo, quæſt 86. *Imberbem*, ait, *& toto corpore depilem cognovi effæminatum, mulieris, aut Spadonis inſtar, cui à vigeſimo uſque ad quadrageſimum quintum annum menſtruæ purgationes per pudendum, ſtatis quibuſdam menſibus, quatuor, aut quinque dierum ſpatio non parvâ copiâ emanabant, & ſi forte non recte fluebant, ſuperveniente cum torminibus dolore, vena ſecta in talo illi remedio erat: hic ex pleuritide occubuit è retento menſtruo ſubortâ.*

David van Hooghſtraten diſſertat. epiſtolicâ fol. 23. refert ſibi exemplum eſſe viri, cui per ſingulos menſes menſtruantium fæminarum more ſanguis per penem effluxerit. Plura ejuſmodi afferunt *Zacutus Luſitanus lib.* 2. *pr. admir. obſ.* 111. *fol*: 69, *Thom. Bartholinus hiſt: Anatom: cent.* 5. *hiſt.* 33. *fol.* 55, *Amatus Luſitanus cent.* 5. *curat.* 3, *H. Fabritius ab Aquapendente lib.* 3. *Chirurg: cap.* 13. *fol.* 148, *G. H. Velſchius Epiſagm.* 69. *pag.* 43.

Quænam autem, quæſo, hujus certo tempore redeuntis effluvii in dicto juvene fuit cauſa? An profluxit ſanguis eo modo (quod multis quondam ſeculis plurimis contigiſſe viris etiam *Aretæus Cappadox lib.* 2. *de diuturmis affectibus*

inter

inter alios tradit, ac, quin hodieque fiat, dubitari non ſinit experientia) per penem, quo Hæmorrhoidalis fluxio ſingulis menſibus multos vexat? Illud autem de illo juvene non videtur ſtatuendum. Neque enim (ut idem *Thiermairius* ait) urinis mixtus prodiit ſanguis, at guttatim colore puniceo profluxit. Ramus fortean exteriorum, interiorumve vaſorum hæmorrhoidalium (quamquam contra ſolitum ordinem) ad pudenda ſeſe contulit, quoniam anus, ac genitalia contigua admodum ſunt, atque ita forte quædam inter ea facta eſt communio. Vel etiam cruor ille ex proſtatis, quæ veſiculis ſeminalibus proximæ, ac intus cavæ ſunt, provenit, è quibus humor ad rigandum ſeminalem ductum, qui Urethra terminatur, prodit, quæ proſtatæ notabilibus donantur vaſis ſanguineis. Sed penes lectorem judicium eſto.

OBSERVATIO LXXXI.

Veſicæ Vulnus.

EQues quidam nimium potus lato enſe hic Hagæ ita fuit læſus paulo ſupra os pubis mediâ in abdominis parte non latus, ſed anteriora aperiente vulnere, ut ſe in veſicam penetraret gladius, cujus indicium erat per vulnus

nus effluens urina. Ille autem intra tres hebdomadas (utut letalia clamet hujuſmodi vulnera *Hippocrates*) percuratus eſt.

IN OBSERVATIONEM LXXXI.

Hippocrates aph. 18. *ſect.* 6. *letale vulnus vocat perfectam veſicam*; ut & *lib.* 1. *de morb. ſect.* 5. *fol:* 447 *&* 450: *Idem Coac. ſect.* 2. §. 509. *fol. mihi* 199. *Ex vulnere autem, ait, fere mors contingit, ſi cui vulneratum fuerit cerebrum, aut ſpinalis medulla, aut jecur, aut ſeptum tranſverſum, vel cor, aut veſica, aut quædam grandis vena.* Sed ſano iterum ſenſu accipiendus *Hippocrates*; cum *plerumque* iſtarum paritium vulnera letalia ſignificet.

Veſicam vero læſam quandoque ſanari non adeo novum eſt, quod ejus ſubſtantia nec omnis, nec paſſim ſit membranacea. Quamvis enim hæc extra corpus tota quanta membranis conſtare videatur, non tamen talis eſt, quamdiu corpore clauditur, qualis quidem apparet, cum jam diu antea ſiccata, extenſa, ac vento repleta fuit: ita ut multo magis carnium generibus ſit annumeranda. Hujuſmodi namque plura deſcribit *Galenus. Comment*: enim *in* 6. *Epidem*: *Hippocratem* non id tantum, ex quo muſculi, ſed & ex quo inteſtina, ac veſica conſtarent, carnem vo-

vocaſſe ait. *Hippocratem* ſecutus *Galenus* 7. *de Anatom. adminiſtr.* non ubique carnis formam eandem eſſe ſcribit, quod rubicundior, molliorque ſit muſculorum, quam ventriculi, uterive, aut inteſtinorum caro.

Carnoſitatis intuitu *Bartholinus*, ac *Aquapendens* exteriorem veſicæ membranam muſculum vocant totam cingentem veſicam, ut hæc, cum excernitur urina, contrahi poſſet, ideoque vulneratum ſanari poſſe ſtatuunt. Licet & ipſam curationem non minimum periculi, difficultatiſque comitetur. Non enim vehementiores tantum dolores excitat læſa veſica membranaceæ ſubſtantiæ reſpectu, ſed & inflammationis, febris, nervorumque convulſionis cauſa eſt. In abdomine illa inſuper latet, ut nec uniri læſæ partes, nec ſibi invicem queant alligari: Accedit, quod illæ madentes aſſidue, urinæque acredine ſtimulatæ non ita facile obducantur cicatrice, quamvis debitis adhibitis medicaminibus. Plurima inſuper urinæ pars quandoque in ventris cavitatem deſtillat, quæ ibidem retenta, collectaque, ut alia taceam ſymptomata, maximi ventris tumoris, cujuſmodi hydropici laborant, cauſa eſt, atque ita corrumpens, & labefactans viſcera miſere vulneratum interimit.

Sequentia etiam veſicæ vulnera ſæpe curari docebunt exempla.

Galenus initio de loc. affect. Juvenis Mitylenæi

næi læſam gladio veſicam ſanatam fuiſſe tradit.

Iſaacus Cattierius Medicus Regis Galliæ *obſ.* 4. *pag. mihi* 18 de vulneris mediæ veſicæ corpori inflicti curatione ſcribit, ut & *Platerus lib.* 3. *obſ. pag. mihi* 797.

Franciſc. Roſſetus de Partu Cæſareo ſect. 3. *cap.* 7. *pag. mihi* 55 lapilli ex infantis cujuſdam abdomine artificioſa ſectione per Chirurgum *Franconem* educti mentionem facit. Nec multum differt, quod habet *Franciſc. Sanches obſ. med. pag.* 370, ubi veſicæ lapis ex abdomine educebatur.

Statuit etiam *Roſſetus cap.* 6. *pag.* 50. Calculorum eductionem per ſectionem Cæſareæ ſimilem multo minus eſſe periculoſam, nec tot ſymptomatibus ſtipatam, quam quæ hodie in perinæo fit: cujus quidem ille rationem dat, docetque, quare lithotomi lapidem per perinæum potius, quam per abdomen extrahere tentent: cum, quod ille gravitate ſua deſidat, tum quod rem non intelligant melius: hujuſmodi lapidum per ſectionem eductionis meminit & *P. Barbette part.* 1. *manual. operat. cap.* 26. *fol.* 87.

Ex his itaque abunde liquet non ſemper letalia eſſe veſicæ vulnera. Sciendum interea eſt pro læſæ partis diverſitate, veſicæ vulnera magis, minuſve eſſe periculoſa. Nam quando infima pars ejus, quæve prope collum ſunt, vulnerantur partes, dubitandum non eſt, ſcribente *Roonhuſio obſ. lib.* 2. *pag. mihi* 180, quin ſanari poſſint,

ſint, quod ſint muſculoſæ; nec minus certum eſt circa ſphincterem vulnus curari poſſe, cujus exemplum habet *N. Tulpius obſ. lib.* 4 *cap.* 29. Idem quoque *Roonhuſius pag.* 177. longe periculoſiorem fundi læſionem tradit, quam partis infimæ, membranaceæ ſubſtantiæ intuitu, illudque læſum inſanabilę ait propter eas, quas ibidem proponit, rationes, quibus tamen non adſtipuler. Primò enim, ut ſupra dixi, non tota membranacea eſt veſica, quamvis fundum magis membranis conſtet, quam pars inferior; Ac quamvis illud, anteriorem partem lædente mucrone, ſaucium foret, uti equiti noſtro contigit, non neceſſario in ventrem influit urina, quia veſicæ fundum intra peritonæi duplicaturam ventris muſculis admovetur, ita ut in eo, de quo obſervavi, non potuerit è veſica in ventrem deſtillare lotium. Profuit etiam potus minimâ ſimul quantitate (ita enim præceperat Medicus) ſumptus, ſæpiuſque excreta urina, ne unquam repleri poſſet veſica, tantoque minus à deſtillatione in ventrem periculum foret. Ideo autem, equitis illius veſicæ fundum curatum fuiſſe reor, quod per anteriora intraverit gladii acies, ac læſæ inſuper veſicæ labia cum ventris muſculis obviam factis quam facillimè ſeſe conjunxerint: cujus membranacearum cum carnoſis partibus concretionis obſ. 39. memini. Si vero in latus adacto ferro veſicæ conſequenter latus læſum fuiſſet, non potuiſſet hujuſmodi labio-

labiorum veſicæ læſæ, & muſculorum ventris conjunctio, atque agglutinatio fieri. Atque eo caſu veriorem *Hippocratis* Aphoriſmum putem.

OBSERVATIO LXXXII.

Veſicæ Ruptura.

CUm mulier quædam hic Hagæ diffi-cili admodum partu infantem edidiſſet, comperit poſtea quam facillime ſibi profluere urinam præcipue, cum erecto incederet corpore, quam tum præter voluntatem non ſine dolore acerrimo, ardore, ac fætore per veſicam ſenſim elabi ſentiebat. In ipſo etiam effluxu majori affligebatur cruciatu, quam poſt eum, haud ſecus, ac iis, quibus ulcerata eſt veſica, ſemper contingit.

Poſtquam illa jam aliquamdiu iſto vexata fuiſſet malo, fratrem meum *Joh. Stalpartium vander Wiel* conſuluit. Qui, cum in omnia quam diligentiſſime inquiſiviſſet, digiti in vulvam immiſſione, aliiſque indiciis veſicæ illius partem inferio-

feriorem verſus latus ruptam, ac jam quodam callo rupturæ labia obducta eſſe comperit; quandoquidem enim urinæ portio inter vaginam, veſicamque contineretur, non potuit non maximi doloris, aſperitatiſque eſſe cauſa. Exulceratione itaque tractu temporis ortâ urina aſſidue purulenta reperiebatur.

IN OBSERVATIONEM LXXXII.

HEnricus Roonhuſius *part.* 2. *obſ. med. Chirurg. pag. mihi* 164, &c. fuſe admodum de veſicæ rupturâ egit Epiſtola ad *Jacobum à Kampen* Noſocomii Hornani Chirurgum datâ, nec à quoquam hoc quicquid eſt mali, quantum quidem ſciat, antea expoſitum fuiſſe ait. Internam vero illius cauſam (præter calculum veſicæ ſua concluſum membrana) ſtatuit ipſius fætus vires, roburque, cum in partu difficiliori veſica urinis plena gravidæ nixus, naſcentiſque fortes motus præ tenuitate ſua ſuſtinere non valet.

Externam vero cauſam caſum ait, illiſionemve, aut verbera gravius ventrem, cum plena eſt veſica, afficientia; Vel hanc etiam ponit imperitioris obſtetricis vim oſſi pubis levando adhibitam, quâ veſicæ collum facile læditur; ita ut poſt partum urinæ ſiſti neſciæ volentibus, no-

lenti-

lentibus profluant mulieribus. Hujus autem incommodi per manualem operationem curandi modum idem *pag.* 181. proponit.

De maximo foramine ſub ipſo collo ad veſicam penetrante, per quod urina guttatim exſtillabat, monet *G. Fabrit. Hildanus cent.* 6. *obſ.* 67. *fol.* 582. cujus cauſa fuerat partium genitalium poſt difficilem partum inflammatio, ab obſtetrice propter ſummam ignorantiam neglecta, & in putridum ulcus degenerata. De ejuſdem rupturâ à fruſtis calvariæ fœtus mortui ortâ *Corn. Solingius embryulciæ fol.* 59. mentionem facit.

OBSERVATIO LXXXIII.

Cantharides corpori exterius admotæ etiam veſicæ noxiæ.

CAntharidas per os in interiora ingeſtas ſingulari quadam proprietate veſicæ, meatibuſque urinariis magis, quam aliis corporis partibus nocere, efficereque, ut non abſque dolore reddatur lotium, ſatis, ſuperque notum eſt: eaſdem vero extrinſecus admotas iis partibus etiam noxias eſſe, jure merito quivis miretur. Id autem mihi vi-

 dere

dere contigit in quadam Dominâ, cui dolore Iſchiadico laboranti veſicatorium coxis admovendum præceperam: verum poſt horas non adeo multas illam de dolore vehementiſſimo, cum urinam excerneret, querentem audivi, dicentemque aſſidue ſe ad illius excretionem impelli. Itaque conſultum duxi illud remedium tollere: ac, quibus poſterius hoc incommodum, doloremque pellerem, oleum amygdalarum dulc: nec non emulſionem è ſeminibus frigidis ipſi præbui.

IN OBSERVATIONEM LXXXIII.

NOſtram hanc obſervationem etiam confirmat *Matthiolus in lib. 6. Dioſcoridis cap. 1.* ubi teſtatur veſicæ præcipue, urinæque excretioni inſervientibus partibus nocere non tantum in corpus per fauces immiſſas, ſed etiam externæ cuti admotas cantharidas, præſertim etiam, ſi majoribus admiſceantur cataplaſmatibus, vel non longe à veſicâ diſtantibus adhibeantur partibus: quamquam etiam ſint, qui aſſerant illas partibus, quæ poſt aures ſunt, cervicive, aut cruribus, vel brachiis applicitas dictorum malarum ſymptomatum partibus urinæ recipiendæ dicatis fuiſſe

fuiſſe cauſam. Quod etiam tradunt *Paſchalis meth. med. cap.* 41. ac *Langius lib.* 1. *epiſt* 47. *Sennertus* autem *lib.* 3. *part.* 8. *ſect.* 2. *cap.* 5. *pag. mihi* 375. illud nunquam ſibi compertum ſcribit, quamvis eaſdem, tanquam veſicatorium, centies cervici, partibuſque poſt aures ſitis, brachiiſque applicuerit. Alii vero, quod magis mirere, non erubeſcunt dicere illas à collo ſuſpenſas, aut veſtibus concluſas, geſtataſque maxima quandoque viis urinariis peperiſſe mala, imo vel ipſam intuliſſe mortem. Quâ de re videndi *ab Heers lib.* 1. *obſ.* 10. *pag.* 100. *Joh. Michael Paſchalius meth. curandi morb. cap.* 44. *Foreſtus lib.* 23. *obſ.* 19. *Philip. Salmuth. centur.* 3. *obſ.* 23.

Adolphus Occo, monente *Schenkio obſ. med. lib.* 7. *fol.* 968 refert quendam forte in pera cantharides geſtantem ſanguinem minxiſſe, de quo cum quereretur apud eum, juſſus fuit, ut abſtineret cantharidibus, nec eas vel tractaret, vel in pera geſtaret: talem aliquando caſum *Helideum de Paduinis* Medicum Bononienſem inſignem ſibi retuliſſe idem *Occo* affirmat.

G. Fabrit autem *Hildanus centur.* 6. *obſ.* 98. *pag. mihi* 631. caſum narrat, quo cataplaſma cantharidibus, ac fermento acri conſtans, genuque applicitum maximum lumborum, renum, ventriſque dolorem excitaverit, nec non vehementis dyſuriæ, ardoriſque urinæ, cum quâ & guttæ profluebant ſanguineæ, cauſa fuerit. Ille

MEDICAL SOCIETY ESTABLISHED 1773

itaque caute iſtis quivis utatur, ſive intrinſecus, ſive extrenſecus, nec non circumſpectus ſit, cum remedia, quibus immiſcentur, cantharides, præſcribit, monet, nec fallatur copiâ, neve aliorum ſequatur præſcripta, qui integras quandoque dragmas, imò unciam, vel etiam unciam cum ſemiſſe ſimul, paucis fermenti acris unciis, aliiſve ſimplicibus adjectis, veſicatoriis admiſcent: quandoquidem namque leviſſimæ ſint cantharides, imo vel quinquaginta vix dragmam conſtituant, error facile quantum ad pondus committitur; quare illas numero cum aliis ſimplicibus præſcribi jubet.

Galenus lib. 3. *ſimpl. cap.* 23. caute obſervandum ait, ut parvo illæ numero, nec ſine aliis remediis admixtis præbeantur, ut hæc tanquam manu, ad veſicam ducant, nec tamen hanc rodant partem.

Mirabitur fortaſſis quiſquam tantam cantharidibus eſſe efficaciam, ut etiam exterius applicitæ energiam interius exerant. At conſideranti illas de ſale volatili, & per ſerum facile reſolubili, participare, idque per poros facile in venas, primo capillares, poſtea ad vaſa majora, & ſanguinis maſſam pervenire, eamque citiſſime tranſire, & in renibus ab eâ ſeparari, ac cum ſero ad veſicam affluere, ibique cruentam mictionem excitare, non uſque adeo mirum illud videbitur.

OBSERVATIO LXXXIV.

Membrum virile totum quantum reciſum.

SEnis cujuſdam in Noſocomio Scheveringano habitantis anno 1665. membrum, quo vir-cluebat, anumque gangræna invaſit. Cum itaque ad hunc cum Chirurgo *Henrico Molenyſer* vocatus eſſem, dicti membri maximam partem ſphacelo obſeſſam reperi. Quare non melius nos facere poſſe credidimus, quam penis partem emortuam, atque etiam illæſæ nonnihil partis abſcindere. Cupiebamus enim, tantum ei, quantum quidem poſſemus, exoptatiſſimi iſtius ubique gentium membri relinquere: licet eodem jam ſeptuaginta, & qui excedebant, annos natus ad liberorum procreationem non videretur uſurus. Portio itaque relicta fuit longitudinis, quæ pollicis non excederet latitudinem, ut hac retentâ commodius urinam excerneret, quæque ulteriori obſiſterent putrefactioni, admovimus medicamina.

Verumenimvero (ſive miſericordes nimium fuiſſemus, ſive ſanguinis ejus motus provectâ ætate tardior eſſet factus, quam qui putrefactioni ſe opponeret, (præſertim in parte, quæ ad hanc ſemper magis, quam aliæ, inclinat) ad ventrem uſque ſphacelum pervaſiſſe quam citiſſime animadvertimus. Siderata autem pars â ſincerâ ſeſe ſeparabat (quamvis non abſque remediorum ope) tam in pene, quam in ano. Ille tamen ſenex aliquot annos, quibus ſuperfuit, cornu bovillo inferius perforato uſus eſt, ac per hoc abdomini admotum erupturum exoneravit lotium.

IN OBSERVATIONEM LXXXIV.

Imperitiores clamantes audire videor, dicenteſque credere ſe virum, eo, quo vir eſt, membro reciſo, ſupereſſe non poſſe. Non equidem negem periculoſæ eſſe opus aleæ plenum, ſi virgam ſanam quiſpiam à ſano corpore dividat, quando multiplicia, quibus conſtat, vaſa immane quantum ſanguinis poſt ſciſſionem ejectura non leve læſo diſcrimen parerent. Aliter autem longe ſeſe res habet, ubi ſphacelo illa pars laborat: timor is namque tunc ceſſat.

De ſphacelo, ac putrefactione maximæ hujus membri partis vide *Bartholinum hiſt. anat. rar. cent.* 3. *hiſt.* 27. *cap.* 62. ac *cent.* 6. *hiſt.* 96. *pag.* 370. ut & *Tulpium cap.* 33. *lib.* 4. *pag.* 348. De ſphacelo autem, atque reciſione agunt *Platerus obſ. lib.* 2. *pag.* 541. *Scultetus Armament: Chir. obſ.* 60. *pag. mihi* 84. De putrefactione ejuſdem membri è venereâ quadam lue ortâ lege *Foreſtum lib.* 26. *hiſt.* 6. *pag.* 567.

Celebris Medicus *Stephanus Blankardus Collectan. med. phyſ. cent.* 4. *obſ.* 40. *fol.* 310. de juvene quodam memorat, qui viginti circiter annos natus, ac deſperatione in rabiem verſus penem totum quantum uſque ad ventrem reciderit, ac nihilominus à Chirurgo fuerit curatus.

N. de Blegnii Zod. Med. Gallici ann. 1. *obſ.* 6. *pag.* 49. cujuſdam meminit, quem quatuor latrones non nummis tantum, ſed & virili membro ſpoliaverint, unde ipſe tantum emiſerit ſanguinis, ut animo linqueretur. Hinc tamen poſtea paulo magis ad ſe rediens muſco ab arbore, ſub quâ jacebat, avulſo fluxum ſuppreſſit, atque ita repens in proximum pervenit pagum, qui horæ quadrante inde diſtabat, ubi trium menſium ſpatio ſanatus eſt.

Anthon. Benivenius Med. obſ. cap. 68. *fol. mihi* 233. Monachum ſe ſanaſſe tradit, qui caſtitatis Zelo ductus (quamquam non ita jubente Deo, aut ſanâ ratione) colem ſibi & quidem

 pube-

pubetenus abſciderat, quo è vulnere cum ſanguis copioſius efflueret, ac propterea medicamenta omnia vinceret, & exuperaret, arduum ſane, ac laborioſum fuit ejuſmodi profluvium ſiſtere, atque inhibere. Unumquodque enim vas ſanguiferum apprehendere oportuit, atque ita deligare ut ora præcluſa coirent. Quo facto reliquum curæ genus haud admodum difficile fuit, donec vulnus rite curatum penitus ſaneſceret.

In Turcia, nec non imperio magni Mogolis Imperatores, ac magnatum præcipui, ut omni omnino ſuſpicione, quantum ad fæminas, carerent, non contenti ſunt teſtes Eunuchis, qui illas cuſtodiunt, exſecuiſſe, verum & veretra miſeris tota recidunt: Hi autem per plumbeos tubulos, quos eum in uſum ſecum portant, urinas emittunt. Vide ſis hac de re *Roſſetum de partu Cæſareo ſect.* 4. *hiſt.* 6. *pag.* 103. *Busbequium Epiſt.* 3. nec non *P: Bellonium lib.* 3, *obſervat. cap.* 29.

Cardanus comment. in lib. Hippocratis de aëre, aquis & loc. ſect. 62. *text.* 19. Turcas ſuo tempore omnia ſpadonibus, queis viri internoſcuntur, demere ſolitos eſſe, plurimoſque ſanari ait, quod plurimo opio antea in profundum trahantur ſomnum.

Ut autem etiam, quo ſe delectet, habeat lector, ipſi quidem ridendum quid, ſed ei, qui paſſus fuit, deplorandum adſcribere lubet.

ie-

Wierus de Præſtigiis Dæmonum cap. 17. *pag. mihi* 225. ſcribit Nobilem quendam è Gallia Narbonenſi oriundum iter facientem, atque in Turcarum poteſtatem redactum in Thraciam fuiſſe deductum, ac Principi cuidam donatum, qui (prout opinatur *Wierus*) fuit *Bellerbecus* ille, qui ab hac Boſphori Thracici parte Macedoniæ imperabat. Ab eo non barbare (ut ſolent barbari) ſed, quod propter ætatem, formamque gyneceo deſtinaretur, quovis humanitatis genere fuit exceptus. Factum itaque fuit, ut hic tam ciborum, potuumve varietate, quam abundantiâ in ſomnum inciderit integri tridui: quo elapſo expergefactus, ac lotium excernere cupiens caſtratum ſe vidit, ac tum demum non ſine maximâ perturbatione animadvertit, quamdiu ſomno jacuiſſet obrutus, necnon quidnam in cauſa fuerit, ut tam opiparo, copioſoque exceptus ſemper convivio, ac quonam cibi genere tam alto correptus fuiſſet ſomno. Reverſus autem tandem ad ſuos illam dedit non initi matrimonii rationem.

Dubitabunt fortean nonnulli, an ſolis orbatus didymis ad actum venereum peragendum plane ſit ineptus?

Cornelius Conſentinus Progymnaſm: phyſ. 5. canem, exciſis teſtibus, alios generaſſe ſibi compertum ait. Alii etiam idem de equis, & tauris fatentur. Verum id fit eâ ratione (inquit *Thom. Bartholinus Anatom. reformat. lib.* 1. *cap.* 13) quod

quod ſuperſit ſine dubio in veſiculis ſeminalibus è teſtium generatione, quod ſemel ſufficiat, ſin ſæpius, jam alter teſticulus fuerat relictus.

Ipſe vidi (inquit *Schröekius ſchol. ad obſ.* 131 *Joh. Hellwigii*) canem libidinoſum admodum, licet duobus orbatum teſticulis, cui tamen tertius inſuper in inguine latebat, contrectatione facile obſervandus.

Verum quidem eſt ſpe prolis Eunuchos fruſtrari, aſt ſemini, ſimilem humiditatem emittere, atque ad Venerem incitari recte concludit idem. Licet enim ob teſtes ablatos nullus ſeminalis humor excerni poſſe videatur, contrarium tamen inde apparet, quod ille non à ſolis iſtis ſuppeditetur, ſed etiam à veſiculis ſeminariis diverſus à teſticulis influat, quæ in caſtratione non auferuntur, adeoque in actu venereo ſemen ſuum effundere poſſunt.

Quærat quiſquam, cur, quod viros à caſtratione præ hæmorrhagiâ nimiâ, non etiam bruta mortis maneat periculum? Ratio eſt: quandoquidem ob pronum inceſſum brutorum vaſa ſpermatica non adhærent firmiter proceſſibus peritonæi, ſed ſine contiguitate hos pertranſeunt, quare hæc reſecta ſurſum feruntur, contrahunturque, ac ſemet occludunt; Accedit, quod brutis terram ſpectantibus hæc vaſa diviſa commodius claudantur: at ſciſſa homini non item retrocedunt, coarctanturque, ſed valide proceſſibus iſtis adnaſcuntur, unde caſtrato (niſi

re-

remediis fluxum ſanguinis reſtringere aptis continuo juvetur) neceſſario moriendum eſt.

OBSERVATIO LXXXV.

Scrotum omne Sphacelo ſublatum.

TRiginta amplius anni ſunt, cum quendam itidem ſenem hîc Hagæ cum Chirurgo *Joh. vander Beets* viſerem, cujus ſcrotum, poſtquam id ipſum jam diu herniâ laboraſſet aquoſâ, tandem gangræna invaſerat, ita ut putrefactione ad ventrem uſque emoreretur, ipſique teſtes ſuis concluſi membranis conſpicerentur nudi. Hic tamen non ſine divinæ gratiæ ope aptis remediis priorem valetudinem conſecutus eſt: cutis enim recens, carnoſitaſque quædam à cute, carnoſâque abdominis membranâ proveniens deorſum crevit, ac teſticulos ſenſim contexit. Recens autem hoc ſcrotum glabrum omnino erat, rugiſque carebat, tamque arcte continebat teſtes, ut loco moveri non poſſent.

IN OBSERVATIONEM LXXXV.

EX hoc, aliiſque ſupra adductis exemplis conſtat non oportere Medicos, Chirurgoſque de mali cujuſdam curatione prorſus deſperare, licet quævis humana auxilia incaſſúm adhiberi videantur.

Joh. Baptiſt. de Lamzweerde obſ. 28. *pag. mihi* 250. duos haud abſimiles caſus refert de gangrænâ, quibus Chirurgi totum cum teſticulis ſcrotum recidere parabant, cui conſilio ſe cum aliis vocatis ſatis cautè obſtitiſſe, ac utrumque ægrum convaluiſſe ait.

Duo inſuper alia reperias exempla apud *D, Steph. Blankardum Collect. med. phyſ. cent.* 1. *obſ.* 8. *fol.* 6. ac *cent.* 3. *obſ.* 75. *pag.* 273. Ut & apud. *Fabrit. Hildanum cent.* 1. *obſ.* 48. *pag. mihi* 43. ac *cent.* 5. *obſ.* 77. *pag.* 468. ubi idem plurimos vidiſſe ſe ait, quibus ſphacelus ſcrota inſideret, quorum tamen nullus ſit ſanatus, quod genitales partes quam maxime putrefactioni ſint obnoxiæ.

Fr. Ignatius Thiermairius, cujus modo facta mentio, *lib.* 1. *conſultat. cap.* 8. *fol.* 106. ait *Joh. Ignat. Sattlerum* Med. Doctorem ſibi ſcripto conteſtatum eſſe ipſum Patavii vidiſſe puerulum quinque annorum, cui ſcrotum, occupantibus copioſe variolis ſuppuratis, exulceratum, ulcereque negligentius tractato, gangrænâ

grænâ in ſphacelum degenerante, corruptum erat, non ſine metu jacturæ teſticulorum, ſi ſphacelus ulterius ſerperet: quod præcavere non ſine effectu allaboravit dextre Chirurgus, quo factum, ut, deciduis partibus ſphacelatis, nudos in ſuâ tunicâ vaginali repoſitos teſticulos videre licuerit ſine ſcroti operculo; ejus tamen regenerationem poſt ulceris canonicam curationem per ſarcotica, & epulotica feliciter puerulus obtinuit.

OBSERVATIO LXXXVI.

Infantis penis non perforatus.

SIcuti puellæ quandoque clauſis naſcuntur vaginis (quod pluribus probaverim teſtimoniis) ita pueri interdum occluſis prodeunt virgis. Hujuſmodi exemplum vidi cum Chirurgo *Adriano vander Cruys*, in nautæ cujuſdam filiolo, cujus maſculi membri anterior pars non erat perforata, vel minimum ſaltem aperturæ indicium ſolito gerebat loco, quæ tamen tranſmittendo lotio non eſſet apta. Ita ut procedente tempore aliam ſibi aperuerit urina prorumpens viam, ſub freno videlicet penis. Infans tamen, quoniam

niam recens natus erat, fideli Chirurgi operâ hoc incommodo fuit liberatus.

IN OBSERVATIONEM LXXXVI.

VAria clauſarum virgarum exempla paſſim habent ſcriptores noſtri; quibus, ſolito deficiente tranſitu, urina alium ſibi aperuit vel infra glandem penis (uti præcedenti obſervatione patet, ac mox de adultiore dicetur) vel in mediâ urethrâ, aut etiam circa penis radicem prope pubem, ipſove quandoque in perinæo.

D. Melchior Fribe obſ. 98. *miſcell. med. phyſ. an.* 3. *pag.* 158. virum quendam ſe noviſſe tradit, cui penis non ſolito loco, ſed infra prope frenum perforatus eſſet; per quam aperturam idem non urinas tantum, ſed & genituram egereret. Duxerat bis uxorem ille, ac ſex genuerat liberos, nec minus, quam alii, coitu delectabatur. Nec diſſimile eſt, quod tradit *G. Samuel Poliſius obſ.* 106. *miſcell. med. phyſ. decur.* 1. *an.* 9. *pag. mihi* 265. de ſeneſcente, qui ejuſmodi male formato pene prodierat; ac licet hic ſolito loco foraminis quoddam gereret veſtigium, ſeminis tamen urinæque excretioni non ſufficiebat; hæc tamen ille per aperturam infra glandem abſque incommodo egerebat. Uxorem duxerat, liberos autem non procreabat.

Apud *Benivenium cap.* 90. *pag. mihi* 259. de puerulo legere eſt, qui, obſtructâ anteriore pe-

nis

nis parte, per anguſtum foraminulum infra glandem urinas ejiciebat, quod earum vi paulatim eo loci factum erat, quamvis non ſine lacrimis, membrique illius tumore procederet ejectio. Idem quoque de puero refert, qui, licet pene perforato, meatum tamen urinarium fune mediâ in virgâ, inſciis parentibus, ne noctu lectum permingeret, præcluſerat. Ita ut vinculum iſtud, quamquam impete ferretur, removere neſcia urina duobus locis tumentem admodum aperuerit penem; quæ foramina, non niſi hac viâ tranſeunte urinâ, atque oris etiam temporis proceſſu callo obductis, ſanari nunquam potuere. Meo quidem judicio, niſi cutis forſan fuerit minus tenuis, foraminis labia incidi, & abradi potuiſſent, inductâ interim antrorſum in penem plumbeâ, vel argenteâ cannulâ, donec medicamentis idoneis cicatrix nata fuiſſet, remanſurâ.

Simile præcluſi fune penis exemplum *Bierlingus obſ.* 204. *pag.* 305. *Ephemerid. med. phyſ. German. fol.* 305. ſe vidiſſe ait in puero, cujus virga ſupra locum, quo præcluſa erat, tota ſphacelo corrumpebatur, ac putrefiebat. Ille autem per factam, qua proxime ventri adhæret, penis aperturam, poſtea ſemper abſque incommodo lotium excrevit.

De infante bimulo ſcribit *Amatus Luſitanus Curat.* 27. *Centur.* 1. *pag.* 42. cui, pene non perforato, nec ullo foraminis loco debito exi-

ſtente

ſtente ſigno, prope teſticulos per aperturam egrederetur urina.

Pueri trimuli meminit *Gerh. Blaſius obſ. med.* 5. *pag.* 39. qui recte alioquin ſe habens lotium per foramen in perinæo excreverit prope penis radicem, hic enim nullum omnino permittebat tranſitum, nec ullo tegebatur præputio.

Caſus ejuſmodi meminit *Theod. Kerckringius obſ.* 54. *pag.* 115. de egeno quodam, cujus in cadavere infra ſcrotum fiſtula fuerit reperta, per quam multos annos, perforatâ ipsâ etiam veſicâ, nec non tranſitum negante virgâ, urinas emiſerit.

OBSERVATIO LXXXVII.

Fungus Cancroſus in interiori Matricis colli parte.

HOneſta quædam vidua hic Hagæ habitans, quadraginta circiter annos habens, temperamentique calidi, ac ſicci, nec non atrâ (quam jam olim dixere) infeſtata bile de tumore quodam extra corpus propendente mihi queſta eſt, quem non parum incommodi ſibi adferre, quoque velut ſtimulis aſſidue ſe pungi dixit; fætore inſuper in

ingenti illum abundare, ac, inſtantibus catameniis, extendi, ampli oremque fieri multo aſſeruit.

Quamobrem non parum ſollicita meam imploravit opem. Ipſe autem ſuaſi, uti, præparato, prout deceret, corpore, quicquid hoc eſſet tumoris (malignum namque perſpexeram) Manuali Chirurgi operâ tolli juberet. Cum itaque (neque enim alium mali finem videbat) conſentiret, rem cum Fratre *Johanne Stalpartio vander Wiel*, nec non cum tunc quidem Chirurgo, nunc autem & Medico *Cornelio Solingio* communicavi, perpendique. Tumorem itaque hunc exacte perſpectum Fungum, ſive colli matricis excreſcentiam cancroſam, eſſe comperimus, anteriori quidem parte latiorem, poſteriori vero anguſtiorem. Statuimus idcirco baſin hujus excreſcentiæ, ſi contingere daretur, valido cingere filo, ac quotidie paulo arctius vincire, ut, ſiquidem fieri poſſet, tumor à ſanâ parte ſeparareretur. Rem itaque aggreſſi duplici fili circuitu anteriorem, craſſioremque excreſcentiæ cinximus partem;

Chirurgus autem, quod utramque manum eodem tempore vagina non admitteret, digitis ſenſim eo uſque promovit filum, ut baſin attigiſſe crederet: Tum vero ob viæ anguſtias præpediebatur vinculum contrahendi facultas. Id tamen ut perficeretur, nihil conſultius duximus, quam ſi utramque fili extremitatem craſſiori, firmiorique alligaremus ſpecillo, ut, hoc contorto, illud contraheretur, coarctaretque excreſcentiam; hoc autem ita ſucceſſit, ut illa intra quatuor, vel quinque dies alimento deſtituta protinus decideret.

Erat autem magnitudinis hic Fungus, qualem ſeptima dat Tabula, cujus litera A. anteriorem Fungi partem duos digitos latam è vulva propendentem, B. ſuperiorem partem uteri cervici annexam, triumque digitorum latitudine ab anteriori diſtantem, C. C. Baſis craſſitiem, D. autem membranam Fungo adhærentem notant.

Tab: 7.



IN OBSERVATIONEM LXXXVII.

CAſum huic noſtro admodum ſimilem refert *G. Segerus miſcell. med. phyſ. Germ. dec.* 1. *an.* 2. *obſ.* 21. *fol.* 200. de honeſtâ, & piâ viduâ, atque temperamento melancholico præditâ, annorum circiter 47. cui excreſcentia fungoſa, fætens, & ſphacelo poſtmodum correpta, uterique prolapſum mentiens propendebat è vaginâ, poſt cujus extirpationem ægra è vitâ diſceſſit, cujus cadavere aperto, ſphaceloſam illam ſubſtantiam nihil aliud fuiſſe compertum eſt, quam excreſcentiam fungoſam ex uteri collo majori prope veſicæ orificium enatam, ac à menſium, & corruptorum humorum affluxu procul dubio ampliatam, atque dilatatam. Ejuſmodi fere excreſcentiæ mentionem faciunt dictæ *Ephemerides German. dec.* 2. *an.* 2. *obſ.* 186. *fol.* 413. &c.

De maligno fungo ſcribit *N. Tulpius obſ. med. lib.* 3. *cap.* 33. *pag. mihi* 247. qui è vaginâ exciſus gallinaceum æquaret magnitudine ovum; Ex hoc autem proxime ſequenti anno eodem apparente loco temporis tractu malignum, fætidumque ulcus natum, cui purgando, abluendoque mulieri aſſidue ſiphone aquâ repleto opus fuerit, addit.

Idem *dicti lib. cap.* 34. *pag.* 251. *de maximâ uteri agit excreſcentiâ*, quæ exciſa pugno magnitu-

nitudine par eſſet; hanc autem craſsâ, firmâque exterius cinctam membranâ, at interius albeſcentem, ac glanduloſam fuiſſe ſcribit, at poſtea non rediiſſe.

Theod. Kerckringius obſ. anat. 53. *pag.* 113. de muliere quadam memorat Coloniæ Agrippinæ habitante, cui in interno uteri ore carnoſa fuerit excreſcentia, quæ per totam ſeſe diffundens vaginam, atque extra corpus propendens multis uteri procidentia credita ſit.

Plura ejuſmodi habent *Victor Trincavellus lib.* 9. *cap.* 15. *Aretæus acut. lib.* 2. *cap.* 11. *Hieron. Fabr. ab Aquapendente Oper. Chirurg. cap.* 85.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Cancer in Urinario fæminæ meatu.

ANno 1672. cum Chirurgo *Cornelio Solingio* vocatus fui ad mulierem hic Hagæ commorantem, quæ urinas excernere nequiens de maximo pudendorum dolore conquerebatur. Nobis autem, ut obſtructi lotii inveniremus cauſam, cathetere utendum fuit, cujus ope ſatis commode urinam depromſimus: ac tum quidem cancroſum in urethrâ ul-

ulcus latere comperimus, quo illa pene tota exeſa erat. Illa autem nunquam niſi dicti inſtrumenti adjumento lotium egerere valuit, ac non multo poſt miſera admodum vitâ exceſſit.

IN OBSERVATIONEM LXXXVIII.

MUltum, inquit *Tulpius obſ. lib.* 4. *cap.* 37. *pag. mihi* 353. de externo, internoque cancro diſſeritur; quis autem, veſicæ cancri unquam meminit? Hujus tamen ipſe evidens vidi exemplum in Mercatore quodam Brabanto, cui, calculo è veſicâ etiamnum juveni exciſo, nunquam per virile membrum, ſed per inteſtinum rectum urina profluxit.

Nullibi præterea de cancro veſicæ, meatuſve urinarii legiſſe memini; ſed mulierem etiamnum viventem novi, quæ ante ſex fere annos pudendo in durius corpus impacto cadens urethram læſit, quæ læſio cum propter continuum lotii tranſitum nullâ ſanari poſſit ratione in malignum forſitan degenerabit ulcus.

OBSERVATIO LXXXIX.

Anus maligno ulcere exeſus.

INter omnia humani corporis membra nullum facilius illuvies, atque excrementa corporis excipit, vel excepta ſervat, ac ab iis damnum accipit, quam anus, eique viciniores partes, quod & hæ per ſe humidiores molliores, rarioreſque ſint, ac propterea ſuperfluitatibus recipiendis magis pateant, conſequenterque tanto magis putrefactioni ſint obnoxiæ, ut jure merito totius corporis cloacam dixeris.

Carolo de Meeſter ſeni anus maligno ulcere ab internis hæmorrhoidibus orto ita ſucceſſu temporis exeſus fuit, ut, abroſis omnino illius muſculis, nullo conamine inferiora claudere poſſet, ideoque non tantum procideret inteſtinum rectum, ſed &, vel invito fæces decederent.

IN

IN OBSERVATIONEM LXXXIX.

TRiſte profecto malum hoc erat, nec multis tantum erat comitatum incommodis, quod aſſidue nunc huic, nunc illi lateri incumbere teneretur, dum ſupinus jacere non poſſet, nec erectiori ſedere corpore, ſed multum præterea adferebat doloris, ac immane quantum impuriſſimi fœtoris. Sicuti autem ejuſmodi circa has partes ulcera multum negotii faceſſunt Chirurgis, ac rarius ab iis (præcipue quando inveterata ſunt) ſanantur, ita etiam noſter ſenex propter ætatem, atque infirmitatem nulla ratione, incaſſum applicitis remediis, curari potuit, ſed inter dolores maximos è vivis exceſſit.

De ſingulari anus exulceratione ſcribit *A. Herm. Cummenus Ephem. German. decur.* 1. *anni* 3. *obſ.* 181. *fol.* 343.

De hujuſmodi malorum cauſis, ac curatione optime ſcripſit *Petrus Marchettus pag.* 148, &c. qui illa è morbo venereo utplurimum oriri ſtatuit, quamvis etiam è dyſenteria, ac hæmorrhoidibus proveniant.

Videri etiam poſſunt *H. Fabrit. ab Aquapendente Operat. Chirurg. fol.* 103. *cap. de ani ulcere, & fiſtulis*, item *lib.* 3. *operat. Chirurg. cap.* 12. *fol.* 146, nec non *Platerus de podicis dolore cap.* 15. *pag. mihi* 544, ac *Montagnana de ægritudine ani pag. mihi* 670.

OBSERVATIO XC.

Calculus per ulcus prope inguen emiſſus.

MEnſe Junio 1660. cum Chirurgo *H. Dorlè*, intellexi filium *J. Brouwer* decem annos natum, ad quem vocatus eram, per aliquot dies nihil omnino lotii excernere potuiſſe, nec tamen tunc quidem ulla notabilia calculi renum deprehendimus ex accidentibus indicia, cui licuiſſet urinæ retentionem attribuere. Nulla inſuper aderant ſigna, quæ veſicæ proderent calculum, quoniam Chirurgus, aliquoties immiſſo ad facilitandum lotii tranſitum catethere, nihil omnino obſtaculi, duritieive ſenſerat. Poſtquam itaque puer hic dies aliquot ſatis miſer tranſegiſſet, in dextra parte prope ſcrotum, nec procul à virgæ radice, verſus inguen abſceſſus apparuit, qui non ita diu poſt verſus partem exteriorem rumpebatur: hæc tamen antequam fierent ſcroti, nec non penis cutis, præputiumque ita intumuit, ut incidere hoc neceſſe habuerimus, ut apte

te ad urinæ tranſitum promovendum intromitti poſſet catheter. Tandem vero calculus phaſeoli inſtar, variegatoque colore, ut ſolet marmor, prodiit. Puer autem tam per virgam, quam per foramen prope inguen continue tribus etiam poſt annis lotium excrevit, quamquam hoc ſenſim minutum; ac tandem ſánatum fuerit.

IN OBSERVATIONEM XC.

DE loco, unde hic originem traxerit calculus, varia conſideranda ſunt. *G. Fabrit. Hildanus lib. obſ. Chirurg. cent. 6. obſ.* 57 memorat, ut *Valentinus Vôegler* quadraginta annos natus ſatis diu ſtranguria, ac urinæ difficultate, non abſque vehementioribus cruciatibus, licet nulla (quantum quidem ſciret) exiſtente externa cauſa, fuerit infeſtatus. Quæ cum in duodecimum uſque annum perſeveraſſent ſymptomata, ac graveſcerent indies, poſt ſex tandem annos urina emitti omnino non potuit per penem, & in ſcroto, pudendorumque loco fiſtuloſa nata ſunt ulcera, per quæ ab eo uſque tempore abſque majori incommodo, vel dolore lotium effluxit, nonnullis etiam horum variis temporibus occluſis, alia iterum aperta ſucceſſere. Abſceſſu autem novo, ac ingenti tandem in ſiniſtro ſcroti

ſcroti latere conſpecto, perruptoque, calculus provenit unciam circiter ponderans. Ex quo tempore per ulcus à lapide factum urinæ abſque dolore aſſidue profluxerunt. Interea autem præter illud ulcus ſex inſuper alia fuere reperta, unum videlicet prope pubem, tria ad radicem penis, ſcrotique initium, aliaque duo ipſo in ſcroto. Hujus autem obſervationis ſcriptor ſibi ſatisfacere non poſſe, ac hærere videtur, undenam ortus fuerit hic calculus, vix enim credere ſe ſcribit in veſica natum propter adjectas rationes. Multo magis autem eundem prope penis radicem, unde etiam prodiit, creviſſe ſtatuit, pro qua opinione nonnulla adducit argumenta.

Verum potuiſſet etiam in corpore glandoſo, quod ad veſicæ collum locatur, naſci hic lapis, cujus rei duo exempla *Marcellus Donatus lib.* 4 *de Med. hiſt. mirabili cap.* 30. *pag. mihi* 523. profert. De lapidibus in glandoſo corpore, quod collo veſicæ adhæret, repertis, mentionem facit *Schenkius lib. obſerv. pag. mihi* 586, ut & *Ephemerid. German. an.* 6 *obſ.* 206 *fol.* 304, nec non *Anth. Benivenii obſ. med.* 78, ac *Thom. Bartholinus centur.* 4 *hiſt* 8 *fol.* 227. Crediderim etiam calculum ejus, de quo obſervavi, eodem loco natum, quod major eſſet, quam qui per uretherem emitti potuiſſet; imo multo magis eidem inhæſiſſet, quod ſequenti probatum imus obſervatione.

OBSERVATIO XCI.

Calculus per inguen prodiens.

VIdit Frater meus *Joh. Stalpartius vander Wiel*, ut & Chirurgus *Arnoldus de Wilde*, in Hagienſi πτωχείῳ quindecim annorum adoleſcentem, cui poſt diuturnum dolorem, cujus cauſa erat ureteri inhærens calculus, tandem ulcus in inguine ortum eſt, per quod ille exiens ægrum dolore liberavit, fiſtulâ tantum ibidem ſuperſtite, per quam continue guttatim urina ſtillabat.

IN OBSERVATIONEM XCI.

HOc profecto miræ quid rei eſt, nec memini quidquam ſimile, ſi ſecuturum mox excipias, legiſſe. *Franciſc. Roſſetus de partu Cæſareo ſect.* 3. *cap.* 7. *pag. mihi* 59. de *Trahardo* quodam ex Normanniâ Galliæ orto, ac in pago, cui *Han* nomen, habitante, memorat, ut nempe, poſtquam jam diu nephritico dolore fuiſſet vexatus, ſenſerit cruciatus, priſtinâ ſede relictâ verſus anteriora verti ad ureterem videlicet. Varia illi itaque præparata fuere enemata,

quod

quod colico morbo laborare crederetur, quorum nonnulla vomitionibus propter mali ferociam ejecit. Maximus autem inter inguina tandem apparuit tumor, è quo aperto Chirurgus lapillum fabæ inſtar eduxit, nec non puris aliquid urinâ mixti. Ex loco, (ita pergit *Roſſetus*) qui prope anteriorem corporis partem erat, facile ſtatuere licuit lapidem non recenter ex rene, utpote in poſteriori parte ſito, proveniſſe: Quapropter non niſi ex eo loco prodiiſſe dici potuit, quo ureter veſicæ ſeſe conjungit, unitque. Neque enim veriſimile eſt veſicæ fuiſſe calculum, cum quod hæc alibi ſita ſit, medio nempe in abdomine, tum quod urina, quæ per alium ureterem ad veſicam fluebat, ex ægrotantis voto per penem egrederetur.

Ille autem quamquam hæc ſeſe ita haberent, ſemper per factam aperturam lotium egeſſit, ac annos aliquot, non ſine continuâ ſtillatione, ſatis ſanus ſuperfuit ſpongiâ aptatâ urinam excipiens.

Addit & alterum idem *Roſſetus* de muliere exemplum, quæ & calculum ſimilem, & per ſimile apoſtema pari in loco ortum, rejecit: paribus quin etiam ſymptomatibus relictis, ita ut urinam per annos viginti, & plures per vulnus reddiderit.

Magnam interdum fieri ureteris diſtenſionem ab obſtructione calculi, aut materiæ ſabuloſæ, adeo ut interdum diſrumpatur, diximus Scholio

lio ad obſ. 52. Hunc etiam ab acri humore exulcerari poſſe olim mihi videre contigit in lanione, quem curavi detergentibus, & renibus appropriatis remediis.

OBSERVATIO XCII.

Calculi infra inguen ex Ulcere prodeuntes.

Quoniam in cibis, ac potu calculoſa quædam latet materia, non uſque adeo mirum cuiquam videatur, ſi in quibuſvis fere humani corporis partibus, ad quas deferuntur alimenta, etiam calculi quandoque gignantur. Nec hujus rei veritatem uſus diuturnior tantum, ſed & plurimi, jam olim ſcriptis viri confirmarunt; ut ſupra obſerv. 12 probavi.

Ipſe ego cum Chirurgo *Guilhelmo Borgogne* anno 1682. reperi aliquot calculos inſolito quodam corporis loco, videlicet paulo infra inguen cujuſdam triginta annos nati, qui ſex ante menſibus primo tumorem, duritiemque eo loci ſenſerat, cui magis paulatim cru-

cianti,

cianti, intumeſcentique cataplaſma applicuit, ac poſt ejuſdem perruptionem dictus Chirurgus arceſſitus diverſis temporibus lapidum fruſta aliquot inde eduxit, quæ inter unum erat nucis moſcatæ inſtar, ac pumicis ſubſtantiæ admodum ſimile, ſed colore candidiore. Diu etiam poſtea ulcus illud ſuperfuit, antequam omnino ſanari potuerit; veriſimile namque erat lapillum hunc membranâ fuiſſe cinctum.

IN OBSERVATIONEM XCII.

NUſpiam, quod ſciam, de lapillo in inguine orto legi, niſi apud *Joh. Arculanum in nonum libri Rhaſis cap.* 104 *de lapide, fol. mihi* 677, qui talem ſe Veronæ cum præſtantiſſimo Medico *Benedicto de Leonibus* vidiſſe memorat. *Schenkius obſ. medicin. lib.* 5. *pag. mihi* 735 tradit eundem *Arculanum* (prout ipſe teſtatur *comment. ad cap.* 69. *Avicennæ de febre ſextana, ſeptana, & ſimilibus*) ſuo tempore cum eodem *Benedicto* ulcus in mulieris cujuſdam inguine vidiſſe, in quo tres reperti lapides ſinguli caſtaneam magnitudine æquantes, ac forma rotundiore, duritie autem gypſo ſimiles fuerint.

OBSERVATIO XCIII.

Pili in abſceſſu.

NOn experientia tantum, ſed & fide dignorum virorum ſcripta abunde teſtantur dari quandoque abſceſſus, in quibus variæ admodum reperiantur materiæ, quales ſunt arenæ, calx, amurca, lapideſque (de quibus tres proximæ egerunt Obſervationes) nec non oſſicula, pili, ſevumque, ac mucus ovi albumini non diſſimilis, de quo obſervatio noſtra vigeſima. Ipſe ego annis abhinc plurimis cum Chirurgo *Henrico Haſſelmans* mulierem quandam hic Hagæ viſitavi, cui abdomen abſceſſus inſidebat palmæ fere latitudinis infra umbilicum diſtantiâ, è quo quavis obligatione plurimi pili craſſiori, pinguique cuidam materiæ admiſti provenerunt.

IN OBSERVATIONEM XCIII.

ILlo in abſceſſu pilos fuiſſe repertos ne quis adeo miretur, quoniam prope locum erat, quo utplurimum capilli creſcere ſolent; quare etiam

etiam nonnulli ſtatuunt non reperiri apoſtemata, è quibus pili prodeant, niſi locis, quibus hi naſci conſuevere.

Quamquam mulieris cujuſdam mentionem faciat *Joh. Rhodius obſ. med. cent.* 3. *cap.* 44. *fol. mihi* 166 cujus aſcite extinctæ, ac à *Platero* Baſileæ, *G. Fabrit. Hildano*, aliiſque ſpectantibus, diſſectæ teſtis dexter ovo anſerino craſſitie par tumens, ac purulentus minoribus pilis, mediumque digiti longitudine æquantibus, quâdam materiâ putri conglomeratis, interiorique membranæ adglutinatis refertus fuerit. Qualem caſum centur. noſtræ ſecundæ obſervat. 37 legere eſt. Simile quid *Bauhinus* vidit *Lugduni in Batavis* anno 1578, teſte *Schenkio lib.* 4. *obſ.* 116. *pag. mihi* 613, *G. Horſtius etiam lib.* 4. *de morbis infimi ventris obſ.* 53. *pag. mihi* 249 (ubi de pilis quoque ſcribit) ſibi mulierem cernere contigiſſe tradit, cujus in utero pili inſtar lanæ flavæ, pinguiori materiâ admixta, fuerint reperti.

Mirum plane eſt, quod *Benivenius pag. mihi* 252. *cap.* 83 de homidica quodam tradit, cujus cor intus crinibus ubique fuerit plenum; Nec minus admiratione dignum, quod *Amatus Luſitanus cent.* 6. *curat.* 65. *pag. mihi* 623 de quodam Ferraræ diſſecto ſcribit, cujus cor intus paſſim fuerit pilis veſtitum. Idem à *Valerio Maximo lib.* 1 *de miraculis ſect.* 15. *pag. mihi* 125, de Tribuno *Ariſtomene Meſſenio* memoratur. Ut & a *Plinio lib.* 11. *cap.* 37.

Galenus in Aphoriſ. 76. ſect. 4. Hippocratis, ut & *6. de loc. affectis cap.* 3 meminit pilos, vel aliud quidquam his ſimile; medium pedem longos cum urinis fuiſſe excretos. *G. Horſtius pag. mihi* 249. *lib.* 4. *obſ.* 73 etiam de pilis per penem ejectis agit. *Tulpius obſ. med. lib.* 11. *cap.* 52. *fol. mihi* 187 itidem de capillis ſcribit cum urinis ſtato poſt duarum hebdomadarum intervallum tempore à quodam per annos continuos plus quatuor non ſine acerrimo inter mingendum dolore, totiuſque corporis perturbatione excretis.

Erant autem illorum quidam integrum, dimidium verò quidam digitum longi, ſed muco ita involuti, ut raro ſeparatim, ſed plerumque prodierint conglobati: Hujuſmodi autem excretio ſingula per quatriduum continuabatur, cæteris diebus dolore, pilorumque ejectione ceſſantibus. De abſceſſu piloſo in muſculo bovino legatur *Bartholinus cent.* 1. *hiſt.* 100.

OBSERVATIO XCIV.

Oſſea excreſcentia.

SIcuti carnis nonnunquam excreſcentiæ (Σαρκώματα Græcis) hic illic exterius in corpore conſpiciuntur, haud aliter, quamquam rarius, contingit, ut ipſa præter naturam quodammodo

excreſcant oſſa. Hujuſmodi ſatis magnam oſſis tibiæ exoſtoſin ipſemet olim cum Chirurgo *du Foix* vidi. Hoc autem quidquid eſt mali non melius ſuſtuleris, quam ſi ipſum tibiæ os ad uſque ſinceram radatur partem, uti & ſtatuit *Marcus Aurelius Severinus de efficaci Chirurgiâ part. 2. cap. 12. fol. mihi* 142: quo facto pulvere catagmatico conſpergendum illud, vel ſi hoc minus juvet, adurendum eſt.

Aliter etiam diuturnius, ac difficultatis plenum eſt hoc malum.

IN OBSERVATIONEM CXIV.

HIppocrates lib. de articulis contuſis, ruptis, aliove modo læſis oſſibus pituitoſum quendam accreſcere ſcribit humorem, quo multum afficiatur ipſum os; hunc autem humorem *Galenus* adeo tenacem, viſcoſumque ait, ut nullo cataplaſmate, nullis emollientibus ad maturitatem perveniat, nec ullis ad exhalationem perducatur fomentis. Lib. autem *de Tumoribus præter naturam cap.* 15. *Claſſe* 3. *fol. mihi* 84, *&* 14. *meth. cap.* 17. *claſſe* 7. *pag. mihi* 93 exoſtoſin vocat cujuſpiam oſſis eminentiam intrinſecus à melancholica ſuperfluitate profectam. Viſitur autem hæc, teſte eodem his, qui elephantia-
ſi

ſi laborant. Certum utique eſt ipſum os, quamdiu naturali modo nutritur & augetur, ſolitam ſemper retinere formam, magnitudinemque: Quando autem aliquo vitio laborat nutrimentum, vel intemperie quâdam afficitur ipſum os, tum non tantum ejus ſubſtantia, ſoliditaſque corrumpitur, ſed & ipſa mutatur forma.

Martinus Bogdanus obſ. med. 12 *poſt Lyſeri Method. pag. mihi* 284. De octodecim annorum juvenis oſſe tibiæ memorat, quod à ſupremâ ad uſque infimam partem intumeſcebat admodum, extendebaturque: hoc autem malum jam ſex annos juvenem illum ſummo affecerat dolore, necquicquam Medicorum, Chirurgorumque implorata ope, ità ut ipſum os hic illic jam quodammodo exeſum neceſſario tandem fuerit extirpandum.

Celſus lib. 8. *cap.* 10. *fol.* 126 hoc malum oſſis cancrum dicit; *Barbette autem Anatom. pract. pag. mihi* 13: oſſis corruptionem duplicem eſſe ait ὀστόμυζον ſcilicet (*Beenzuyger* ipſi) & ὀστόφαγον (*Beenvretter*, ſive cariem) quæ duo ita differre vult, ut nempe prioris cauſa ſit pituita quædam præternaturalis, quæ os temperie ſua, duritieque privat, unde caro illi non ita adhæret, quamobrem & hæc, naturali forma mutata, fungoſa evadit, ſenſimque intumeſcit. Os autem fit molle paulatimque corrumpitur, Poſteriorem autem ſive cariem ex acri humore naſci ſtatuit, qui, primo quidem corrupto oſſe, mox

& membranam exedat, nec non ſubita exulcerationis, quæ carnem, cutemque afficiat, cauſa ſit.

Tulpius lib. 4. *obſ. med. pag. mihi* 315 acidam, malignamque pituitam cauſam ponit, quæ ſolidam oſſis ſubſtantiam corrumpat, emolliatque. Idem & hoc loco exemplum viri cujuſdam adducit, cui os humeri plurimum increverit, intus autem molle, corruptumque fuerit.

Huic *Tulpianæ* opinioni omnino aſſentior; quandoquidem & ipſe olim ejuſmodi craſſam, tumidamque puellæ tibiam viderim, quæ cacochymica admodum erat, praviſque ſcatebat ſuccis, quamvis hæc poſt illius obitum non fuerit aperta. Simile mulieris cujuſdam monſtroſi brachii exemplum habet *G. Fabrit. Hildanus pag.* 341. *obſ.* 69.

Hujuſmodi etiam excreſcentiæ in pecudibus aliquando reperiuntur; quæ autem hominibus obveniunt quamquam non ſemper (uti modo diximus) plerumque tamen lui venereæ inveteratæ originem debent.

OBSERVATIO XCV.

Oſſis tibiæ fiſſi terebratio.

NOn capitis tantum, ſed & tibiæ, ſternique, atque alia noſtri corporis oſſa perforationem quandoque requirunt.

runt. Hujus rei, cum primum laborantibus ſuccurrere inciperem, exemplum vidi in Juvene quodam, tunc quidem temporis *Nobiliſs. admodum D. vander Myle* famulo, cui tibiæ os equus calce percuſſerat: Vulnus autem illud ſanatum fuit, nulla intus latentis mali ſuſpicione ſuperſtite, quanquam continuo vexaretur dolore famulus. Conſultus igitur Chirurgus ille, cujus ſæpius memini, *du Foix* fiſſum os tibiæ credidit, ita ut hoc longe, lateque tegminibus ſuis privare conſultum duceret, ut terebrationi aptus daretur locus. Conſentiente itaque læſo durum hoc, immenſique doloris plenum manuale opus hunc in modum cœptum eſt: Primo quidem novaculâ tibiam quater uſque ad ipſum os incidit, deinde digitis cutis cum carne, ac oſſis membrana avulſa eſt, ita ut quadratum, perforationique, quæ poſtridie fiebat, aptum relinqueretur foramen. Atque ita ille non dolore tantum liberatus, ſed & priſtinæ ſanitati omnino fuit reſtitutus.

IN OBSERVATIONEM XCV.

C*Elſus lib. 8. cap. 2. pag.* 696 ſcribit. *Si caries oſſis alte deſcendit, per terebram urgenda crebris foraminibus eſt, quæ altitudine vitium æquent. Tnm in ea foramina demittenda candentia ferra ſunt, donec inde ſiccum os ex toto fiat.*

Licet autem hujuſmodi terebratio cranio utplurimum accidat, aliis tamen oſſibus uſui eſſe poteſt; Idem namque malum quibuſcunque obveniat oſſibus eodem tollendum eſt remedio. Sic oſſa fracta, fiſſa, vel mucrone quodam læſa contuſave diverſam quidem pro conſtitutione ſua, ſed ejuſdem tamen remedii requirunt ſpeciem.

Intus corrupta oſſa fuiſſe terebrata variis demonſtraverim exemplis. Nunquam tamen os quoddam ſive tibiæ, ſive alterius partis (præter cranium) propter fiſſuram fuiſſe perforatum, niſi obſervationis noſtræ caſu, probaverim.

Ejuſmodi vero oſſium fiſſuræ *fracturæ afferales* dicuntur. Ideo autem applicandum his eſt trepanum, quod fiſſura, è quâ continue aliquid intrò ſtillat, ſeſe uſque ad medullam penetret, unde multum mali. Perioſtium inſuper inter deambulandum ſæpius intra fiſſuram ſtringitur, multumque læditur, unde non immanis tantum dolor exoritur, ſed & ſtillicidium ſuper medullam plurimum augetur. *Jo-*

Jobus Mekeranus cap. 69 obſ. med. Chirurg. pag. 429. de oſſis tibiæ corruptione agit, quod tribus foraminibus ſibi invicem contiguis admodum, ac terebrando factis, fuerit ſanatum.

Fieri autem poteſt, ut os ſternum perforatione aperiendum ſit, ſi pus videlicet intra mediaſtini duplicaturam contineatur, cujus rei obſervatio vigeſima nona mentionem fecit.

OBSERVATIO XCVI.

Totum tibiæ os corruptione exeſum.

PRæſtantiſſimus Chirurgus *la Marche* Delphis Batavorum habitans retulit mihi opiferas ſe manus applicuiſſe quatuordecim annorum adoleſcenti cui diutius caries tibiæ os exediſſet, ita ut longiore morâ totum os corruptum ſuſtulerit Chirurgus; cujus in locum ſenſim accreſcens callus tandem ita ſucceſſerit, ut abſque fulcro adoleſcens ille poſtea inceſſerit.

IN OBSERVATIONEM XCVI.

NOn equidem negaverim contingere ſæpenumero, ut tibiæ, alteriuſve oſſis pars ita

corrumpatur, ut emortua à ſanâ ſeparetur: noxia namque, atque inutilia, præſertim in junioribus, adeoque fortioribus, à corpore plerumque amoventur, arcenturque.

Obſervationi noſtræ non diſſimile quid memorat *Roonhuſius pag.* 233. de puellâ quadam, cujus os femoris, ingenti admodum fruſto ablato, brevius tamen non evaſerit, minuſve inceſſui inſervierit: fruſti autem figuram, quam adjecit, habet Tabula pag. 241.

Hujuſmodi autem rariora magnarum corruptorum oſſium partium, ac ab incorruptis diſtinctarum exempla apud varios occurrunt ſcriptores, inter eos etiam apud *Albucaſin*, & *Mekeranum cap. 66. fol.* 414. Tantum autem callum produci potuiſſe, qui totius tibiæ oſſis ſuppleverit vicem, quis non miretur?

Thom. Bartholinus Act. med. vol. 3. *fol.* 1. *obſ.* 1. caſum noſtro ſimilem adducit, quo totum exciderit tibiæ os, quod tamen ita reſtituere viſus fuerit callus, ut parum incommodi incedens ille, qui laboraverat, à parte ſanatâ ſentiret.

Adde *Carolum Battum Tract.* 4. *cap.* 8. *pag. mihi* 275, ubi de integro militis cujuſdam femoris oſſe agit, quod abſceſſu corruptum, ac ſublatum fuerit tandem. Hunc tamen militem nihilominus poſtea incedere, ſaltare, ac munere fungi potuiſſe memorat.

Quæri autem poteſt, anne oſſis femoris, ti-

tibiæve, vel humeri, aut ulnæ, totius quanti corrupti callus defectum ſupplere queat?

Ipſe autem illud vix fieri poſſe ſtatuerim, unde enim callo ſuppeditaretur materia?

Quis etiam muſculis membri motum efficientibus, ſeque Apophyſi alligantibus daretur locus?

Quid ligamentis Epiphyſi affixis, juncturaſque connectentibus fieret? Ita ut neceſſario ejuſmodi corruptorum oſſium duas ſanas, integraſque extremitates ſuperſtites requiram, unde nova callo proveniat materia. Quam maxime enim dubitaverim, poſſetne Epiphyſis, nullâ ſanâ oſſi parte relictâ, eo loci callo materiam præbere: quandoquidem inſignis quondam Chirurgus du *Foix* (vulgo *Lucq*) experientiâ ſe didiciſſe mihi narraverit id ipſum fieri non poſſe. Calli enim materiam initio quidem carnem eſſe, quæ circum os creſceret, idque ex eo liquere ajebat, quod ſemper verſus cariei finem carnea quædam provenire ſoleat materia, quæ Chirurgo certiſſimum ſit indicium finitæ eo loco oſſis corruptionis. Quibus itaque Epiphyſibus nulla oſſis ſolidi remanet pars, illis callo generando nova materia præſtari nequit.

OBSERVATIO XCVII.

Mola genu, quâ in longum patet, fracta.

MEnſe Martio anni 1667. *Joh. Arnold. Smith* ruricolæ non procul Hagâ noſtrâ commorantis, qui è ſuperiori ædium tabulato per gradus volutus, genu in ferrei clauſtri januæ proſtibuli quandam extremitatem impacto ceciderat, rotulam, qua longior eſt, ita ruptam reperi: ut disjunctæ minimi digiti ſpatio à ſe invicem diſtarent partes. Hanc autem ut curarent, Chirurgos *Henricum Holegeeſt*, *Corneliumque Solingium* arceſſi; quorum operâ ita ſanatus fuit ruſticus, ut gradienti nihil obeſſe videatur.

IN OBSERVATIONEM XCVII.

A*Vicena*, *Fabrit. Hildanus*, Aliique quam rariſſime rumpi patellam ajunt, quod & experientia confirmat. Ratio eſt, quod illa mobilis ſit, nec aliis conjungatur oſſibus; quare etiam facillime cuivis durioris materiæ vi cedens huc illuc impellitur.

Paræus lib. 14. *cap.* 22. *pag.* 311. nullum eorum

rum ſe vidiſſe ſcribit, quibus rotula fuerit fracta, quin, quoad vixerint, claudicarint. Cauſam ſtatuit, quod, quamprimum callus accreverit, ruptarum partium conjunctio liberum genu impediat motum.

Verum equidem eſt cruris motum poſt molæ fracturam non tam recte fieri. Illud autem fit utplurimum, quod fractæ dicti oſſis partes, dum callo conjungi incipiunt, inter obligandum Chirurgi digitis caute ſimul apprehenſæ in quamcumque interdum non impellantur partem, ne inferius coaleſcant, concreſcantque; cujus rei, utut maximi ſit momenti, ne γρῦ quidem apud ſcriptores reperiri equidem miror: Illud enim ni fiat, facile contingit, ut callus apophyſi, epiphyſique (ſi earum cartilago uti aſſolet, etiam contuſa, vel eodem caſu læſa eſt) affigatur; unde crus, poſtquam ſanatum eſt, rigidum, ac flecti neſcium remanet.

OBSERVATIO XCVIII.

Rotula tranſversè rupta.

ANni 1676. menſis Januarii die 28. vocatus fui cum dicto Chirurgo *Cornelio Solingio* ad C. de R. quæ plateam quandam tranſiens obverſo in ſilicem genu mola, qua in latum patet, fracta erat.

erat. Quæ ruptura, quamvis gravius malum eſſet, quam cujus ſuperius memini, nihil incommodi (poſtquam per ſex hebdomadas probe curata, ac quieta fuiſſet) incedenti attulit, niſi quod non ita facilè gradus ſcandat.

IN OBSERVATIONEM XCVIII.

CUm patella genu, qua in latum, vel obliquum extenditur, rupta eſt majus difficilioris inceſſus periculum eſt, quam ſi, qua in longum patet, frangatur; uti ſuperioris obſervationis caſu contigerat. Quandoquidem (quod & optime, meo quidem judicio, *Fabrit. Hildanus cent.* 5. *obſ.* 88. *pag. mihi* 485. ſcribit) ſeptimi, octavique, ac noni muſculorum tibiam moventium extremitates prope rotulam concurrunt, & in validiſſimum tendinem deſinunt, qui patellæ implantatur, tandemque in inferiore parte ex eâ erumpens in anteriorem tibiæ ſedem ſub genu oſſi tenuiſſime annectitur, inſeriturque. Ruptæ itaque tranſverſè rotulæ partem alteram dicti miſculi attollunt, alteram tendo ille qui ſub genu tibiæ oſſi inſeritur, deorſum protrahit, hincque ille ſeparatarum partium hiatus; adeo ut quævis illas vix junctas contineat induſtria. Inde autem fit, ut, plurimo iſtis muſculis adempto robore, rigido læſus incedat crure,

nec

nec ſine difficultate id ipſum tollat; patella enim reliquis oſſibus, præcipue cum flectuntur, fulcri vicem præſtat.

OBSERVATIO XCIX.

Infans aſſidue è Peſte laborantis matris papillis expreſſo nutritus ſucco nihil omnino accipit incommodi.

MIrum profecto eſt, quod referre paro, nec ſilentio præterire poſſum, ut tanto magis Omnipotentis Dei providentiam quivis ſuſpiciat, ac veneretur. Arceſſitus quippe fui anno 1654. ad viduam Andreæ *Scheenvoet* marito, qui cum quatuor liberis peſte interierat, cum infante matris lacte quotidie nutriendo ſuperſtitem. Hanc tamen etiam contagioſus ille tandem ita invaſit morbus, ut quinque diverſis corporis locis hæc ſeſe manifeſtarit labes, in utrâque videlicet mammâ, ac crure, ſub axillâ, nec non in dorſo: per hebdomadas inſuper undeviginti continuas lecto illam hoc affixit malum, nec deſtitit tamen infans ſucco ex

ex infectis papillis prodeunte ali per ſex hebdomadas ab eo tempore, quo lue iſtâ fuiſſet impetita genitrix. Poſt illas autem, quod eſſet ipſa oppido debilitata, nec ſufficiens alimentum ſuppeditarent mammæ, à lacte materno depellendus fuit ille. Licet autem in infectis degerit ædibus, nec non tanto tempore alimenta è contagio laborantibus hauſerit infans papillis, à peſte tamen defenſus diu cum matre ſuperfuit.

IN OBSERVATIONEM XCIX.

Mille exempla tam è ſanctioribus paſſim paginis, quam diuturniore diſcas uſu, quæ demonſtrent, quam mirandis plane modis Mundi Arbiter periculis ſuos ſubducat, alios, utut quam diligentiſſimâ evitent curâ, iiſdem obrui ſinat.

Tradit celeberrimus *Camerarius* obſervationibus ſuis infantem quendam duabus ſuperfuiſſe alumnis peſte extinctis, quarum lacte nutritus, nec tamen labe fuerit infeſtatus.

Memorabile etiam eſt, cujus meminit *Philip. Salmuthus obſerv. med. cent.* 1. *obſ.* 97. *fol.* 58. Fæmina quædam, ait, Roſlavii ad Albim peſte corri-

corripitur, moritur. Adiacet ipſi infans anni unius, & dimidii in lecto, & lac ex defunctæ uberibus haurit, maritus quoque poſt moritur. infans autem évadit,

Sapientiſſime itaque profecto Regius Pſaltes *Pſalmo* 91.

Si protegendam præſidio Dei
Credas ſalutem, rem, ſubolem, domum,
Inſana cum ſors intonabit,
Si domini fugias ſub umbram,
Securus omnem fer violentiam
Sortiſque, mortiſque, & tetricas minas
Contemne. Securus tumultum
Deſpicias creperi duelli.
E fraude cæcâ te Deus eximet,
Frangetque caſſes inſidiantium,
Nec ſæviens late venenum
Letiferæ patiere peſtis.
Expandet alas te ſuper, & ſuis
Pennis fovebit rebus in aſperis:
Certuſque promiſſæ ſalutis
Sub clypei latitabis umbrâ.
Noctis per atræ cæca ſilentia
Non expaveſces cæca pericula:
Non luce graſſantem timebis
Perniciem, nec aperta bella:

In-

Interque ſtrages mille cadaverum,
Dextra, ſiniſtrâ, mille cadaverum,
Periculorum exors propinquam
Incolumis fugies ruinam.

OBSERVATIO C.

Mors ex rabidæ felis morſu.

H: N: civis Lugdunenſis in Batavis viginti tres circiter annos nati pollicis articulum tertium rabida momordit felis autumno anni 1681. de quo quidem morſu ipſe parum fuit ſollicitus, utpote rabidam ignorans felem. Septem autem, octove poſt menſibus 27. nem-May anni 1682. die Mercurii maximus illi ſupervenit angor, de cephalalgia, gutturis ſiccitate, immensâque ſiti, nec non potus faſtidio querenti. Veneris itaque die (quoniam haud dubie rabie fuit agitata felis) perſuaderi ſibi paſſus eſt, uti mari mergeretur. Quo quidem facto ille paulo melius ſe habuit, nec tantum eſſe cordis angorem dixit; vini etiam nullo pene tremore ſeſe rigavit hauſtu; parumque quieturus recubuit, ne-

neque enim ſatis diu ſufficienti refectus fuerat ſomno. Poſt horæ autem dimidium delirare, multum commoveri, maximeque opprimi, inquietarique coepit: Diei autem Saturni multo mane circa ſecundam extinctus eſt.

IN OBSERVATIONEM C.

CAnes fieri rabidos, venenatoque morſu tám hominibus, quam brutis nocere jam olim triſtis docuit experientia; Illud ipſum autem & felibus abſque tranſmiſſione per tactum ſupervenire, ingenuè fateor mihi antea non adeo fuiſſe compertum.

Quæritur itaque, an ſolus canis fiat rabidus, vel an alias beſtias etiam à cane non morſas invadat rabies? *Galenus lib. 6. de loc. affect. cap.* 5. *pag. mihi* 40 ita expreſſis verbis ſcribit: *Quoniam enim brutorum nulli ſupervenit rabies, cani hæc ſoli accidit.* Quod & ſtatuiſſe videtur *Alex. Aphrodiſius lib.* 1. *problemate* 76 cum quærit, *quare ex animalibus ſoli canes æſtate fiant rabidi?* Quibus adde *Chriſtoph. à Vega comment. ſenten*: 22. *lib.* 3. *prognoſt*, ut & *Joh. Bravum lib.* 1. *de Hydrophobiâ cap.* 1, nec non *Androïnum* 7. *de venenis cap.* 2, denique *Fracaſtorium lib. de morb. contagioſis cap.* 10.

Quidam autem hiſce ſignificare *Galenum*

contendunt, utplurimum canibus accidere rabiem.

Alii, quos inter *Mercurialis lib.* 1. *variar. lection. cap.* 2, nullum rabidum animal præter canem fortean *Galeno* viſum, eive de nullo alio fuiſſe compertum ajunt. Ab his autem diverſi, ad *Galeni* excuſationem nullum animal verâ rabie præter canem infeſtari, ſcribunt, niſi forte cuidam illud mali ab alio brutorum genere, cui prius attuliſſet canis rabidus, fuerit allatum. Plurima namque ſunt animalia, imo & manſueta, quæ ſtatis anni temporibus quemvis invadunt, nec tamen vera agitantur rabie; illa autem varios edunt ſonos, quod conjungi ament, genituræque effervefcentiâ impulſa mirum in modum ſæviunt. Si vero hujuſmodi impetu agitata animalia vere rabida forent, in læſis, morſiſve ab iis poſtea rabiei vim, effectumque animadvertere daretur; quod tamen fieri quis non neget? Atque eo quidem ſenſu ferri poſſet *Galeni* opinio.

Petr. Salius Diverſus de affect. particul. cap. 19 ſingularem quandam magis ineſſe canibus naturæ, proprietatem, quâ ex corruptione humorum in rabiem ferantur, quam cæteris beſtiis, tradit; quamvis & hæ, præcipue ſi à cane rabido morſæ ſint, in rabiem incidant.

Scriptorum autem plurimi, atque omnes fere à *Galeno* diſſentiunt. Quales *Ariſtoteles* 8. *de hiſtor. Animal. cap.* 22. *ac* 24., *Cælius Aure-*

relianus, *Porphyrius*, *Albertus Magnus*, *Avicenna*, *Euſtachius Rudius lib.* 4. *de morb. occult*: *Valleriola*, ac *Fernelius lib.* 2. *cap.* 14. *de abditis.*

Qui omnes multorum meminere animalium quibus ſponte, nec à cane morſis ſupervenerit rabies: hæc inter autem numerant equos, lupos, camelos, porcos, boves, vulpes, urſos, pardos, ſimias, viverras, muſtelas, imò & gallos gallinaceos. Scribit etiam *Cælius Aurelianus acut. morb. lib.* 3. *cap.* 9. *fol. mihi* 195 de rabido gallo, nec non *Th. Bartholinus cent.* 5. *hiſt.* 52. *fol.* 119: ut & *Baccius Prolegom. venen*: *& antidot. pag.* 17, de gallo gallinaceo vetèri, qui roſtro atroci ſiniſtram domini manum adeo læſerat, ut ſanguinis guttæ aliquot effluerent, unde tertio die hunc interemptum ſe vidiſſe ait: compoſuit autem ille hac de re ſequens deſtichon.

Dum furit in Dominum Gallus, perimitque veneno
Commorſum, ergo alius non Baſiliſcus erit.

Idem ille ſcriptor *dicti lib. pag.* 16 de rabida agit fele, qualis etiam mentionem facit *Amatus Luſitanus cent.* 7. *curat.* 66. *fol. mihi* 195, ubi, *Xuares*; inquit, *Mercator Theſſalonicenſis, aliique ejus domeſtici quatuor maſculi & fæminæ uno eodemque die à fele dentibus unguibuſve*

ſunt commorſi, laniative, qui ſimul brevi inde ſæviſſimis ſymptomatibus correpti ſuum obiere diem. Idem & *Scholio* ad dictam hiſtoriam, *quum hæc tracto*, ait, *memoriæ occurrit Epitaphium à me olim Romæ ſepulchro miſerandi cujuſdam Hiſpani affixum, ſculptumve viſum, qui è felis morſu obiit, & ita habet.*

Hoſpes diſce novum mortis genus, improba felis
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

Idem Epitaphium *Baccius de venenis fol.* 16 in Templo S: Mariæ apud portam Flaminiam ſe legiſſe teſtatur.

G. Fabrit. Hildanus obſ. Chirurg. centur. 1. *obſ.* 86. *fol. mihi* 62, de juvene viginti annos nato, cui nomen *Daniel Perrin*, ſcribit, qui anno 1602 tempore meſſis à rabido fele ſcalpturam in dextro pollice acceperat, ſupremâ vix, ac ne vix quidem læſa cuticula; quum autem nullus ſequeretur dolor, nullaque inflammatio, aliudve ſymptoma, & ipſe felem rabidum eſſe ignoraret, hanc ſcalpturam (quæ non diu poſt ſponte coaluit) plane neglexit. Primo autem ſequentis Martii die paulatim melancholicus fieri, & vaporibus, imaginationibuſque falſis commoveri admodum coepit, ita ut poſtridie domo egredi, atque in publicum prodi-

dire non auderet. Ipſe itaque (ſic *Fabritius*) tertio illius menſis die vocatus eum jam Hydrophobum reperi: Nec tantum ille aquam, vinumque, ac quicquid clari eſſet liquoris, abhorrebat quam maxume, ſed ne videre quidem poterat, nec volebat, interrogatuſque interdum, num bibere vellet, terribili ſono edito, latebras petebat, ſudabatque, ac angebatur quam plurimum, ſeque maximo cum impetu ex unâ in alteram lecti partem ita projiciebat, ut tres validiores viri eo vix ipſum continerent. Ingentes etiam quandoque clamores tollebat, circumſtanteſque aggredi, ac mordere geſtiebat, non victum tantum, potumque ſumere recuſabat, ſed & ad eorum mentionem horreſcebat, poculi etiam aſpectu territus. Has autem inter miſerias eâdem nocte animam expiravit.

Zacut. Luſitanus pr. adm. lib. 3. *obſ.* 83. novi ait, duos pueros, qui in lecto decumbentes à fele rabido, in pede unguibus dilacerati, poſt 4 annos, rabie vexati obiere. Scire equidem nonnulli avidi erunt, qua viâ animalia rabida unguibus lædendo rabiem excitare poſſint, cum in dentibus, & ſalivâ maxima veneni vis latere dicatur? Niſi ſtatuamus venenum non transferri ex unguibus ſimpliciter, ſed ex unguibus ſalivâ veneficâ imbutis.

Quæſtio etiam eſt, utrum bruta in rabiem acta fiant Hydrophoba? Non legimus apud Priſcos bruta fieri Hydrophoba, ſed ra-

bida. Verum diſcrepant Scriptorum ſententiæ.

Negat id *Ætius de re med. lib. 6.* Canem rabidum non ſemper horrere aquam vult *Philip. Salmuth. cent. 3. obſ. 90. fol. 155. Cum enim* (inquit) *Jenæ anno 1577. ſtudiorum gratia agerem, & aliquando exſpatiarer, tres Carnificis ſervi canem rabioſum inſequebantur : & cum unus eorum pontem ſupra Salum fluvium, reliqui duo ripam, viam ſic intercepturi, peterent, canis certe medium & rapidum flumen tranabat, illis diu perſequentibus.*

Dioſcorides lib. 6. cap. 35 hujuſmodi canem potum, & eſcam averſari ait, ac licet ſiti prematur, tamen non bibere.

De cane rabido, qui ab alio morſus fuerat, & in hydrophobiam inciderat, monet *Borellus obſ.* 227. *cent.* 3. *obſ.* 38, cui ſi aqua tantum admoveretur imò nocturnis horis ad terram concidebat, ſeſe circumagendo.

P. Michael de Heredia tract. varior. medicinal lib. 1. *fol.* 1. *Vidi*, inquit, *canem rabientem, quem vulgus, ut ſolet, fuſtibus, & lapidibus perſequebatur. Fugiens verò ille populum perſequentem, rivulo factus obviam ſic aquam pertimuit, ut retro converſus, maluerit experiri furorem populi inſequentis, quam aquam rivuli pertranſire, vel accedere.*

Diu, multumque diſceptatum fuit, poſſet ne rabidi canis ſola ſpuma aliquem inficere?

Affirmare videtur *Galenus 6. de loc affect. cap.*

cap. 5. pag. mihi 40 cum ſcribit tantos in humoribus canis tum oriri corruptiones, ut ſolum ſputum quempiam contingens rabiei ſit cauſa. Huic accedit *Joh. Bravus lib. de Hydrophobia* contra *Fracaſtorium.* Illis addendi *Sennertus lib.* 1. *prax. part.* 2. *cap.* 16. *fol mihi* 159, *Zacutus Luſitanus lib.* 5. *de med. Princip. hiſtoria quæſt.* 23, *Ætius tetrabibl.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 68, *Paræus lib.* 20. *cap.* 19, *Fabrit. Hildanus cent.* 1. *obſ.* 86. *fol.* 63.

Joh. de Grado Conſil. 82 tradit virum ampliſſimum *Joh. Coqueranum* immiſſa tantum in rabidi canis os manu, furore fuiſſe correptum quamquam nequaquam foret morſus.

Palmarius de morb. contagioſis de rabido ruſtico memorat, qui mortem inſtare animadvertens præſentes ſerio fuerit precatus, uti, quos brevi relicturus videbatur, ſupremum liberis figere liceret oſculum. Fuit autem illud petenti conceſſum. Verum animum advortite, quæſo: illo namque brevi poſt extincto, ipſi mox ſeptem præterlapſis diebus, liberi eâdem agitati rabie, iiſdemque impetiti cruciatibus, ſymptomatibuſque omnes interierunt.

Teſtatur *Cardanus lib.* 2. *contrad. tract.* 5. *contradict.* 9. Nobilem quendam Venetum, antequam catellum rabidum, quem fuerat oſculatus, necandum tradidiſſet, in furorem inci-diſſe.

Matthiolus in lib. 6. *Dioſc. cap.* 36 duos ſe

vidiſſe memorat, quibus, tactâ tantum ſpumâ, nec morſis ſupervenerat rabies. Monet itaque ſeriò *Avicenna* eos, qui hujuſmodi infectis famulantur, ne cibos, quos illi reliquere, comedant, periculum namque eſſe, ne morbo ſint contaminati.

Aurelianus 3. *de morb. acut. cap.* 9. *fol.* 195 ſartricis cujuſdam meminit, cui intra triduum ſupervenerit rabies, quod filum fimbriæ pallæ à rabido diſcerptæ cane dentibus avulſiſſet.

G. Fabrit. Hild. obſ. Chirurg. cent. 1. *obſ.* 86. *fol. mihi* 62 ſimile quid de honeſtâ quadam tradit muliere, quæ ruptam à cane, quem rabidum ignoraret, pallam conſuerit, ac morſu itidem filum detraxerit. Illa autem per tres menſes nihil ſenſit incommodi, tandem vero, ſenſimque melancholica facta imaginationibus, horrendis viſionibus, terroribuſque agitari coepit, vinum etiam, aquamque odiſſe, & quod pejus eſt, inſtar canum latrare, domeſticos non agnoſcere, atque modo hunc, modo illum mordere tentans, donec tandem in eâ miſera animam efflaret.

Ab hoc autem vix differt, quod tradit *Andr. Baccius.*

Quidam etiam eo uſque prolabuntur, ut ſolum, qui ſtygio rabie agitati canis ore exit, vitiatos inficere homines ſtatuant halitum: quos inter *Aretæus lib.* 1. *de ſignis, & cauſis acut: morb. cap.* 7, nec non *Cæl. Aurelianus acut. morb.*

morb. lib. 3. *cap.* 9, qui teſtatur quoſdam ſe vidiſſe, quibus rabidi tantum canis obvio infectis halitu hydrophobia nata ſit.

Per inſpirationem contagioſum eſſe hunc morbum perhibet *Cardanus*, *Jonſtonus Idæâ*, *Fontecha privilegio* 10, nec non *Joſephus de aromatariis part.* 2. *cap.* 1. *de rabie contigioſa.*

Sed illud à vero alienum videtur: Si enim tantæ eſſet efficaciæ, ut etiam eminus, & per inſpirationem inficeret, non lateret tam diu, antequam ſe proderet illud virus.

Scribit *Dioſcorides lib.* 6. *cap.* 36. Medicum *Themiſonem*, dum rabido mederetur amico, ſimili contaminatum fuiſſe labe. Quod tamen ſe vix credere *Sennertus lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 16. *fol.* 195 ait. Multo namque facilius quivis crediderit illos fuiſſe hoc malo infectos, qui inſcii nonnihil ſumpſiſſe à rabidis vitiatum, quam qui his tantum adfuiſſe, opemque tuliſſe dicuntur. Invenias tamen & quoſdam, qui ſolo rabie acti canis attactu lædi homines poſſe ſtatuant, dummodo cutis raritas, & patientis diſpoſitio apta, ac validiſſimum infecti venenum adſit

Verum *P. Salius Diverſus libell: de morb. particul:*, *quorum tractatio ab aliis practicis non habetur cap.* 19. *fol. mihi* 313. illud ipſum pernegat. Dicit enim tantam attactui minime ineſſe vim, imò ne ipſum quandoque ſufficere morſum: Quoniam videmus non omnes, qui morſi ſint, in rabiem agi. Affimat etiam hu-

juſmodi canis ſpumam attactam abſque concomitante ulcere rabiei cauſam minime fore. Hujus etiam opinionis eſt *Amatus Luſitanus curat. Medicin. cent.* 7. *ſchol. curat.* 41. *pag. mihi* 741 ubi ſe ſcire ait ſputum rabidi canis, ſi ſanguinem non tangat, extrinſecus nocere non poſſe. Huic adſtipulatur *Fracaſtorius de morb. contagioſis*, ac *Conciliator diff.* 179, ut & *Fernelius de morb. occultis lib.* 2. *cap.* 11. *pag. mihi* 494., qui itidem ſcribit canis rabie acti ſputum in illæſam incidens cutem minime nocere. *Cap.* autem 14. *fol. mihi* 508, rationem addit: Quoniam cutis ſolida, ac valida eſt, craſſioris veneni ſubſtantiam, ne intro tranſeat, arcere poteſt, niſi forte rupta, fiſſave, vel aperta foret.

Codronchus de rabie fol. 41, *Venenum*, inquit *hoc nimis imbecillis activitatis eſt, & ita ignavum in penetrando, & agendo, ut, niſi apertâ fiſſave cute, communicari non poſſit, imò in aliquibus rabidis virus eſt ita tardum, ac debile, ut etiam per morſum non communicetur.* Idem ſentit *Palmarius de morſu canis rabidi cap.* 1. *fol.* 332. *Spuma*, ait, *ſi in integram cutim inciderit, nihil ſiniſtri tantopere metuendum, modo ſtatim probe deterſus, & elotus fuerit locus: neque enim denſa, & adſtricta epidermis craſſiorum venenorum (cujuſmodi eſt venereum, elephanticum, & rabioſum) vim humori inſidentem protinus altius in corpus penetrare ſinet, niſi vel fiſſa, vel dilacerata ſit.*

Non

Non lædere morſum, niſi cute denudata, ſtatuit etiam *Rudius lib.* 9. *cap.* 12. *fol.* 124 nec non *cap.* 13. *fol.* 125.

N. Tulpius obſ. med. cent. 1. *cap.* 20 nunquam ſibi compertum ſcribit, cuiquam hominum vel minimum damni illatum per canis rabidi ſputa: quæ tamen, ne forte nocerent, nihilominus juſſit recte, mari ſemper abluere.

Poſteriores hos ſaniora ſentire, experientiâ mihi ſæpius conſtitit; cum enim quadraginta abhinc quatuor annis ad pictorem hic Hagæ vocatus eſſem, ut male ſeſe habentes fauces, (ita namque ajebat) morbumque ejus perſpicerem, nonnihil quidem reperi febricitantem, ſed collo intus nec tumente, nec inflammato. Ita ut nihil mali in eo mihi apparere dicerem. Ille torvo vultu bibere tamen ſe non poſſe reſpondit, quod cum mirarer, periculum me facturum dixi, potumque ei dari juſſi. His autem vix auditis immenſus (mirum!) terror, gemituſque, ac quæſtus, nec non angor ad potus ſolam mentionem virum invaſere, horrenduſque ſupervenit tremor, cum poculum manu arriperet. Fateor equidem ingenue ſummopere me fuiſſe miratum, (neque enim antea videram) cum eum tanta cum animi, corporiſque perturbatione vix tenere poculum viderem, quod ori apte admovere non poſſet. Domo itaque egredior, uxoremque, accepto ſigno, ſequentem, num nuper rabidus maritum momordiſſet canis, rogo.

go. Illa, poſtquam pauliſper hæſiſſet, conjugis, inquit, digitum ante tres hebdomadas, & amplius, parvulus canis momordit leviter, unde, ſanato brevi poſt eodem, ipſe quidem minime fuerit ſollicitus: neque enim de rabie canis liquebat. Uxor etiam magnopere mirata eſt parvulum illud vulnus tantorum malorum cauſam eſſe poſſe. Ille autem impatientiâ, rabieque actus non ita diu poſtea in aquas, vicina namque ejus ædibus erat foſſa, præcipitem ſe dedit, ac biduo tantum ſuperfuit.

Nec fuit neceſſe (ut vulgo putant) ut impoſitis ſuffocaretur lectis, pulvinaribuſque : Omnes enim hydrophobi per tres tantum, quatuorve ſuperſunt dies, ac veluti ſtrangulationis, ſuffocationiſve modo miſeram finiunt vitam.

Idem exemplum, eademque vidi poſtea in duobus juniorbus, fortioribuſque ſymptomata, quorum prius ante triginta, & qui excedunt, poſterius ante quatuordecim circiter annos conſpexi. Horum utriuſque labium catellus quam leviſſime læſerat, unde ambo poſt Hydrophobiæ initium tres, quatuorve tantum vixere dies. Cum vero illi, qui ægris hiſce ſæpe adfuerant, illiſque opem tulerant, me conſultum venirent, rogarentque, quid facto opus eſſet, ac num in marinas aquas immerſio requireretur? univerſos quam exactiſſime interrogavi, itane fuiſſent morſi, ſcalptive, ut ſanguis eruperit, anne etiam dentes, unguesve, vel infecto-

rum

rum ſputa eorum labia, quorum tenuiſſima cutis, aliamve corporis partem cute privatam tetigiſſent? Hic ſputo ſe aſperſum, alter morſum, tertius ſcalptum ſe affirmavit, nullus tamen vel minimum ſanguinis fluxiſſe aſſeveravit. Juſſi itaque, ut tacta loca aquâ marinâ probe abluerent, ac, bis, terve ſumptâ Theriacâ, ſudarent. Sin autem & æquore mergi præjudicio forte quodam ducti cuperent, per me id licere, quamvis non requiri, dixi. Nemo tamen, quod ſciam eorum, qui tribus his adfuerunt rabidis, merſus fuit, nec quidquam iis ſuperveniſſe inde mali comperi. Si vero ſputum hujuſmodi infectorum cutem attingens alios quoque inficeret, quidni eadem ſudori eſſet vis? Hic tamen, cum maxime oppreſſorum ſudantes manus, arterias carpi exploraturus, arriperem, quarum pori iſto in angore plurimum plerumque emittunt humoris, mihi nunquam nocuit, quamvis non alio fuerim uſus antidoto, quam quod aqua pura, quâ manus lavi, ſuppeditat.

Reſpiratione igitur, & contactu ſolo rabidorum contagium in alios tranſmitti non poſſe ex præmiſſis liquet.

Quærere inſuper quiſquam hoc loco poſſet, an in humanis etiam corporibus tales produci queant humores, qui ad rabidi canis venenum proxime accedant, quique nullo extrinſecus accedente contagio, homines in Hydrophobiam impellant?

Affir-

Affirmat id *Marcellus Donatus*, nec non quinque diverſis caſibus id ipſum *lib.6. cap.1. fol. mihi* 559. probare geſtit. Ejuſdem etiam ſententiæ eſt *P. Salius Diverſus cap.* 19. *fol.* 328. *de affect. particul.*, ut & *Cæl. Aurelianus*, *Avicenna*, *Ponzettus*, *Paræus*, *Rudius*, *Platerus*, *Joſeph. de Aromatariis*, *Zacut. Luſitanus medic. princip. hiſt.* 20. *lib.* 5.

Luc. Schröekius ſchol. ad obſ. 78. *Joh. Hellwigii fol.* 245. Licet, ait, à rabioſi canis morſu hydrophobia ut plurimum oriatur, cum ſcilicet vulneri iſti parum occurſum eſt, quandoque tamen aliam agnoſcit cauſam, nec ſemper à morſu illo originem ducit; qualem notante *Joh. Rhodio notis ad Scribonium Largum compoſit.* 71 *Sanchez in obſerv.* prodidit.

Petr. Borellus etiam centur. 3. *obſ.* 38. fœminam eodem modo extinctam memorat, quæ ne quidem juſcula ulla, nullaque alia liquida cernere tantum poterat. *H. Salmuth. centur.* 3. *obſ. med.* 52. potatoris ſtrenui mentionem quoque facit, qui in febre malignâ, alia inter ſymptomata, in hydrophobiam quoque inciderat, ita ut in quartum uſque diem intenſiſſimâ ſiti cum cruciaretur, eique os amarum, & lingua valde ſicca, atque aſpera exiſteret, potum quidem anxie expeteret, ſed ex ori admoto tanto tremore, & motu percelleretur, ut nec guttulâ hauſtâ, deponere eum illico cogeretur.

Fateor

Fateor quidem humores in corpore noſtro interdum ita corrumpi poſſe, ut venenorum naturam induant, ſed tale determinatum, & ſpeciale venenum, quod Hydrophobiam excitet, nullâ accedente cauſâ externâ, in corpore humano generari non crediderim.

In putredine quoque cauſá hujus mali conſtitui nequit, nulla enim ibi putredinis adſunt ſigna, nec ea ſine manifeſtis ſignis tam diu in corpore latere poteſt.

G. Hebenſtreit ad Georg. Horſtium lib. 7. de morb. contagioſ: & malignis obſ. 22 fol. mihi 334 de hac quæſtione ſcribens, ſe non velle, ait, defendere, tantam humoribus corporis humani induci poſſe corruptionem, unde hydrophobia oriatur, quia nonnulli quidem morbis, rabiei forſan ſimilibus, ſed non verâ rabie laborare comperiuntur: Siquidem luce meridianâ clarius eſſe putat, ac plerorumque inſuper probatiſſimorum ſcriptorum, cum antiquorum, tum recentiorum unanimi conſenſu comprobatum, venenum rabidum abſque externâ contage, & morſu animalis rabidi in homine minime progigni poſſe.

Nulla etiam adeſt febricula, niſi tribus, quatuorve ante obitum diebus, quando aquæ timor ut plurimum exoritur. Etſi autem experientias & hiſtorias quorundam Scriptorum in dubium non vocem: tamen exiſtimaverim cum *D. Sennerto* conſultum eſſe, ut ſi quid tale accidat,

cidat, atque aliquis in Hydrophobiam incidat non ſolum de morſu animalis rabidi inquirere, ſed etiam de aliis modis, quibus hoc venenum in alios propagari poſſit, & quidem non ſolum quærere an nuper, ſed etiam an unquam tale quid ipſi acciderit, cum venenum hoc multos annos, antequam vim ſuam exerat, latere poſſit.

Baptiſta Codronchus, variorum examinatis argumentis, ita concludit: In eam potius ire ſententiam compellimur, hominem à principiis internis rabie corripi minime poſſe, nec in oppoſitum adducta nos cogunt aliter ſentire.

Qua igitur tandem vi venenum rabidorum animalium agit, vel quâ in re malum hoc conſiiſtit?

Pelops Galeni præceptor (ut è libro 2. *de ſimpl. medicament. facult. cap. de cancris uſtis* videre eſt) in immodicam ſiccitatem, quaſi in contrarium habitum mutatâ penitus ſolidarum partium ſubſtantia, veneni hujus eſſentiam ſtatuit. Verum *Galenus* dicto libro *Pelopem* reprehendit, quod hujus affectus rationem è cauſis manifeſtis ſe redditurum ambitioſe jactaret.

Dioſcorides, *Ætius*, *P. Ægineta*, necnon *Actuarius* volunt etiam intemperiem calidam, & ſiccam in partibus præcipue ſolidis contractam hujus mali eſſe cauſam. Hanc autem colligunt è ſymptomatibus rabiem concomitantibus, velut oculis flammeis, ore hianti, vigiliis, ſiti,

nec

nec non, quod diebus maximè canicularibus rabie animalia, ac præcipue canes infeſtentur.

Verum intemperies calida, & ſicca, in quâ mali hujus vis conſtituatur, non ſufficit, cum vel tantilla veneni copia tantæ intemperiei cauſa vix ſtatui, tantæve qualitatibus primis mutationis principium eſſe queat.

Illæ namque tam diu in corpore eſſe nequeunt ſine læſione actionum corporis; neque effectus inſignes caliditatis, & ſiccitatis in hydrophobis apparent.

Porro, ſi in ſolo calido, & ſicco conſiſteret hujus morbi eſſentia, utique curari poſſet æger. Quin & Hecticos videre licet ita emaciatos, ut ſola oſſibus vix adhæreat cutis, pulſuque ita duro, ut ſumme ſiccum eſſe cor non ſit dubitandum, qui tamen hydrophobi non ſunt, ſed avide potum hauriunt. Verum quidem eſt, æſtate multos quadrupedes ob æſtum nimium ita in furias, ignemque ruere, ut quemvis etiam impetant, lædantque, licet verâ rabie non agitati. Nec cælo tantum calidiſſimo, ſed & frigidiſſimo, atque aeris contrariis mutationibus canes rabidi fiunt.

Narrat *Joh. Fernelius* lupum quendam infectum, diſſectumque in partes, ac tandem comeſum edentum plurimos rabie contaminaſſe, quod fieri non potuiſſet, ſi eſſentia veneni hujus in qualitatibus primis conſiſteret, cum ignis vi inter præparandum, illæ multum immutentur.

Tandem & curatio idem perſuadet, quæ non medicamentis refrigerantibus, & humectantibus, ſed ſpecificâ vi præditis perficitur.

Objiciunt quidam caſum, cujus *H. Capivaccius prax. lib. 7. cap.* 12. meminit: de Monacho hydrophobo diſſecto, in cujus pericardio nulla aqua reperta fuerit. Verum non evincit hæc hiſtoria rabiei cauſam in qualitatibus primis conſiſtere, cum cujuſque temperiei homines invadere queat. Defectus enim aquæ in pericardio, ſiccitas ventriculorum cordis, & exuſtionis nota in pericardio ſequi potuerunt potus abſtinentiam ex hydrophobiâ ortam.

Concludimus igitur rabidorum animalium contagium ſolo ſputo transferri in alios.

Quo autem modo è læsâ parte in corpus reliquum propagetur hoc virus, mox dicturi ſumus.

Animadvertendum porro eſt uſque adeo noxium, malignumque hoc eſſe venenum, ut, cum ita vires ſuas exeruerit, ut hydrophobia inſequatur, nemo ſanari queat, uti & teſtatur *Dioſcorides cap. 36. lib. 6.* expreſſiſque affirmat verbis *Ægineta lib. 5. cap.* 3. quare hic Dioſcoridis hiſtorias ex auditu traditas non tanquam veras admittit, *Themiſonis* videlicet, ac alterius cujuſdam per Eudemionem liberati. Eorum qui à rabie curati fuerint, exempla leguntur apud *Valleriolam*, *Paræum*, *Foreſtum*, *Palmarium*, *Gemmam*, *Scribonium*, alioſque; Verum

hæc

hæc non fuit vera, aut ſaltem confirmata rabies.

Non cunctanter ſcribit *Ætius* nunquam ſe vidiſſe quenquam hydrophobum convaluiſſe. Ideoque minus vera creditur, quam tradit de Philoſopho quodam ipſe *Tetrabib.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 24. hiſtoria, teſte *G. Reyes Elyſio jucundiſſ. quæſt. campo*, *quæſt.* 61. *fol. mihi* 467. *ac* 480. ut & illa quam Apollonii vitâ lib. 6. tradit *Philoſtratus*, de juvene quodam, qui à rabido morſus cane inſtar canis latrarit, ſederitque, ac manibus, pedibuſque inceſſerit, ut caninam omnino videretur induiſſe indolem: ubi etiam de ipſo loquitur cane; ut nempe ille poſtea ad juvenis pedes procubuerit, morſumque linxerit, ac tandem ſanarit locum: Cum tamen canis, ſi verâ agitatus fuiſſet rabie, juveni iterum magis nocuiſſet. Nec minus fictum videtur, quod *Plinius lib.* 25. *cap.* 2. de Cynorrhodo ſcribit, quandoquidem hoc nunquam tam mirandorum in rabidis effectuum cauſa fuerit, niſi forte dicatur læſus necdum in hydrophobiam incidiſſe, aliiſque inſuper convaluiſſe medicaminibus: quo modo etiam poſteriores omnes accipiendi ſunt ſcriptores, qui hac in re quidquam ſe feciſſe, vel ab aliis factum vidiſſe tradunt, quos *Fabritius Hildanus cent.* 1. *obſ.* 86. *fol. mihi* 65. memorat, è quorum numero ſunt *Valleriola*, *Paræus*, *Foreſtus*, *Palmarius*, *Plinius*, *Gemma*, *Scribonius*, *Oribaſius*. Neminem ſanari,

 ubi

ubi confirmatum eſt malum, teſtantur *Rudius de morb. occultis fol.* 132. *cap.* 13. *Lommiuſque obſ. lib.* 2. *fol.* 63.

Ægri raro quarto die ſuperſunt metiendo tempus ab eo inſtanti, quo aquæ timor manifeſtari incepit, ut ſcribit *Galenus lib.* 6. *de locis aff. cap.* 5. & 1. *Coac. prænot.* 2. *textu* 17. Rabies jam facta, cum curationem non recipiat, non eſt mirum, ait *Codronchus fol.* 209. ſi eam ſcriptis tradere veteres neglexerint, exceptis *Aureliano*, & *Celſo*.

Rodericus à Fonſeca conſult. med. 25. *fol.* 90. ita loquitur: *Illud affirmare licet, nullum, ubi ad illum ſtatum devenerit, ſanari poſſe, nec ſanatum fuiſſe.* Idem affirmat *Palmarius fol.* 335.

Veriſſimum itaque eſt *Ovidii* dictum, qui jam olim omnem fruſtra huic malo adhiberi medicinam his verbis 2. de Ponto cecinit.

Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram,
Nec formidatis ulla medetur aquis.

Una ſupereſt quæſtio, undenam fiat, ut tanto tempore lateat quandoque labes, antequam manifeſtetur, ac quare læſorum alii citius, ſerius infeſtentur alii? Verum equidem eſt læſos non continuo, ſed poſt multos plerumque in rabiem agi menſes, uti poſt alia ex noſtrâ quoque liquet obſervatione. Quin etiam vel per totum annum, & amplius latet, antequam animadvertatur

tur venenum. Retulit mihi quondam expertiſſimus Medicus *G. Stratenus* vocatum ſe fuiſſe ad Conſulem Woerdanum, cui à rabido læſo cane, non niſi poſt annum, & aliquot menſes ſupervenerit Hydrophobia, quique poſt triduum fuerit extinctus, licet præterito nihil omnino mali ſenſiſſet tempore.

Galenus 1. *Porrhet. ſect.* 2. *Comm.* 17. noviſſe ſe quendam ſcribit, qui non niſi poſt annum ſe læſum ſenſerit.

Petrus Salius Diverſus, proditum memoriæ, inquit, ab antiquis habemus, hunc morbum interdum ad quintum, ſeptimum, imò duodecimum annum dilatum fuiſſe. Idem affirmat *Albucaſis*, *G. Horſtius oper. medic. tom.* 2. *lib.* 7. *obſ.* 22. *fol. mihi* 322. *Philip. Salmuthus Cent.* 1. *obſ.* 96. *fol.* 51. nec non *Zacut. Luſitanus pr. mir. lib.* 3. *pag.* 386.

Toto illud malum latuiſſe ſeptennio tradit *Dioſcorides*, quod & de duodecim annis *Avicenna* affirmat. Idem etiam *Albertus Magnus* 7. *de animal. lib.* 2. exemplo demonſtrat, cum agit de quodam, cujus vulnus poſt duodecim recruduerit annos.

Dignum profecto admiratione ſummâ, ac ad moræ probationem apprime utile eſt, quod *Abel Roſcius* Medicus *G. Fabrit. Hildano* literis ſignificavit, quas hic *Obſervationi* 86. *cent.* 1. *chir. obſ. fol. mihi* 65. adjunxit. Sed ipſas, ſultis, legite.

„ Anno 1581. matrona quædam mihi fami-
„ liariter nota proximeque affinis, quum quo-
„ dam die per urbem negotia haberet, & ageret,
„ à cane rabido ex improviſo impetitur, in ſini-
„ ſtro brachio mordetur, præſto advocati ad-
„ fuerunt ſedulo doctiſſimi medici, qui ex-
„ quiſite remedia præſcripſerunt, partique af-
„ fectæ apponenda juſſerunt. Per os item Alex-
„ ipharmaca propinari curarunt. Brachium ſu-
„ pra vulnus ligaturâ validâ, vinculo arctiſſimo
„ exceptum fuit. Topica attrahentia, foraſ-
„ que venenum evocantia, ejuſque vim retun-
„ dentia, adhibita. Denique ferrum, & ignem
„ loco læſo applicuit Chirurgus. Tandem elap-
„ ſis paucis diebus, Deo volente, ſalva & in-
„ columis evaſit, vel evaſiſſe videbatur, nullâ
„ in brachio noxâ, nec tantum cicatrice fere re-
„ lictâ, nulloque in corpore, ut apparebat,
„ reſtante veneno. Verum quid evenerit audi
„ quæſo.

„ Septimo ab hinc anno recurrunt ſympto-
„ mata ſæviora multò. Perſentit in brachio alias
„ læſo dolorem acerbiſſimum, & veluti à cani-
„ nis dentibus diſcerpi, & dilaniari. Inde pau-
„ co interjecto tempore furor, & mentis alie-
„ natio ſubſequuntur, mæror, triſtitia, vigi-
„ liæ ſummæ, ſitis inexplebilis, febris tandem,
„ & maxima virium proſtratio, ciborum deni-
„ que omnium odium, nunquam tamen à po-
„ vu abhorruit, nec liquida, quæ ſitim extin-
„ guere

„ guere valebant, rejecit. Morti proxima ju-
„ dicata eſt, imò nulla nobis relicta erat vitæ,
„ vel ſalutis ſpes. Sed in tot, tantiſque malis,
„ ita diligentiſſime illi manus auxiliares adhibitæ
„ fuere, ut intra paucos dies perfectè ſanata vi-
„ ſa ſit. Sæva etenim illa accidentia, paulatim
„ miteſcendo abſolute ceſſarunt. Poſt annos
„ ſeptem ab hac invaſione, & decimo quarto à
„ canis morſu, mirabilibus, iiſque graviſſimis
„ morbis iterum tentari cœpit, principio duc-
„ to à ſiniſtro illo brachio. Tormina letalia
„ ſenſit, vomitiones, & ructus incredibiles,
„ omniaque ſymptomata atrabilaria ſuſtinuit,
„ vigilias, & ſitim maximam paſſa eſt, vellica-
„ tionem, & dolorem ingentem in loco prius
„ morſo habuit. Curatur iterum diligentiſſi-
„ me, &, me præſente, inquit idem *Abel Roſ-
„ cius*, ſanitati, ut videbatur, reſtituitur per-
„ fecte, aptis ad id adhibitis remediis. Sopitum
„ tandem judicavi malum, non deletum. Sic
„ manſit per annos ſex. Anno vigeſimo à vul-
„ nere accepto, denuo recurrit affectus, exci-
„ tantur accidentia, ut prioribus annis, redeunt-
„ que eadem ſymptomata. Sedatis anno ſequen-
„ ti iiſdem, rurſus tentatur honeſta fæmina.
„ Subſequenti anno repetiit malum bis. Anno
„ proximo illapſo ter ita correpta fuit. A tri-
„ bus annis frequentiores, ſed breviores fuerunt
„ paroxyſmi. In omnibus fere temporum mu-
„ tationibus ſibi brachium vellicari perſentit.

„ Vereor ne brevi vitam anxiam, & calamito-
„ ſam, cum morte ſæpius optatâ commutet.
„ Vale. Datum Lauzannæ 14. Calend Octobris.
„ anni 1604.

Anth. Muſa Braſſavolus lib. 2. *Aphoriſm. Comment.* 23. repertos quoſdam fuiſſe teſtatur, quibus ſeptimo-decimo poſt morſum anno ſupervenerit furor.

Anth. Guainerius Tract: de venenis quendam fuiſſe ait, cui octavo-decimo anno hydrophobia orta ſit.

Joh. Schmidius miſcell. med. phyſ. German. decur. 1. *an.* 9. *obſ.* 43. *fol. mihi* 117. mulieris meminit, in quâ per viginti annos venenum latuerit.

Memorat autem *Borellus obſ.* 74. *cent.* 1. *fol. mihi* 73. de quodam, qui, læſo digito minimo, nec ſatis artificioſe ſanato, poſt triginta demum annos acerrimo illius digiti laceſſitus dolore; quo loco morſu fuiſſet læſus, brevi poſt è vivis exceſſerit.

Alzaharavius compertum ſibi ſcribit venenum, antequam liquido appareret, integros quadraginta in corpore latuiſſe annos.

Quid ni qualecunque hoc venenum non æque diutius corporibus inhæreat, priusquam exterius manifeſtetur, ac Tarantulæ, luiſve venereæ venena latuere quondam?

De Tarantula ita ſcribit *Athanaſ. Kircherus mundi magnetici lib. part.* 8. *cap.* 8. *p. mihi* 587.

Di-

Dicitur, inquit, Tarantula à Civitate Tarento, vel à fluvio Thara, eo quod in hoc diſtrictu, utpote calidioribus, & planioribus Apuliæ locis, ingens earum quotannis propullulet copia. Non quod aliis quoque in locis eædem non reperiantur; ſiquidem & in Calabriâ, Siciliâ, quin & in campis Romanis æſtivis menſibus ſubinde videntur Apulis prorſus ſimiles, niſi quod veneno illo ad ſaltandum incitativo careant. Infeſtantur autem horum animalium puncturis præ aliis Ruſtici, Hortulani, meſſores, paſtores, aliique, qui neceſſitate coacti ſub dio, & in campeſtribus locis menſibus maxime calidis, & ſiccis, ut Junio, Julio, Auguſto, ocreis, aut manicis non muniti dormire coguntur. Ac paulo poſt.

Morſu itaque transfundit (Tarantula) venenum per corpus icti, qui in principio quidem adeo parum ſentitur, ut ſimplex muſcæ morſus videri poſſit; ſed poſt anni revolutionem peractam calore ſolis, & temporis qualitate, ad ſonos, & muſicorum inſtrumentorum harmoniam proportionatam ſuſcitatum venenum patientes viros etiam, & matronas honeſtiſſimas in ſaltus agit ita violentos, ut ſæpe poſtpoſito omni decoro, ruptiſque omnis modeſtiæ vinculis, ſcurras, ardeliones, lymphatos, phylomaniacos, dæmoniacoſque referre videantur. Porro bimeſtri ſpatio, antequam venenoſa qualitas funeſtos hoſce ſaltus parturiat, in patiente

 diver-

diverſos morbos producit, uti dejectionem appetitus totalem, febres ardentes, artuum dolores, ἀτροφίαν, καὶ καχεξίαν totius corporis peſſimum colorem, qualis Ictericorum eſt. Unde medici pro mali, ſymptomatumque conditione remedia proportionata præter Theriacam, Orvietanum, Mithridatium, Bezoarticum pulverem, alia quoque antidota applicare ſolent, etſi vix unquam cura hujuſmodi ſucceſſum aliquem habuiſſe comperta ſit, niſi ſonus qualitati veneni proportionatus, qui per admirabilem quendam conſenſum patientem, velit nolit, uſque ad ſudorem, & defatigationem virium, membrorumque omnium laxationem, ſaltare cogit, acceſſerit. Hoc enim efficitur, ut viribus nimio motu fatiſcentibus terræ illiſus vivum exanimis hominis ſimulacrum intuentibus præbeat; donec poſt pauxillum temporis vino aliquantiſper refocillatus, reſumptis, reſtauratiſque veluti viribus, majori niſu ſaltus eoſdem ſingulis diebus uſque ad tertiam, quartam, imo ſextam, octavam defatigationem per triduum, aut quatriduum reſumat, repetatque, hinc fit, ut hac agitatione vehementi, totiuſque corporis maximâ convulſione ſanguis incaleſcat, pori aperiantur, venenum una cum ſudore aliquâ ex parte diſpellatur: cum enim uenenum intimis fibris radicatum non ita facile diſpelli poſſit unius anni ſaltu, quotannis ſaltus repetendus eſt, donec tandem tota vis veneni expurgetur, etſi non dubi-

tem

tem unâ ſaltatione multo tempore continuatâ ægrum omni veneno purgari poſſe, ſi tanto labori ferendo par eſſet, &c.

Comperimuſne etiam Mercurii uſu veneream luem ad tempus tantum ſæpius veluti ſuffocari, minime vero eradicari, ac multis poſt annis illius denuo animadverti indicia? Mihi certe non ſemel contigit poſt tres, quatuorve annos ſubſequentes, cum calere inciperet maxume, illius morbi videre ſigna recentia, quamquam ipſum tum facilius eradicari potuerit malum, diminutis quotannis accidentibus, ſublatâque tandem cauſâ.

Vix centeſimus quiſque (inquit *Palmarius de lue venerea pag. mihi* 26.) levatur hydrargyro, recidivo ut plurimum morbo, qui tamen raro ſimilis eſt radici, neque iiſdem ſymptomatibus exercet, ſed fere diſtillatione, arthritide, tophis, vel oſſium carie: neque pari contagione eos, cum quibus ſocietas eſt, afficit, quod humoris furor, & impetus, illis auxiliis repreſſus ſit, etiam nondum mali radice evulsâ, tempore ſiquidem ea reviviſcit, recurritque interdum poſt annum vigeſimum, trigeſimumve, tantoque intervallo mali fomes quaſi ſepultus intus deliteſcit. Fit tamen interdum, ut, qui ita curati ſunt, ſeque expertos mali, prorſuſque expeditos putant, alias, cum quibus concubuerint, contaminent, prolemque gignant eâ lue conſperſam. Indicium ſane tum temporis mali fermentum reconditum reſervari, & (ut dici ſolet) in ipſis quaſi medullis deliteſcere.

Vi-

Vidit hunc morbum reducem *Cardanus* poſt annos 22. ut ſcribit *Comment. in Hippocratem de alimento.* Et poſt 30. *Joh. Philip. Ingraſſias de tumorib. præter naturam* fol. mihi 202. abſque ullâ novâ converſatione. Tradit etiam *Joh. Fernelius lib. 2. de morb. contagioſis cap. 14. fol. mihi* 512. fœdæ iſtius luis quandoque poſt 30. annos reliquias conſpici, quare recte illa dicitur *Inducias facere, non pacem.*

Memini equidem quondam Lugd. Batavorum Medicinæ Profeſſorem *Wallæum*, quem audiebam, narraſſe, ſe dominam quandam noviſſe, quæ joci, ac delectandæ puerorum, innuptarumque puellarum turbæ ergo, ad breve tempus maſculi cujuſdam induerit veſtes, atque ita cum aliis ſaltarit. Verum tandem conſtitit, non adeo pura hæc fuiſſe veſtimenta, quandoquidem omnes, quos illa, poſtquam nupta eſſet, peperit, liberi venereâ labe fuerint contaminati, cum tamen nihil unquam mali in ipſâ fuerit animadverſum, adeoque luem, nullâ in matrem cadente ſuſpicione, è veſtibus maſculinis proveniſſe creditum fuit.

Non abſonum itaque fuerit, ſi de veneni à rabido tranſmiſſi cane diutius in homine deliteſcentis cauſis nonnulla in medium proferam.

Primo quidem certum eſt, rabidi canis venenum per ſe tardius operari: Atque ideo *Fracaſtorius lib. de morb. contagioſ. cap.* 10 tam lente ſerpere hoc venenum ſcribit, ut rariſſime

ante

ante vigeſimum, poſt trigeſimum autem utplurimum diem, ac in nonnullis poſt menſes aliquot, annoſve (ut ante dictum) manifeſtetur. Cujus quidem tarditatis nulla præter craſſitiem adduci poteſt cauſa, ob quam non ita cito in interiora ſe penetrare valet, notat etiam *Fernelius* lentiſſime illud, ac veluti per gradus operari, ita ut nihil mali initio ſentiens is qui læſus eſt, quæ ipſum maneant fata, neſciat.

Nec ſolum hoc canis rabidi virus longo tempore humano in corpore multis annis, antequam ſe manifeſtet, integrum ſervatur, ſed & cuivis rei adhærens vires ſuas minime amittit.

Sic generoſus quidam vir, referente *Zacuto Luſitano prax. admir. lib.* 3. *obſ.* 87 quum forte per plateas iter ageret, ecce oborto tumultu, aſpiciens retro, vidit canem rabioſum ſuffocandum, quem plebei funibus devinctum de ferebant vociferatione magna. Ille, ut effugeret canis morſum ſtans circa, illum gladio circumfodit, & eo immiſſo in vaginam, curſum ſuum peregit. Ecce poſt 8 annos irâ percitus tres invadens, graviter gladio eodem percuſſit: hi vulneribus curatis, citra manifeſtam cauſam, poſt tres annos renuere potum coeperunt, tandem verſi in rabiem, furiiſque agitati, miſere vitam cum morte commutarunt. Adfert etiam ex *Eſaia Meiſchnero* hiſtoriam de enſe, quo rabidus canis confoſſus fuerat, quem ſub ſponda derelictum poſt multos annos, ac rubigine ob-

obductum puer ſibi cum aptare voluiſſet, abſtergens, ac perpoliens improvidus digito vulnuſculum inflixit, ex quo rabie percitus periit.

Simile etiam Tarantulæ virus eſt, quod inſecti hujus ſputum inſtar viſci cujuſdam eſt, quâ etiam viſcoſitate veneni tardantur operationes, nec tam cito mala ſeſe produnt ſymptomata.

De Tarantula autem mox plura.

Statuunt præterea celebriores ſcriptores tarditatem hanc æque læſi corporis viribus, bonæque diſpoſitioni, ac veneni qualitati pravæ deberi. Ac ſic quidem in hoc citius in illo tardius vires ejus apparere liquido cernimus, prout veneni hujus vel illius vis major, minorve agendo, infectique magis minuſve validum robur, adeoque plus, minuſve reſiſtendo eſt.

Quantum autem ad ipſum virus certum utique eſt, hoc longe vehementius eſſe his, quam illis canibus atque ita ejus effectus pro qualitatis diverſitate citius, ſeriuſve deprehendi. Quod & in ſerpentibus apparet pro anni diverſis temporibus. Neque enim brumali tempore adeo nocens eorum venenum eſt, quam quidem æſtivo, nec hyeme tam cito intro ſerpit penetratve, adeoque tam cito non necat virus ab ipſis morſu tranſmiſſum, quam æſtate. Ceterum conſtat etiam morſus, vulnerave plerorumque venenatorum animalium citius multo, vehementiuſque nocere in regionibus fervidiore ſole calenti-

lentibus, quam gelidam Arcton propius accedentibus terris. Quantum autem ad ipſius læſi corporis temperiem, vireſque; aliis, atque aliis validiora, aut infirmiora dari corpora nemo negaverit. Quibus itaque celerior ſanguinis motus, ac proinde major calor, firmioreſque ſunt vires, ea multo diutius noxium virus arcere poſſe, eoque tardius infici probabile eſt. Ipſe ego plurimos novi, qui uno, eodemque veneno non extincti fuerint tempore eodem, quamquam ſimul ſumpſiſſent. Demonſtrat & experientia à rabidis canibus, lupiſve eodem plane tempore læſorum alios primo menſe, ſecundo alios, imo & tertio demum quoſdam rabiem invaſiſſe. Corpora inſuper alia aliis longe melius ſunt intus diſpoſita: ob quam rationem *Ætius* citius venena iis nocere tradit, quibus pravis corpora replentur ſuccis.

Fieri etiam poteſt, ut quiſquam iis utatur alimentis, potuve, quæ vel promoveant, atque excitent venena, vel etiam eadem ſupprimant; atque coerceant aliquamdiu.

Ipſa quoque veneni operatio citior eſt, vel ſerior pro læſarum partium differentiâ. Læſo namque nervo, vel etiam venâ, aut arteriâ notabili multo citius per exteriora in nobiliores partes tranſmittetur venenum, quam parte demorſâ, cui parum cum nobilioribus intercedit commercii.

Quid autem cauſæ, quod tantopere aquas horreant læſi? Non

Non equidem aquas tantum exhorreſcunt, ſed & quidquid iis eſt ſimile, aut potatur, ac ſitim reſtinguit, quare nonnulli morbum hunc non *Hydrophobiam*, ſed *Hygrophobiam* dicendum ajunt.

Cauſam vero hujus tumoris corruptum mentis judicium ex morſu, transfuſoque veneno nonnulli ſtatuunt: diuturnâ quippe, continuâque de læſione, morſuve cogitatione tales imaginationes, ac phantaſmata cerebro, imprimi, ut aſſiduo canes videre, imo & in eos quandoque ſe mutatos infecti putent, interdumque mordere ac latrare geſtiant. Cujus rei exempla habet *Dioſcorides*, nec non *Nicolus ſerm.* 4. *tract.* 4. *cap.* 15. Has autem canum imaginationes morſorum utplurimum ſubire mentes volunt, cum aquam, quæ ſpeculi lucidi inſtar adverſas res quodammodo cernere dat, aſpiciunt, ac tum in eâdem canes latere firmiter ſibi perſuadent, quare iſtam abominantes, ac denuo ſe morſum iri credentes cedunt retro, vel etiam liquorem illum à cane, quem vidiſſe ſe falſò imaginantur, vitiatum autumant, ideoque, licet quam maxume ſitiant, faſtidiunt: quale exemplum è *Rhaze* adducit *Marcellus Donatus lib.* 6. *cap.* 1. *pag. mihi* 594. de quodam, qui à à rabido læſus cane, ac in Noſocomio, urgente ſiti, aquam petitam, porrectamque abominatus fætidam, nec aliter, quam ſi canis cujuſdam eâdem lota eſſent viſcera turbidam dixerit,

rit, productâque dein aliâ idem reſponderit non abſque objurgatione, ac irati animi indiciis puram, clarioremque poſcens.

At non ſemper depravata eſt hydrophobis phantaſia, neque hi omnes delirant, quare non poteſt delirium hujus morbi pathognomonicum ſignum conſtitui. Non omnes delirare probat (ſi vera ſit) hiſtoria Philoſophi ex *Ætii Tetrabibl. 2. cap. 24.* Ut & ea, quæ à *G. Horſtio lib. 7. part. 2. fol.* 322. eſt allata.

Teſtatur etiam *Salius Diverſus* ſe vidiſſe aliquos à cane rabido demorſos, quibus nulla unquam fuit delirii ſuſpicio. Non omnes delirant, inquit *Codronchus pag.* 100. aliqui enim mente conſtant ad ultimam vitæ horam. Idem affirmant *Nicolus*, *Cœlius Aurelianus*, *Fonſeca*, *&c.*

Prædictæ opinioni etiam adverſari videtur experientia. Cum multi etiam ſe læſos neſciant, quales ipſe vidi. Illi autem cereviſiam faſtidire dici nequeunt, quod canis imaginaria quædam forma in ea appareat, quando turbidior illa eſt, quam ut eam veluti exprimat. Hinc nec *Petrus Salius Diverſus* illam admittit opinionem. Ægros enim nihil omnino videre aſſerit, utpote quos ſæpius eâ de re interrogarit. Quin etiam repertos fuiſſe ſcribit, quibus (uti ſupra monuimus) nec à rabido cane morſis hydrophobia ſupervenerit. Quapropter aliam quandam adducit cauſam, ob quam hujuſmodi homines

quoſvis deteſtentur liquores: Statuit quippe horum uſu rabidum illud ita excitari, & veluti ebullire virus, ac aquam calci affuſam, ut vehementius multo agitatum interiores atrocius, crudeliuſque longe aggrediatur, commoveatque partes. Nemo autem (quod ſciam) eorum, quos rabidus momordit canis, aquâ potâ convaluiſſe, vel melius ſeſe habuiſſe uſpiam legitur. Neque enim quam tantopere recuſant, veneni antidotum aqua eſt, uti ſæpius conſtitit.

Narrat *Tulpius lib.* 1. *obſ. cap.* 21. *pag. mihi* 45. de ſene quodam ſeptuagenario, uti ille, poſtquam ex morſu in rabiem incidiſſet, quamquam Tya fluvio merſus tantum in viſceribus ſenſerit ardorem, adeoque fuerit anxius, utquandoque lecto decumbens omnia abjecerit integumenta, ac ex eodem nudus proſiluerit interdum, nec non alta voce clamitans majori ſe confici ardore, ac ſiti, quam humanæ ferre queant vires; deinde etiam, uti potu levare hanc geſtienti omnia tremuerint membra nec non poſt exiguum hauſtum è manibus deciderit poculum, atque uſque adeo denique omne omnino commotum fuerit corpus, ut non ſemel elatâ exclamarit voce: quid mihi, quæſo, ô Viri, tam pertinaciter obtruditis, quod mihi tantopere adverſatur! Ipſe autem, quamvis abunde tandem potaret, nunquam ardorem pellere, vel non ita diu poſt exortas convulſiones tollere valuit.

Ne

Ne cui itaque mirum ſit, ſi hujuſmodi toxico infecti liquores valde refugiant, quoniam eorum uſu (teſte *Salio*, omnique pariter morſorum turbâ) vehementer admodum commoventur, ut iis viſis; imo & ad eorum mentionem (ut ante dictum) immane quantum agitentur. Atque illud quidem eodem plane modo fieri crediderim, quo nonnullis ad ciborum quorundam, purgantiumve aſpectum, mentionemve nauſea quædam, motuſque corporis inuſitatior ſupervenit, ab illorum deteſtatione ortus.

Cujus etiam ſententiæ eſt *H. Mercurialis de rabie fol.* 25, ut & *Rudius de morb. occult. & venenatis lib.* 4. *cap.* 13. *fol.* 129, nec non *Rodericus à Fonſeca conſultat.* 25. *fol.* 90, ac *Sennertus prax. lib.* 1. *fol.* 160.

Viſi ſunt (inquit *Hieron: Rubeus annotat. ad cap.* 27. *lib.* 5. *Corn. Celſi*) ſtrangulari hujuſmodi rabidi aquæ potu, cum eſſet illis vis allata, ut potarent: quod & Avicenna teſtatur. *Vidi ego* (ita pergit) *Ravennæ in ſuburbio portæ Urſicinæ Emanuelem, vulgo Manolium appellatum, nautam, qui cum aquæ libras circiter quatuor, pluribus vicibus ebibiſſet, magnis enim convulſivis motibus ad aquæ aſpectum, & potum torquebatur, ſic ut ſudore copioſe perfuſus, viribus pene deſtitueretur, nocte tamen inſequenti obiit.*

Tubulos quoſdam confici juſſere quidam, quibus ægris (ne aquæ terrerentur aſpectu) po-

tum porrigerent. Hinc *Rhaſes*, *Avicenna*, ac cæteri Arabes docuerunt olim varia inſtrumenta parari, quibus clam, ac ſine ſonitu, & viſu aquæ ægrotantes decepti bibant. Quod tamen remedium, quamvis ab omnibus fere recentioribus ſuo tempore reciperetur, minime probat *Codronchus* rationibus innixus. fol. 220.

P. M. de Heredia fol. 7. *tract. varior. Medicin.* teſtatur juveni cuidam, poſtquam eum ex hujuſmodi tubulo potum haurire coegiſſet, tantam illico natam fuiſſe oppreſſionem, tantumque ſuperveniſſe tremorem, ut iterum letale venenum quoddam bibiſſe inſcii credidiſſent.

Revera itaque non eſt timor, vel vana quædam imaginatio, propter quam liquores læſi recuſant, ſed ſitientes illos refugiunt, quod tantum incommodi, doloriſque eorum adferat uſus atque oblatio, timent enim, ne hiſce ſuffocentur continuo. Neque dubium eſt, quin abſit omnis faucium tumor, uti ipſe non ſemel ſum expertus, plurimique aſſeverant practici.

Guernerus Rolfincius diſſertat. Anatom. lib. 1. *cap.* 13. *fol.* 179. Potus, ait, averſationem in morſis à cane rabido magni nominis medicus referebat ad inflammationem faucium, & conjunctam anginæ ſpeciem: ſed aperta aliquoties cadavera nulla inflammationis veſtigia oſtendere.

Co-

Codronchus de rabie pag. 117. *A nemine,* ait, *huc uſque ſcriptum, vel experimento comprobatum eſt facultatem deglutiendi rabidis fuiſſe læſam.*

Clariſſ. Vir. Joh. Wallæus in Academ. Lugd. Batav. olim Medicinæ Profeſſor *med. pract. l.* 2. *cap.* 2. *pag. mihi* 138 cum ſedulo aliquando interrogaſſet hydrophobos quid cauſæ eſſet, quo minus biberent; iterum, iterumque rogati fuſti ſimile quid gulis inhærere reſponderunt.

Similesne etiam queſtus ingeminant mulieres hyſtericæ? Nullus tamen tumor, aut inflammatio in earum apparet faucibus.

Quare autem hoc venenum hydrophoborum à liquidis irritetur, eorumque uſu peſſime ſeſe habeant ægri, non ita manifeſta eſt ratio,

Reſtat dicendum, quo tandem pacto è læſi loco in corporis reliquum propellatur hoc virus.

Salivæ itaque canis rabidi nonnihil ineſt fermenti, quod (uti diximus) lentum, & craſſum minimeque volatile, ut febrium malignarum, peſtiſque contagium eſt, utpote è viſcoſis conſiſtens humoribus, aërem, ut vehiculum minime agnoſcentibus. Illud parti læſæ firmiter inhæret, atque hac ratione in corpus reliquum agit. Humores videlicet ad nutritionem affluentes ex eo fomite, cui permiſcentur, dum per partem nutriendam circulantur, nonnihil continuè ad ſanguinis deducunt officinam ita ut ibi eaſdem, quas antea in cane, producat fer-

mentationes, planeque ſimilia rabiei phænomena citius, tardius, pro variis circumſtantiis excitet, quæ diverſitatis ratio in agentis, & patientis (uti ante dictum) fortitudine, ac debilitate conſiſtit.

Nec de hoc veneno, ejuſque effectu magis probanda inuenias, quam de Tarantulæ ictu venenoque, quamquam de utroque ſpecioſa ſatis verba, veram tamen ejus, quod res eſt, nuſpiam reperias cauſam.

Sed de Tarantula pauca addam inſuper.

Epipham. Ferdinandus hiſt. 81. *pag. mihi* 254. mirum quid de ſene quodam annorum nonaginta quinque memorat, qui quamquam adeo debilis eſſet, ut vix abſque fulcris ſtaret, ictus ab hujuſmodi Apulâ araneâ illico tamen, auditâ harmoniâ muſica, inſtar capreoli ſaltarit. Addit idem haſce araneas ad tibiæ, tympanive, aut ulterius cujuſdam inſtrumenti muſici ſubſultare ſonum. Ac, qui mihi, inquit, non credit, veniat huc, ac videat, atque ita me vera ſcripſiſſe comperiet.

Illud ipſum etiam affirmat *Kircherus mundi magnetici pag. mihi* 599.

Eſt, inquit, præterea hoc vel maxime admiratione digniſſimum, quod hoc venenum idem præſtet in homine ex ſimilitudine quadam naturæ, quod in Tarantula proprio ſibi ſubjecto. Sicut enim venenum muſica excitatum, continua muſculorum vellicatione hominem ad

ſal-



Apula Aranea Sibe Tarantula ad Muſicum Subſiliens

ſaltandum excitat, ſic & ipſas Tarantulas, quod nunquam credidiſſem, niſi teſtimoniis patrum fide digniſſimorum id compertum haberem. Scribunt enim hujus experimentum in Civitate Andria in Palatio Ducali coram uno è Patribus noſtris, totaque præterea aula factum eſſe.

Nam Duciſſa loci, ut hoc admirabile naturæ prodigium luculentius pateret, Tarantulam data opera inquiſitam conchæ aquâ refertæ, atque in ea ſupra feſtucam tenuem libratam imponi, & mox cytharoedum vocari juſſit; quæ primo quidem ad ſonum cytharæ nullum motus dedit veſtigium, mox tamen, ubi ſono humori proportionato præludere coepit, beſtiola frequenti pedum ſubſultatione, totiuſque corporis agitatione ſaltationem non affectavit duntaxat, ſed & vere ad numeros harmonicos ſubſiliendo eam expreſſiſſe viſa eſt; ceſſante quoque cytharoedo, ceſſavit & ſubſultare beſtiola. Hoc vero, quod præſentes in Andria mirabantur, Tarenti poſtmodum ordinarium compererunt, ubi ſanatorum, quia muſica ſuâ hoc malum etiam publicis magiſtratus ſtipendiis ad pauperum remedium, ſolatiumque conducti curare conſueverunt ad curas patientum certius, faciliuſque accelerandas, primo ex infectis quærere ſolent, ubi, quo loco, aut campo, & cujus coloris Tarantula, à qua morſus ipſis ſit inflictus.

Quo facto indicatum locum protinus, ubi frequentes numero, atque omnis generis Taran-

tulæ retium texendorum laboribus incumbunt, accedere ſolent medici Cytharoedi, variaque tentare harmoniarum genera; ad quæ, mirum dictu, nunc has, nunc illas ſaltare, non ſecus ac in duorum polychordorum æqualiter concinnatorum perſonatione, illæ quæ ſimiles ſibi fuerint tono, & æqualiter tenſæ moventur, reliquis immotis; ita & pro ſimilitudine, & conditione Tarantularum nunc has, nunc illas ſaltare comperiunt; cum vero ejus coloris Tarantulam quæ à patiente indicata fuerat, in ſaltum prorumpere viderint, pro certiſſimo ſigno habent modulum ſe habere verum, & certum humori venenoſo τ῀ ταραντίζοντος proportionatum, & ad curandum aptiſſimum, quo ſi utantur, infallibilem curæ effectum ſe conſequi aſſeverant. Idem & *ejuſdem lib. pag.* 588. Nec homines ſolum, ait, ſed & alia animalia à Tarantulis icta ad ſaltandum concitantur. Recitat *D. Sennertus lib.* 1. *prax. pag.* 2. *cap.* 7. Veſpam à Tarantulâ morſam, ſimulque Tarantulam ad vicini Cytharoedi ſonum tripudiaſſe; Gallum quoque commorſum Tarantatorum more concinne ſaltaſſe. Quod & de omnibus animantibus aſſeri debet.

Plura alia, nec minus miranda de Tarantulâ idem *Kircherus dicti mundi magnetici parte* 8. *lib.* 3.

Nec magis certæ cauſæ quidquam de *Chorea Sancti Viti* reperias, quæ furoris, inſaniæve

quæ-

quædam eſt ſpecies, quâque agitati continuo, nec unquam ceſſante currendi, ſaltandique ſtudio tenentur. Dicitur autem Chorea Sancti Viti quod ille quondam (licet immerito) hujuſmodi morbos, maloſque affectus tollere potuiſſe dicatur. Hujus autem rei exemplum eſt apud *Platerum lib. obſ. pag. mihi* 85. ac *tom.* 1. *prax. cap.* 3. *fol.* 87.

Vidi, inquit, *cum puer adhud eſſem Baziliæ fæminam quandam hoc horrendo affectu laborantem, quæ in tribûs Suburbii cinericii domum quandam, non procul à parentis ædibus, à lictoribus ducebatur, cui Magiſtratus viros quatuor robuſtos, qui alternatim uno feſſo, altero ſuccedente, cum eâ dies, noctesque tripudiarent, conſtituit, quod fere menſis ſpatio, ſpectantibus multis duravit, ſine fere intermiſſione, etſi ſolearum pedum ejus cutis attrita eſſet. Et licet aliquando, ut cibum caperet, & ſomno correpta ſedere cogeretur, tamen geſtu motuque corporis inquieto, interim nihilominus corpus veluti ſaltans agitabat, donec omnino viribus proſtratis, adeò ut nec ſtare amplius poſſet, à ſaltu ceſſare coacta, in Hoſpitale vecta eſt; ubi refecta ſenſim denuo convaluit.*

Simile quid Cortraci in Flandriâ ſe vidiſſe memorat *N. Tulpius obſervat. lib.* 1. *cap.* 16. Plura qui deſiderat de Choreâ hac, adeat *G. Horſtium lib.* 2. *obſerv.* 45. *fol.* 112. & *ſeqq.* nec non *Schenkium fol.* 155. *G. à Reyes Elyſ.*

 ju-

jucundiſs. quæſt. campo, quæſt. 97. *fol.* 714. ut & *Sennerti inſtit. fol.* 412. *libroque pr. fol.* 164.

Quoniam igitur, uſque adeo contagioſus, periculoſuſque rabidi canis morſus eſt, ſummopere, oportet, illum, quâ fieri poſſit maximâ, diligentiâ caveamus.

Operam igitur non ludam, ſi univerſa rabie agitati canis ſigna, indiciave lectori cauto ob oculos ponam.

Sunt autem hæc. Cibum, potumque averſantur quotquot rabie agitantur canes, ſpumamque ore, ac naribus ejiciunt, quemvis aggrediuntur, ac mordere geſtiunt, ceſſante tamen latratu; oculi autem illis ſunt rubicundi admodum, ac flammei, neminem veluti agnoſcunt, caudæ vero ſunt pendulæ, linguæque (quibus fuſcus, vel etiam flavus utplurimum eſt color, tanquam felle imbutis) multum ex ore propendunt. Quam citiſſime interdum hujuſmodi canes currunt, ac ſæpe etiam incautius in murum, aut aliud quid prono incurrunt corpore, quin & curſum nonnunquam præter expectationem ſubito ſiſtunt; cæteri autem canes iſtos fugiunt.

Diſcutienda autem unica reſtat quæſtio, num videlicet cani rabies ex verme quodam in cerebro, vel ſub linguâ exiſtente proveniat?

Jacob. de Part. ſuper Avicen. Fen. 1. *Tract.* 2. *cap.* 3. canes in rabiem ferri dicit ſcribi propter vermem quendam in cerebro latentem. *G.*

Reyes

Reyes à Franco quæſt. 61. *fol.* 464. merum hoc eſſe ait figmentum, neque enim quemquam id ipſum aſſerere. Licet ſint, qui in caprarum capitibus vermes quandoque reperiri ſcribant. Uti apud *Alſarium à Cruce de quæſitis per epiſtolam*, *cent.* 3. *fol. mihi* 194. legi poteſt.

Bartholinus Epiſtolar. medic. centur. 3. *Epiſtolâ* 38. *pag. mihi* 198. Æſtas enim hæc ſicca, æſtuanſque, ait, multa animalia in phrenitidem, & vertiginem agit, quod damno ſuo multi apud nos agricolæ experti ſunt. Notandum id imprimis de equis, bobus, & ovibus. Vermes capiti ineſſe ita affectorum, ruſticorum noſtrorum eſt obſervatio.

Quod num etiam in canibus fiat, non ita eſt exploratum.

Videtur credere *Plinius* rabiem canibus ex vermiculo quodam oriri, qui ſub illorum lateat linguis, *natural.* enim *hiſtoriæ lib.* 29. *cap.* 5. *pag. mihi* 540. *Eſt*, inquit, vermiculus in lingua canum, qui vocatur à Græcis λύσσα, ſive λύττα, quo exempto infantes catuli nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt.

Ille autem, cujus modo memini, *G. Reyes quæſt.* 62. *pag. mihi* 476. fictum illud, fabuloſumque dicit, ſicut & illud, quod *Dioſcorides*, ac *Serapio* de rabidi canis molari dente corio conſuto incluſo, ac ubivis circumlato, tanquam infecti canis morſus antidoto, aſſeverant. *Jobus*

bus Mekeranus obſ. cap. 59. *pag. mihi* 364. parvulis canibus plerumque vermem ſub linguis naſci ſcribit, quo laborent, ubi multum rodere cernuntur. Cum enim temperiei ſiccæ, calidæque ſint, vermis titillatum ſub lingua tolerare nequeunt, unde longe calidior (præſertim diebus canicularibus) ſanguis ipſis febris, propendentiſque linguæ (tam propter vermem, quam ariditatem) ac tandem rabiei cauſa eſt.

Baptiſta autem *Codronchus lib.* 2. *de Hydrophobiâ fol. mihi* 223. *Sciendum*, inquit, *eſt*, *illam partem, quam eximunt, non eſſe vermiculum, ſed nervum vermis teretis figurâ.*

Quin & *Aldrovandus lib.* 6. *de inſect. fol.* 679. *cap.* 3. nonnullos non animalculum quoddam hoc, ſed nervoſum plexum credere tradit.

Franciſcus Joel lib. 2. *morb. univerſ. ſect.* 4. *pag. mihi* 150. rabiei canum cauſam inter alias ſtatuit putrefactionem, ac inflammationem nervoſæ illius congeriei vermem referentis, quæ ſub canum linguis conſpicitur, & Græcis λύσσα, id eſt vermis, nominatur. Hæc enim vermiformis congeries ſi catulis bis excidatur, iiſve poſt quadrageſimum à productione diem extrema præcidatur cauda, (ut teſtatur *Columella de re ruſticâ* (*lib.* 7. *cap.* 12. *fol. mihi* 519.) nunquam in rabiem incident.

Quidquid ſit, ipſe ego affirmare non dubito vermem minime è catulorum linguis, ſed nervoſum quoddam educi ligamentum.

Ver-

Vermem autem eſſe linguarum caninarum ſectores medici hominibus, uti credo, perſuadent, ut majus iis inde obveniat lucrum: haud ſecus, ac circulatores, qui dentes evellunt, vermem quendam in dente molari latere vulgo perſuadent, qui continue dentem illum exedat, corrumpatque, atque ita maximi doloris ſit cauſa: cum tamen non niſi nervoſa quædam, ut ante dixi, vermemque referens reperiatur particula.

Petrus autem Salius Diverſus cap. 19. *fol. mihi* 312. canibus hoc quicquid eſt mali è peculiari quadam corporis humorum corruptione naſci arbitratur ex eſu, potuque ciborum, liquorumque putridorum; ortâ: addit inſuper quam accuratiſſime ſeſe animadvertiſſe hanc plerumque canum rabiei fuiſſe cauſam, quod corrupta, putridaque hominum cadavera, vel carnes animalium putreſcentes comediſſent, vel potum conſimilem hauſiſſent, vel alia abominabilia deguſtaſſent.

Ut autem paucula addamus de curâ. Quiſquis à rabido morſum ſe cane ſciverit, quantocius læſum aquâ ſalsâ, vel urinâ abluat locum. *Raymund. Joh. Fortis centur.* 1. *conſult.* 20. præfert hoc caſu vinum calidum, cui pauxillum ſalis admiſtum ſit, Sal enim demorſis, præcipue ei vulneri, quod canis fecit, medicamentum eſt, ut *Celſus vult cap.* 27. *lib.* 5. *fol.* 509. Alii nonnihil Theriacæ addunt.

Quod

Quod ſi inſuper ipſam vulnus aperuerit cutem, ad trium, quatuorve digitorum latitudinem ſupra illud firmiſſimo vinculo, ſiquidem fieri poſſit, læſa pars erit conſtringenda.

Monet autem *Celſus*, ne tam firmiter illa ligetur, ut omni privetur ſenſu. Quæ conſtrictio ſi per vinculum propter læſæ partis conſtitutionem fieri nequeat, adſtringentes pulveres ovi admixto albumine, vel eorum loco defenſiva vicinis locis admovenda ſunt emplaſtra.

Ut autem omnis veneno ad interiora præcludatur tranſitus, non inutile erit, ſi, prout *Celſus* monet, cucurbitulæ læſæ applicentur parti, quas cum multâ flammâ majoris attractionis ergo adhibere, ac ſcarificare, terque renovare, & affigere jubet. Si vero parti demorſæ cucurbitula apponi nequit, veluti digitis &c, nec etiam ſcarificatio ibi locum habere poteſt, hirudines plures circa vulnus applicari poſſunt: Deinde emplaſtrum *Galeni* applicandum è pice, aceto & opoponace in vino liquato.

Ablui deinde locus morſus, & fomentari poterit ſequenti remedio:

℞. *Theriacæ* ℥ß.
vini generoſi ℔j.

Eidemque poſtea non inutiliter hoc applicabitur cataplaſma.

℞.

℞. *Theriacæ vet.* ℥ß.
Succi cæpar. ℥ß.
Stercor. Columb. ℥iiß
Salis comm. ʒij.
Pulv. rut.
Scordii āā ℥ß.
aq. vitæ q. ſ.
Fiat Cataplaſma.

Poſtridie vel etiam quintâ, ſextâve poſt horâ candenti quoque vulnus aduri poterit ferro: cum ut dometur, conſumaturve eidem inhærens virus, tum ut ſimul aliquamdiu ulcus apertum maneat, per quod virus diu effluat, quod poſtremum ad quadrageſimum uſque diem ad minimum plerique requirunt ſcriptores medici.

Fieri autem id facile poterit, ſi piſum majuſculum ſingulis diebus bis, vel etiam exſiccatæ ſpongiæ particula, uti ſolet fiſtulis, immittatur. Quamquam *G. Fabritius Hildanus obſ.* 87. *cent.* I. *fol.* 67 quavis hebdomadâ ſequenti pulvere vulnus bis terve intus conſperſerit.

℞. *Pulv. præcipit.*
lap. Bezoard.
pulv. rad. Angelicæ āā ℈j.
miſce.

Hanc enim & attrahentem, venenoque reſiſtentem dicit.

Ne-

Neque tamen leviter, vel ſumma tantum in cute, ſed profundius facienda eſt dicta aduſtio, ſi per membrum infectum liceat; plus enim peccaverit, ſi minus, quam ſi magis profunde aduſſerit Chirurgus.

Heurnius autem *lib. de morb. cap.* 13. (qui cum *Dioſcoride* cucurbitularum applicationem, aduſtionemque, prioribus diebus tranſactis, non multum adferre utilitatis ſcribit) *cautio adſit*, ait, *in cauteriorum impoſitione, ut, ubi morbi principium (quod varium eſt, duorum, quatuor, & plurimum dierum) præteriit, à cauterio pax ſit. Nam altius jam ſe inſinuavit venenum: ſcarificabimus tamen, & ſiccantia evocantiaque imponemus.* Si uſtio, aut adurentia remedia primis diebus prætermiſſa fuerint, nec ſcalpro carnem incidere, nec uſtionem experiri operæ pretium eſt ſcribente *Palmario fol.* 338, quia malum jam altius penetravit.

Continuo autem ſeparanda eſt aduſtione facta cruſta, ne veneno impediatur exitus: ſeparatio autem recenti butyro, ovique vitello effici poteſt.

Jobus autem *Mekeranus* ad hoc efficiendum utitur *unguento Baſilico, Theriaca* mixta, poſteaque modò deſcriptum vulneri imponit cataplaſma.

Galenus lib. de Theriaca ad Piſonem non utitur ferro candente, ſed carnem profunde & orbiculatim excidit, ut vulnus diutius apertum retineri poſſit.

Non-

Nonnulli, ſi partis conditio ferat, partem demorſam ſtatim amputandam cenſent, exemplo illorum, qui aſpide, aut viperis demorſi, digitos amputaverunt, & ſalvi evaſerunt.

Verum non ita neceſſarium hoc videtur, cum venenum canis rabidi non ſit tam celeris activitatis, ac venenum aſpidis, & viperæ, & aliis modis ſatis poſſit educi.

Fabrit. Hildanus obſ. 98. *cent.* 2. *ac cent.* 1. *obſ.* 87. *fol.* 67. aduſtam cruſtam poſtridie ſectione eximit, nullâ omnino vulneri adhibitâ pinguedine, quod eâdem veneni impediatur exhalatio. Poſt aduſtionem autem goſſipium aquâ vitæ tinctum læſo admovet loco, admixta itidem Theriaca, ac dein ſequens emplaſtrum ſupra linteum extenſum applicat.

℞. *Cæpar. aliquantulum ſub cinerib. coctarum.*
Fermenti acris
Far. Sinap. ā ℥j.
Theriacæ ℥ſ.
Fol. rutæ.
Scord. ā m ß.
Miſceantur in mortario addendo parum mellis.

Tantum autem ardentis ferri in hoc malo uſum aſſerit, ut circulatorem quendam ſe noviſſe dicat, qui non alio, niſi hoc contra venena uſus ſit remedio, licet id ipſum ſe non probare fol. 177. ſcribat.

 De-

Deſcribit *Jobus Mekeranus pag. mihi* 367. hunc potum quotidie bibendum.

℞. *Rad. Scorzon.*
Fol. Rutæ.
Betonicæ.
Nepethæ ā mj.
Salv. minor pug. ij.
Leviſt. mß.
Coq. in vino Gall.
colatura detur uſui.

Palmarius de morb. contagioſis pag. mihi 344. *cap. de morſu canis rabidi* mirum in modum ſequentem extollit pulverem, ad dragmam dimidiam ſumptum, imò & Hydrophobis prodeſſe tradit, ſi eodem tribus, antequam prandeant, horis, ſive ſicco, ſive cum ſaccharo, ſyrupove aut etiam melle, in bolum formato, vel alioquin cum vini quantitate parciore utantur.

℞. *Fol. Rutæ*
Verbenæ
Salviæ.
Plantag.
Fol. Polypody.
Abſynthy vulg.
Menthæ
Artemiſiæ.
Meliſſophyl.
Beton.
Hyperici
Centaur. min. ā *part. æq.*
Fiat omnium pulvis.

Hoc autem loco ſilere nequeo, quod mihi, impreſſâ jam obſervationum Centuriâ contigit. Vicino quippe mihi Fabro cuidam lignario X. Sept. anni 1682. canis erat, qui à prætereunte, eoque rabido cane morſus poſt novem dies malè ſeſe habere cœperat, nec cibum, nec potum admittens, quietiſque impatiens, ſine lege huc illuc diſcurrebat, oculis inconſtantibus admodum, atque halitu oris graveolenti. Nihilominus tamen ipſe faber, ejuſque uxor, nec non puella quædam alia, ut & famulus (at quam imprudentur!) canem hunc ad ora ſalivam hauſturum (ita enim ſolebat) admittebant, donec manifeſta ſe rabiei proderent indicia. De quâ cum nullum tandem eſſet dubium, immerſo aquis cane, extinctoque, ad me venitur. Conſului itaque, uti ſe æquore tingi omnes juberent continuo, (licet, ut mox dicam, huic remedio abſque aliis non multum fidam) domumque reverſi lectis decumberent. Tum vero diaphoretica unicuique præbui, quotidieque jam adducta ſumere præcepi remedia, præcipue autem *Palmarii Electuarium*, *Galenique pulverem*, quorum mentionem modo feci. Tum, ut hiſce per integrum uterentur menſem, ſuaſi. Necdum tamen horum cuiquam vel minimum mali obveniſſe intellexi.

Nobiliſſ. Vir. Joh. Ludov. Hannemannus part. 2. *Act. Med. Thom. Bartholini obſ.* 110. *fol.* 274. admirandam deſcribendo remedio at-

tribuit laudem, nunquam enim ſefelliſſe, imo ipſos Hydrophobos ſanaſſe tradit.

℞. *Herb. Rutæ*
Abrotani
Beton. anguſt. fol.
Salviæ anguſt. fol. ā mj.

Inciſis affunde acet. vini opt. ℔j. ſique tempus permittit, per aliquot horas maneant in infuſo, exprime, expreſſo adde

Theriacæ Andromachi ʒij.

Adultus magnum de eo faciat hauſtum, junioribus & puerulis detur cochleatim, ſin vero periculum metuatur, additur

Herb. card. fullonum mj.
vel hujus ſem. contuſ. ℥j.

Addit vulnus commorſum per 9. dies apertum tenendum, ac prædictas herbas expreſſas poſt fricationem cum bacillo è vite applicandas omni mane, tam diu donec æger in portu naviget: & ſi metus periculi adhuc ſit, repetendam eſſe potionem.

Uſque adeo ſalutiferas autem has ait, ut tota Reſpublica Medica ſimile euporiſton vix habeat. Illud & ipſe datis ad me literis ſignificavit Vir Excellentiſſimus, ſcripſitque fide dignam ſibi aſſeruiſſe Matronam ſolo ſem. card. fullonum uſu in lacte dati reſtitutum Hydrophobiâ laboran-

tantem, & hoc ſemen adjici aliis compoſitis alexipharmacis, quanto magis furori, & Hydrophobiæ proximus eſt æger.

Si quis itaque à cane morſus fuerit, quem non viderit, vel etiam de viſi rabie dubitaverit, aut ſi quis de eâ certus, num aptis ſatis expulſum ſit venenum remediis, hæreat, nonnulli, quales ſunt *Ætius*, *P. Ægineta*, *Oribaſius*, aliique, vulneri, ulcerive jubent panis offam vino nonnihil immaceratam, contuſaſve imponere juglandes, quibus poſtea comeſis ſi extinguantur gallinæ, continuanda erunt remedia, apertumque tenendum vulnus: licet *Euſtachius Rudius de morb. occult. fol. mihi* 26. *ac* 134. ut & *Jul. Cæſar. Claudinus empyr. ration. fol. mihi* 300. non ita certum hoc credant experimentum.

Quid autem de merſione in aquas dicendum? *Celſus* equidem *lib.* 5. *cap.* 27. unicum miſerrimi hujus mali remedium ſtatuit nec inopinantem in piſcinam, non antea ei præviſam projicere, & ſi natandi ſcientiam non habet, modo merſum bibere pati, modo attollere; ſi habet, interdum deprimere, ut invitus quoque aquâ ſatietur. Sic enim ſimul & ſitis, & aquæ metus tollitur. Hanc autem in aquas immerſionem ipſe, ut & *Cælius Aurelianus*, requirit, antequam nata ſit hydrophobia, obruaturque ſymptomatibus peſſimis æger, vix enim quidquam tum ſupereſſe levaminis ait.

Hoc tamen qualecunque remedium nunquam fallere Batavorum vulgus putat.

Foreſtus lib. 20. obſ. 28. fol. mihi 350. de innumeris memorat, quibus, ipſo conſulente, aquâ merſis nihil exinde ſupervenerit mali. Idem & teſtatur *N. Tulpius lib. 1. obſ. med. cap. 20. pag. mihi* 43. Verum illi fortean ſputo contacti tantum, nec ita læſi, ut ſanguis manaverit (uti & dicto loco indicat *Foreſtus*) vel aliis inſuper uſi fuere remediis.

Beverovicius autem parte primâ Theſauri valetudinis adverſæ cap. 9. fol. 440. aliique fallere quandoque ſe vidiſſe immerſionem affirmant.

Quod & animadvertit *Cardinalis Ferdin. Pozettis lib. 3. de venenis cap. 18. fol. 569. Permulti*, inquit, *ſe in mare demerſere, nec tamen exinde adverſus rabiem quicquam adjumenti ſenſere.* Quamobrem (ait *Paræus lib. 20. cap. 14. fol.* 440.) illi remedio non eſt fidendum.

Rejicere videtur frigidam balneorum aquam *Avicenna*, timet enim, ne poris occulſis, intus propellatur virus. Quo modo eâ de re etiam judicat *Rudius de morb. occult. p.* 127. ut & alii. Ille autem eo loco nec *Dioſcorid*: nec *Galenum*, alioſve ad præveniendam hydrophobiam ullam unquam dulcis, temperatique, frigidive balnei feciſſe mentionem tradit.

Scribit *Oribaſius* ante vigeſimum diem balnea nocere, ante quadrageſimum ſtatuunt alii. *Avicenna*

cenna autem loco modo adducto, ne læſum, ait, eo tempore in balneum admittas, necaveris enim, ſi intrare ſiveris.

Codronchus de rabie fol. 47. *ſcimus*, inquit, *quendam divitem, à catulo manu commorſâ, ſeptimo die cum ingentiſſimo aquæ cruciatu, ac convulſionibus miſerrimè vitâ exceſſiſſe, nec illi quicquam contuliſſe, quod aquâ bis, & ter merſus fuerit, & eam potaverit.* Idem *fol.* 202. ita pergit; *In mare dejectionem abſque aliorum uſu medicaminum cum Andr. Baccio lib. de venenis, & Antidotis rejicerem, quam meam opinionem Foreſtus lib.* 10. *obſ.* 28. *confirmat narratione illâ de juvene, cui Delphis Batavorum poſt ſextum à læſione menſem, quamvis aquis merſo, hydrophobia fuerit orta, forte, quod legitima ſpreverit remedia.*

Hæc præterea in aquis immerſio hyberno præſertim tempore periculoſior videtur, ſi debiles inſuper, tenellique homines morſi fuerint. Quapropter *dicti libri modo adſcripto loco Celſus*: *Sed aliud, ait, periculum excipit, ne infirmum corpus aquâ frigidâ vexatum nervorum diſtenſio abſumat.* Damnat etiam hoc genus remedii *Cælius Aurelianus acut. morb.* 3. *cap.* 16. *eò quia*, inquit, *ſæpe ægri ex hujuſmodi immerſione incurrunt convulſiones, contractiones, & alia mala.*

Novi, ait *Beverovicius dicto loco* quendam ruricolam, qui merſus, ac, madidis retentis veſtibus, trahæ impoſitus, antequam domum reverteretur, exſpiraverit.

G.Stratenus medicus nuper celeberrimus retulit mihi ingenioſam quandam Dominam à cane læſam rabido ipſum conſuluiſſe, an hijeme, ſtringente aquas glacie, ſeſe mergi pateretur, cum tenello eſſet corpore, frigeretque admodum aer. Ipſe autem ſe immerſionem diſſuaſiſſe mihi dixit, verum infectæ parti aliquoties cucurbitulas cum ſcarificatione imponi juberet, præcepit, eandemque paſſim, Theriacâ, aquâ rutæ, ſimilive liquore deſtillato, vel etiam vino mixtâ ablueret, intereaque quotidie per integrum menſem antidoto quodam uti non ceſſaret, atque ita omnis mali immunis evaſit. Ipſe autem optimum profecto hunc ſanandi modum judicaverim, namque injectioni in aquas, præcipue ſi altius vulnus foret, non nimium fidens, quamquam non omnino rejiciam, ab ipſo uſque initio alia inſuper intrinſecus, extrinſecuſque applicuerim remedia.

Scribit *Palmarius p. mihi* 347 hunc in modum.
„ Noſtrates hoc remedii genus ad præcautionem
„ uſurpant, mare fluviis præferentes: Hydro-
„ phobiâ jam oppreſſis iſtam curationem infœ-
„ liciter ceſſiſſe, at præcautionis gratiâ pleriſ-
„ que profuiſſe, multorum experientiâ compertum
„ eſt. Quamquam ne huic quidem reme-
„ dio prorſus fidendum eſſe per multorum mor-
„ tes didicerunt populi maritimi. In pleriſque
„ enim aquæ conſpectus hydrophobiam veneno
„ in corpore commoto celerius exſuſcitat, quod
„ alioquin ſine ullo ægri incommodo diutius de-
liteſ-

„ liteſcere, & alexipharmaco extingui domari-
„ que potuiſſet.

Petrus Salius Diverſus de affect. particul. „ *cap.* 19. *pag.* 339. Unicum tamen, inquit, ab „ antiquis ad hoc propoſitum eſt remedium, vi- „ delicet aquæ dulcis balneum, ejuſdemque po- „ tus, quo, eorum auctoritate fretus, aliquan- „ do expertus, nullam in eo utilitatem inveni, „ imo cum plurimum hujus nonnulli potaſſent, „ plurimum etiam detrimenti hinc eos conſe- „ cutos, quam rem cum accurate perpen- „ derem, ratio, & fruſtrata experientia me „ vanum eſſe remedium iſtud credere coëge- „ runt. Imo cum ingens antipathia ſit inter „ aquam, & virus iſtud, epota aqua ſemper „ detrimento erit patientibus, cujus merito, „ & maximà cum ratione ab *Avicenna libr.* „ 4. *fen.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. dictum fuit: *& quandoque ſorbet ex eâ, quare ſtrangulatur per eam, & moritur.*

Ideoque cenſet *Salius Diverſus* non oportere Medicos huic fidere ſanandi modo, utpote vano, & contra rationem adminiſtrato.

Th. Bartholinus Centur. 2. *hiſt.* 89. Mulier „ quædam, inquit, Lugduni in Batavis Ao. „ 1645. à cane rabido morſa aquâ Rheni præter- „ fluentis, ſanitatis recuperandæ gratiâ, abluta „ eſt, ſed curru cum aliâ comite in civitatem „ reverſura, prope portam vomitu ſupervenien- „ te, animam evomuit. Itineris ſocia, quam

,, vomitus venenoſus adſperſerat, infeceratque ,, tertio inde die quoque exſpiravit.

Quantum autem ad venæ ſectionem attinet, fruſtra quidem illa hoc caſu fit, quod eâ non expellatur virus, ſed debilitentur vires plurimum, ideoque ad reſiſtendum minus fiant idoneæ.

Solæ cucurbitulæ læſæ adhibitæ parti admittuntur.

Qui hydrophobis venas ſcindere parant (ut ſcribit idem *Salius Diverſus fol.* 340.) quo mortem maturent, medium proponunt, cum quod ſectione illâ deficiant vires, tum quod veneno minime reſiſtat qualiſcunque iſtæc exoneratio.

Nec adhibendas putem alvi purgationes, præſertim etiamnum recenti malo, quando iis ab exterioribus ad interiora humorum excitetur motus. Ita & teſtatur *Rudius p.* 136. *G. Fabrit. Hildanus Cent.* 1. *obſ.* 87. *fol.* 67. Nec non *Sennertus med. pract. libr.* 1. *part.* 2. *cap.* 16. *fol.* 163.

Quamquam & ſint, qui hujuſmodi purgantia, ſumpto prius quodam antidoto, ante hydrophobiam admittant. Si vero ipſo morbi initio cuiquam alvus impura, atque excrementis referta ſit, poterit enema, aliudve lenius purgans præſcribi.

Ne quid autem indictum maneat, videamus, anne ejus, qui momordit, canis pili appliciti juvent?

Tradunt equidem nonnulli illos eſſentiæ quâdam

dam paritate venenum educere, haud aliter, ac ſolet contuſus Scorpio vulneri, quod fecit, admotus omne tollere virus, quos inter reperio *Plinium lib.* 24. *cap.* 5. *fol. mihi* 540. *Paræum lib.* 20. *cap.* 14. *p. mihi* 440. Utut autem illi, & præter hos alii quoque hoc extollant antidotum, ſuprà adſcriptis ægros adjuvare tutius crediderim remediis.

Illos autem Anticyras navigare jubeo, qui læſis venenati, à quo vulnus illatum, canis aſſatum jecur triduo comeſum ad ſanationem facere ſcripſerunt. Quando etiam tradit *Galenus de compoſit. medicam. per gen. cap.* 16. ejuſmodi hepar laudari quidem à quibuſdam, verum & audiſſe ſe aliquos huic remedio nimium fiſos miſere interiiſſe.

Sunt, qui putent, ſcribente *Avicenna lib.* 4. *fen.* 6. *tract.* 4. *cap.* 9, rabidi canis cruorem, aſſatumve hepar læſos ſanare poſſe; Ille autem ſe hæc præſcribere non audere ait.

Paræus etiam *lib.* 20. *cap.* 14. *fol.* 440. ſibi eâ de re non liquere dicit. Quamvis *Palmarius pag. mihi* 342. *dicti libri* experientiâ ſe didiciſſe aſſerat ruſticos quoſdam canis rabidi, à quo læſi eſſent, jecinoris eſu hydrophobiam evaſiſſe.

Veriſimilis tamen non eſt qualiſcunque hæc curatio, quod ſcribant *Fernelius lib.* 2. *de abdit. rerum cauſis cap.* 14., ac *Donatus fol.* 592 rabido lupo comeſo, multos fuiſſe infectos, quibus etiam non ita diu poſt hydrophobia orta ſit.

Qua-

Quale exemplum etiam *Bauhinus* de porco in rabiem verſo adducit, qui plurimis comeſus miſerrimi fuerit leti cauſa.

Neque magis crediderim morſui canis rabidi medendi rationi, quæ fit Sacello *Divi Bellini* de quo *Cælius Rhodiginus*; vel quæ peragitur *Divi Donini* Templo, de quo *Mathiolus* agit.
„ Horum ille *lib.* 17. *lect. antiq. cap*: 28. Eſt
„ in Rhodiginis paludibus, inquit, Divi Bel-
„ lini Templum, miraculorum frequentiâ ce-
„ leberrimum,& affluxu hominum etiam notiſſi-
„ mum. Erectæ ædis cauſa fere publica eſt.
„ Pulſus is Divus Patavio, graſſantibus no-
„ bilium pleriſque, quod ſeverius, ſanctiuſque
„ quam illis probari poſſet, Epiſcopum ageret,
„ inſectantibuſque inimiciter adverſariis, in
„ paluſtre agri noſtri ſolum quindecim millibus
„ Rhodigio diſtans divertit. Cum manus ho-
„ minum evaſiſſe videretur, canum rabiem non
„ evaſit, à quibus è veſtigio convulſus, diſ-
„ cerptuſque mox in Divorum indigitamenta
„ relatus, templum in illis emeruit locis, in
„ quo & arca marmorea ferreis occluſa cancellis
„ latet ſanctiſſimum ejus corpus.
„ Templi vero ex necis genere ea cœleſtis eſt
„ proprietas, ſi quis clavem ſibi quæſierit, quâ
„ ædis valvæ recludantur, ac ea candente,
„ quicquid rabie agitari orſum ſit, attigerit,
„ præſentiſſimum eſt remedium, & nunquam
„ non verum. Hic vero *Comment. in cap.* 37.
lib.

„ *lib. 6. Dioſcoridis* ſubſequentia refert: per-
„ pauci noſtro tempore habentur à cane rabido
„ demorſi, qui medicos conſulant, nam eſt
„ tanta religionis vis, ut omnes quos rabidi ca-
„ nes momorderint, partim ad *Divi Donini*
„ Templum confugiant, partim vero ad *Divi*
„ *Bellini* Sacellum, ubi quibuſdam exorciſmis,
„ & panibus characteribus obſignatis, à ſacer-
„ dotibus perquam facile ſanantur, ut pluri-
„ morum teſtimonio equidem fateri poſſum.

Aſſertionem *Cælii Rhodigini* de clave Templi *Divi Bellini* quod attinet, illam partim ſuperſtitioſam, partim quoque rationali curationi convenientem judicat *G. Horſtius cent. problem. Therapeut: Decad.* 10. *quæſt.* 2. *fol. mihi* 204. Superſtitioſam, propterea quod falsâ plebis perſuaſione virtus quædam ſanandi clavibus illius Sacelli tribuatur: partim vero curationi naturali convenientem, quatenus ejuſmodi clave candente morſus inflictus exuritur, quâ ratione venenum elicitur, vulnus apertum conſervatur, viruſque illud minus ad internas corporis partes ſe inſinuat. Etenim verum eſt, quod habet *Dioſcorides lib. 6. cap.* 48. Ubi *contra*, inquit, *virulentos ictus uſtio expeditiſſimum auxilium eſt, utpote cum ignis cætera viribus præſtet, ſive quod virus domet, & penitius ferri non patiatur, ſive quod pars ignem experta poſtea non vulgare fundamentum curationi præbeat, manente diutius exulceratione.*

Ad-

Adjuvat naturam in expellendo firma phantaſiæ perſuaſio, quæ vel ſola plurimos, graviſſimoſque morbos non raro curat.

Matthiolus porro ſibi ipſi probabiliter reſpondet, nam, *Cogitanti, mihi*, ait, *quonam pacto id tam facile eveniat, nonnulla ſe obtulerunt rationes, quas libere dicam. Haud dubie imprimis divina auxiliatur gratia quippe cum non parum moleſtiæ, malique morſu canis rabidi affectis inferre poſſint Cacodæmones, ut qui in atrabilariis humoribus ſuam habeant ſedem, iiſque exorciſmis cedentes abeunt, & afflictorum corpora munda relinquunt, ſublato ſecum veneno. Illud præterea addiderim, quod fortaſſe ſacerdotes ipſi aliquod nobis occultum habeant antidotum, quod panibus illis admiſcentes, ægres devorandum præbent, vel id aliquo in potu bibendum exhibent.*

Ipſe autem de *Bellini* Sacello, *Doninique* Templo, ut & de *Huberti* Fano, quod apud *Leodienſes* eſt, ac de quo ea fere memorantur, quæ de *Donini* Æde tradit *Matthiolus*, idem ſtatuerim, quod de ſtrumis, quas, cum ſolo Regum contactu penitus dicantur tolli, expertos admodum convenientibus remediis illorum juſſu pellere medicos exploratiſſimum eſt.

Atque hic quidem primæ obſervationum noſtrarum rariorum Centuriæ eſto

F I N I S.

DE UNICORNU DISSERTATIO.

NOſtræ hujus de *Unicornu* diſquiſitionis initium conſtituat pars quædam literarum, quas Vir Ampliſſimus *Cornelius Neolandius Brederodius* Fæderati *Belgii* Procerum auctoritate Regni *Angolenſis* in *Africa* Concilii Politici quondam Aſſeſſor ad honorandum admodum Virum *Godefridum* Syndicum *Genevenſem dedit* 23. *Martii* 1643. in ejuſdem Regni Urbe *Loandâ S. Pauli* ſcriptas: Harum autem partem hunc in modum verti.

Ipſe equidem tibi nihil omnino novi de hac Orbis terrarum parte litteris ſignifico, utpote in quâ nihil geratur, quod ad tuas pervenire dignum ſit aures, præſertim hominis univerſi theatri Europæi ſpectacula oculis uſurpantis. Flagro, mehercle, atque conficior pene deſideratiſſimæ illius terrarum partis (elapſo præcipue, in quod Proceribus obſtrictus triennio) amore, in qua vel otioſus

mal-

mallem exiſtere ſpectator, quam heic locorum inter quoſcunque tandem præcipuus. Contigit mihi, fatebor equidem, hiſce in regionibus cum Regibus, Principibuſque unà eſſe, *& veras audire & reddere voces*, à quibus honoribus affectus, nec ſine reverentiæ teſtimoniis dilectus ſum; neque etiam inter noſtros potentiæ, auctoritatiſque mihi quidquam deeſt. Verum enim vero non iſthæc animum delectant, nec juvant tantis terrarum intervallis, mariumque immenſis fluctibus ab optimis diviſum amicis, quibus, quas debeo, dignas grates perſolvere non datur.

Cæli partis, ſub quâ hîc vivitur, inſolitis noxia admodum eſt qualitas: Pauci enim ſunt, qui mortem, vel graviſſimum ad minimum effugiant morbum. Servavit me in hunc uſque diem laudanda Dei benignitas, quem mihi uſque manſuetum precor, ſperoque; ſi vero aliter quidem de me ſtatuerit, fiat, quicquid voluerit.

Suâ quidem ſponte harum regionum ſterilis eſt tellus, nulloſque, vel oppido paucos producit fructus fluviorum autem

autem ripis non deſunt mali Aurantiæ, citreæque, nec aliæ in Braſiliâ, Europâque, notiores herbæ, ſed magno conſtat harum cultus, propter immenſam ſervorum, quos hic requirit, multitudinem. Ovium etiam, Boumque, ac porcorum, aprorumque nobis abunde eſt: Copioſe etiam admodum cervi, cervæque, ut & rupicapræ reperiuntur, & ferinam præſtantes carnem Phaſiani, perdiceſque, palumbes, ac coturnices, nec non galli, gallinæque variegati coloris, longe aliis autem, quam quales in Patriâ meâ vidi, teguntur plumis, palatoque longè ſunt amæniores. Adſunt & anſeres feri, anateſque, ac querquedulæ cum ficedulis, aliiſque, quas ignoratis, natantibus avibus. Feræ beſtiæ quoque hîc dantur plurimæ, Elephanti videlicet, Leoneſque, ac Tigres, Lupi, & Bubali, omnes profecto feræ admodum. In aquis autem Crocodili, ut & Hippopotami, ac Sirenes degunt. In terris longius ab Oceano recedentibus Rhinocerotes etiam Zebræque apparent, quæ omnia animalia curſus celeritate ſuperant. Inve-

 -nitur

nitur & Unicornu *Afris Bembe*, ac *Poccabembe* dictum: hujuſmodi animalis cornu ſervo, longe ab iis, quæ in *Europa* hoc circumferuntur nomine, diverſum. Mihi certe quam compertiſſimum eſt hic, licet rarius, veram reperiri *Monocerotem*.

Hujuſmodi autem cornu nullum unquam experimentum feci, affirmantibus licet unanimiter *Afris*, præſtantiſſimum id contra quævis venena antidotum, quandoquidem *Bezoardico* plus fido lapidi, qualem inſtar gallinacei ovi domi meæ habeo; hunc namque crebrior mihi magis commendavit uſus. Alia rariora pauca hiſce in plagis reperire eſt, ac quod monſtri ſimile, nihil monſtri hæc profert Africæ ora, præter barbaras, ac ſaniore ratione carentes plurimorum *Maurorum* animas. Quibus autem maxima inſunt humanitatis veſtigia, pleniorque judicii facultas, *Congenſes* dicuntur. Dantur ad me quandoque à Rege, ejuſve fratre *Bambæ* Duce literæ nonnulla indicia humani habentes ingenii, in cæteris autem non, niſi probrorum, vitiorumque, videas congeriem. Hiſce &c. Ad-

ADNOTATIONES

Ad hanc literarum partem.

UTrum verum, ac tale, qualis meminit S. Scriptura, detur Unicornu, diu multumque fuit certatum. Ad hoc autem ut reſpondeatur, ſciendum duplicis nominis intellectu Unicornu ſcriptoribus uſurpari. Hinc enim factum eſt, ut, neglectâ quidem iſtâ diſtinctione, erraverint plurimi.

Significat itaque generaliori nomine Unicornu omne animal, cui unum frontem decornu, cui unum frontem dependit cornu. Hujuſmodi autem beſtiæ plures ſunt. Quatuor dari animalium genera, quibus uno ſuperbiat frons cornu, *Laurentius Catalanus Pharmacopæus Magdalonenſis*, aliique ſcribunt.

Primum genus eſt Avium, quas inter *Dynon* etiam in Æthiopiâ degentem numerat: ibidem reperiri aves, quibus unicum ſit cornu, *Ælianus* auctor eſt *libr.* 17. *Hiſt. animal. cap.* 10. Ille autem hoc loco generalius *Cornu* intellexit, ita ut eo nomine etiam frontis quandam protuberantiam comprehendat.

Avibus non quidem cornua, ſed excreſcentias eſſe ſcribit *Bartholinus cap.* 7. *de Unicornu pag. mihi* 46. *Scaliger exercitat.* 231. *num.* 5. cornutas aves in Inſula *Catigan*, quæ in mari *Pacifico*, ſive


del Zur ſita eſt, naſci ſcribit, quæ magnitudine gallinis noſtratibus pares ſint.

Vormius autem cap. 17. *fol. mihi* 293. per *Catiganæ* inſulæ aves illas intelligit, quas *Topau* Indi, avem Rhinocerata alii dicunt. Ipſe inter alia cranium, cornutumque hujuſmodi avis roſtrum ſervo, quod mihi quidam ex Indiâ Aſiaticâ redux dono dedit; illud autem maximi roſtri intuitu minimum eſt, neque enim anſerino majus eſt multò. Ipſum quoque ulnæ ſemiſſi fere par eſt longitudine roſtrum; quodque hujus ſuperiori parti annectitur cornu, craſſum, ac nonnihil recurvum, ejuſdemque ſubſtantiæ, cujus illud, eſt. Hoc autem cavum, tenue, ac molle ejuſdemque fere materiæ, cujus ſunt cancri marini conchæ, quartam, & amplius, ulnæ partem æquat longitudine, nec non circuitu.

Deinde etiam piſces inveniuntur cornuti, quos inter animal marinum *Vletif*, ſive *Illetif* nomine eſt, cujus *Joh. Renodæus libr.* 3. *mat. med. cap.* 24. nec non *Thom. Barthol. de Unicornu cap.* 14. *pag.* 92. meminere. De aliis etiam piſcibus unum fronte gerentibus cornu *Olaus*, *Albertuſque* ſcripſerunt, quos inter & ille referendus eſt, cujus mentionem faciunt *Cluſius lib.* 6. *exotic. cap.* 17. *ac Bartholinus fol.* 93. Ut & marinus canis, quem *Haa* hic vocat *Epiſt. med. cent.* 1. *fol.* 373. Denique & Unicornu æquoreum *Narhual* nomine apud eundem de *Unicornu cap.* 15.

Tertio etiam cornua gerunt locuſtæ quædam, qua-

Tab: 9.


fig: 1
Abis Rhinocerotis
Sibe Topai Cornu
Scarabens Unicornis
Pag: 469.

quales *Catalanus* cum piſce *Vletif*, ſervare ſe ſcribit.

Scarabeorum quorundam meminit *Vormius*, quibus unum itidem cornu ſit. Agit & de iis *Bartholinus de unicornu cap.* 8. *fol.* 53. qui & exactam, in quâ conſpiciuntur picti, exhibet tabulam; qualem etiam dat *Mouſetus de inſectis.* *Albertus Magnus* quoque, ac *Vlyſſes Aldrovandus* ad amuſſim inſuper de cornutis ſcripſere ſerpentibus; de quibus vide ſis *Bartholinum de unicornu, fol.* 55. *cap.* 9. Inveniuntur & bicornes, tricornes, multicorneſque: a cornibus enim nomen accepit *Ceraſtes* Serpens perquam maleficus, & peſtilens. Recenſet & volatilia Inſecta unicornia *Aldrovandus*: è quorum genere & bicornia ſunt, quale eſt illud quod cervus volans dicitur, quia cornua ſimiliter, ut cervi, ramoſa habet.

Quarto quadrupedia quædam animalia ſingula unum fronte gerunt cornu, quæ inter nonnulli & Rhinocerota numerant, quamvis revera duo huic ſint cornua.

Inter quadrupedes autem beſtias quibus unum cornu eſt, Onagri etiam, ſeu aſini agreſtres, reperiuntur, in Æthiopiæ degentes deſertis, de quibus etiam *Ariſtoteles* 2. *hiſtor. animal. cap.* 8. *&* 3. *de part. animal. cap.* 2. nec non *Ælianus libr.* 4. *cap.* 52. *Pliniuſque libr.* 11. *cap.* 37. *&* 41. Ut & boves quidam, vaccæque, & bubali, quorum etiam *Plinius libr.* 8. *cap.* 2. mentionem

 facit

facit, quibus unicum, tantum iſtis in regionibus cornu obtigit, ſicut & equis nonnullis in Indiâ.

Bovis etiam in ſylva Hercyniâ Cervi figurâ, cujus à mediâ fronte inter aures unum cornu exiſtit excelſius, magiſque directum notioribus cornibus; meminit *Julius Cæſar libr. 6. de bello Gallico pag. mihi* 246.

Solinus Polyhiſt. cap. 65. *fol.* 194. de Bubus unicornibus & tricornibus refert.

Aliis autem in regionibus, ac præcipue in Africâ, caprearum genus quoddam unico cornu notatur, quibus & accenſendi Oryges; de quibus idem *Bartholinus dicti tractatus fol.* 62. 69. *ac* 73. legi poteſt: meminerunt tamen & horum *Ariſtot.* 2. *de hiſtor. animal. cap.* 1. ac *libr.* 3. *de partibus cap.* 2. nec non *Martialis lib.* 13. *Epigram.* 95. ut & *Juvenalis Satyr.* 9. *verſ.* 140. Cornutorum etiam leporum *Gaſſendus vita Peireſcii. l.* 2. *p.* 96. meminit, qui ex Norvegiâ allati Lovanii fuerunt viſi. Denique & verum Unicornu eſt, Indis *Carcazonus*, Arabibus autem, Perſiſque, ac Tartaris, &c. *Carcand*, ſive *Carcandan*, teſte *Æliano hiſt. libr.* 16 *cap.* 20. quamquam illi, pro locorum, in quibus degit, varietate, diverſa obveniant nomina.

Atque hæc quidem generalius de animalibus, quibus unum cornu naſcitur, præmiſſa ſunto.

Strictius autem Unicornu certum quoddam deſignat animal κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictum, quod

unum

unum ei cornu ſit. De illo autem ſolo noſtra inſtituta eſt deſceptatio, quâ maxime videndum erit, deturne hujuſmodi animal alicubi gentium, an ſecus?

Verum quidem hoc Unicornu Ogiigii diluvii tempore interiiſſe, nihilque de eo reſtare, præter ea, quæ hodieque in Bohemia, Miſniaque nec non Sylvâ Hercyniâ, ac extremis Thuringiæ finibus è terra eruuntur cornua, nonnulli acriter contendunt. At illud ebur, cornuve foſſile Monocerotis cornu verum dici nequit.

Thom. autem *Brownius pſeudo-doxiæ epidemicæ*, ſeu *de vulgi erroribus cap.* 23. *pag.* 301. hæc eſſe fragmina lapidis *Ceratitis* ait, qui vulgo cornu foſſile, cujuſque variæ, ac plurimæ in Germaniâ è terræ ſinu producuntur ſpecies, verique Unicornu nomine paſſim venduntur.

Hæc autem fragmina nil niſi duriorum quarundam matierierum ſunt petrificationes, ut cornuum, dentium, oſſium, ramorumque arborum, quorum nonnulli adeo non omnino mutantur, ut originis proprietatem, odoremque etiamnum ſervent, uti ille de fraxinorum, juglandumque fragmentis teſtatur. Similia *Deuſingius diſſertat. de Unicornu* § 39. *pag.* 278. quandoque & in *Hollandiâ*, præſertim paluſtribus locis, ac interdum in æſtuario *Groningenſi*, ut & *Comitatu Meurſenſi*, alibique reperta fuiſſe perhibet. Horum etiam meminit *Sennertus Epitom. natural. ſcientiæ lib.* 5. *cap.* 4. *de lapid. & gemmis fol. mihi* 74.

Quam facillime autem ſaxea hæc, ac fictitia cornna à veris diſcerni poſſunt: hæc enim firma admodum, duraque ſunt, ut vix radi, nedum contundi queant, linguæque admota non adhærent, ut illa quæ non dura, ſed veluti calcinata ſunt; Oſſa quidem videntur, cum tamen lapidis minerales ſint, quare nullo diſſolvuntur negotio, contunduntur que, ac, veluti terra ſigillata, linguæ adhærent. Uſus autem eorum eſt ad vulnera, & oſſa fracta conglutinanda, ulceraque ſananda, dicunturque etiam epilepticis, & alvi Infantum torminibus prodeſſe.

Dictu tamen difficile eſt Unicornu iſto periiſſe diluvio; neque enim permiſiſſe videtur immenſa Dei providentia, ut qualecunque tandem eo extingueretur animalium genus, nec reviviſceret, ſive ex ſervatis in Arcâ animalibus, ſive aliis quibuſdam modis. Hac autem de re lege, ſodes, *Geneſ. cap. 6. v. 19. 20. ac cap. 7. v. 2. 3. 9. 15. 16.* Et certe ſi ejus meminit *Jobus* ſcriptor ſacer, ut mox liquebit, non eſt ſtatuendum, ſpiritum S: Chimæram induxiſſe, ſi itaque poſt diluvium fuerit ab illo memoratum, tanquam animal notum, ſaltem famâ, & exiſtens, qui potuit cataclyſmo periiſſe? Ut jam non in partes vocetur *Ariſtoteles*, qui, ut ſe, rerumque omnium genera conſervet, diligentiſſimam ſcribit Naturam; ſtatuit quippe ea animalia, quæ ſemel producta ab Univerſi Creatore fuerint, ſemper, quanquam ſera in propagine, ſuperfore.

Dari

Dari non tantum animalia unico inſignita cornu, ſed Monocerotem per excellentiam vocari, ac à reliquis, quibus unum fronti cornu inhæret, animalibus longe differre, non pauca adſtruunt ſanctioris paginæ teſtimonia, ut *Num.* 23. *v.* 22. 24, *Itidem* 24. *v.* 8, *Deuteron.* 33. *v.* 17., *Hiobi* 39. *v.* 1. *ac* 9. *Pſalm.* 22. *v.* 22. *Pſal.* 29. *v.* 6., *Pſal.* 92. *v.* 11., *Eſaiæ* 34. *v.* 7. Qui utique omnes viri θεόπνευστοι poſt fatale ſcripſerunt diluvium, ac graphice admodum, opinor, depictum Unicornu nobis, non fictitium tamen, etiamnum exhibent.

Animadvertendum inſuper cenſeo illis locis non nominari tantum Monocerotem, ſed & myſticam in eo latere doctrinam, quam exponere hujus loci non judico. Certe dubium non eſt, quin hæc illi tacuiſſent, ſi non exiſteret ejuſmodi animal.

Unicornu præterea non tantum nominat ſacra pagina, ſed & eruditas admodum ex ejuſdem natura imagines format, miraſque recenſet qualitates, ut; Primo prædicatur ejus *ferox indoles*: *Jobus* quippe cap. 39. v. 12, &c. *Num tibi ſervire volet Unicornis, aut ad tua præſepia manebit? Num tu Unicornem ſubjugio ligabis in ſulcis, ut poſt te liras occet? Tune ei, qui ſit magni roboris, confides, aut laborem tuum committes? An credes fore, ut tibi ſata referat, & in tuam comportet aream?*

Hæc autem manifeſte indicant verba nullâ

domari arte, nullis contineri vinculis, nec ullis ſubactam inſidiis manſueſcere Monocerotem; cum tamen vel ferociſſimis jugum fuiſſe impoſitum animalibus, ut Leonibus, Tigribuſque, &c. ab ipſo mox tempore, quo producti eſſent, arte domitis etiam nuper *Hagienſibus* meis conſtitit.

Secundo: memoratur *nobile, præſtantiſſimumque robur*: dicti enim *cap.* 39. *v.* 14. ita legitur; *Tune ei, qui ſit magni roboris, confides?*

Numer. etiam *cap.* 23. *v.* 22. ita *Bileamus de* populo *Iſraëlitico*: *Eduxit illum ex Ægypto Deus robore præditus Monocerotio.* Confer *Numeror. cap.* 24. *v.* 8.

Tertio: illius indicatur *animoſitas*, quam non ſine laude *Bileamus* extollit, cum dicit: *Deus Iſraëlem ex Ægypto eduxit, eſt enim ejus robur* (aliis *altitudo*, aut *animoſitas*) *tanquam Unicornu.* Adde & *Pſalmum* 29. *v.* 6. ubi, *Vox Jehovæ*, inquit *Pſaltes*, *confringit Cedros Libani, & exilire facit quaſi Juvencos, Libanum, & Sirion more pullorum Unicornium.*

Denique quartò refertur *indomita* Monocerotis *feritas*, *nemo* quippe, teſte *Jobo cap.* 39. *v.* 12. *&c.* aſperrimum hoc animal domuerit. *Ælianus*, *Plinius*, *Solinuſque*, ut & poſteriores, nec cicurari, nec vivum capi poſſe audacter affirmant, teſte *Bartholino de unicornu fol.* 207. *cap.* 28.

Atrociſſimum, inquit *Solinus Polyhiſtor. cap.* 65. *fol.*

65.*fol.* 194. Monoceros eſt animal, quod vivum non venit in hominum poteſtatem, & interimi quidem poteſt, capi vero non poteſt.

Sed hiſce obſtare videntur S. Scripturæ loca *Geneſ.* 1. *v.* 28. *Geneſ.* 9. *v.* 2. *Pſal.* 8. *v.* 9. ut & *S. Jacobi Epiſtol. Cathol. cap.* 3. *v.* 7. Ubi legitùr: *Omnis enim natura, & volucrum, ſerpentumque, & aquatilium, humanâ induſtriâ domatur, & domita eſt.*

Verum ſciendum eſt illas beſtias reverâ domari non poſſe, cum jam diutius in ſylvis degerunt, iiſque aſſueverunt tandem. Neque enim unquam hujuſmodi Unicornu domitum fuiſſe conſtat. Subigi autem quid vetat unicornium catulos, nec ſylvis, nec feritati aſſuetos? Certe poterit arte hiſce imponi jugum. Neque aliter accipiendum crediderim *B. Jacobum.*

Simili plane modo Leones, Tigreſque (uti modo diximus) & quicquid ferarum eſt, ab eo tempore, quo modo geniti ſunt, humanæ induſtriæ traditi manſuetiores fiunt multò, ac, quamquam feritatem iſtam, nunquam omnem exuiſſe videantur, recte tamen domitos dixeris.

Unicornes autem cum propter aſperitatem, ac robur, tum quod remotis, inacceſſiſque ut plurimum lateant locis, ab hominibus non domantur.

Ad indolem hujus feræ etiam cornu excellens pertinet, neque enim illius in ſacris paginis tantum reperias elogia, ut *Deuteron.* 33. *v.* 17. ubi

ſuper

ſuper *Joſepho* ita *Moſes*: *Primogenitus ejus bos majeſtate præditus eſt, & cornibus Monocerotis, quibus populos protinus ad extremum terrarum feriet.* *Pſalmo* etiam 92. *v.* 11. *David* ait de *Meſſiæ Regno*: *Extolles meum cornu, veluti Unicornis.* Verum illud etiam hodieque Medici, imo & Barbari, eorumque locorum incolæ in quibus colunt Monocerotes, plurimi faciunt, præſtantiſſimumque adverſus quævis venena antidotum credunt.

Verum equidem eſt in Sacro Codice τὸ *Rem*, ſeu *Reem* modo *Monoceros*, modo *Rhinoceros* verti, utpote quo ſignificetur *exaltatus eſt*; unde etiam fit, ut promiſcue hæc multi ſumant interpretes: paſſim tamen Hebræorum *Rem*, ſive *Reem* ſeptuaginta, plurimiſque hodiernis interpretibus, quos enumerat *Sam. Bochartus de Animal. S. S. part.* 1. *pag.* 951. Unicornis eſt: ut ex *Num. cap.* 23. *v.* 22. aliiſque locis conſtat, vulgata autem Latina verſio iſta nomina per *Rhinocerota* in *Moſis*, *Iobique* ſcriptis reddidit, in *Pſalmis* autem, *Eſaiaque*, per *Monocerotem*. *D.* etiam *Hieronymus*, nunc hoc, nunc illud intellexit animal, quod quibuſdam S. Scripturæ locis non unicum tantum reperiatur cornu, ſed per numeri *enallagen*, cornua.

Ideoque *Pſal.* 22. *v.* 22. *Rhinoceros* vertit, pauci tamen, niſi qui eum ſequuntur, hanc admittunt verſionem. Videatur quoque de *Iobi*, *Davidiſque* locis *Ioh. Pierius Hieroglyph. libr.*

2. *pag.*

2. *pag.* 21. qui modo *Unicornem*, modo *Naricornem* verius legi exiſtimat. Notum enim eſt, Rhinoceroti duo eſſe cornua, quamquam negantibus nonnullis. Illorum autem alterum in imâ fronte prope naſum, quo Elephantos aggreditur, iiſque ventres perforat, alterum minus prope dorſum eſt.

Hebræorum vero *Reem* geminum attribui cornu *Deuteron.* 33. *v.* 17. adeoque *Rhinocerotem* deſignari *Hieronymus* ait, quod Monoceroti unum tantum ſit cornu. Vide tamen late de eo diſſerentem *Sam. Bochartum de animalibus S. Scripturæ part.* 1. *libr.* 3. *cap.* 27.

Rhinoceroti etiam bina naſci cornua ex *Martiale lib. Spectac. Epigram.* 22. palam eſt, qui ſic de illo:

Namque gravem gemino cornu ſic extulit Urſum,
Jactat ut impoſitas Taurus in aſtra pilas.

quamvis longe aliter exponente *Bocharto d. lib. cap.* 26.

Teſtatur etiam *Pauſanias lib.* 9. non unum, ſed duo Rhinoceroti eſſe cornua, alterum ingens, ac ſupra naſum natum, minus alterum, ſed validiſſimum, paulo ad cervicem recedens.

Convenit *I. Cæſar Scaliger Exercitat.* 205; nec non *Pierius Hieroglyph. lib.* 2. *pag. mihi* 21.

Ac

Accuratiſſimus hujus rei indagator *Hieronymus Luſitanus* gente è Soc. Jeſ. itidem gemino cornu inſignem ſtatuit Rhinocerota, cum *Æthiopiæ Deſcriptione* Germanorum linguâ editâ (neque enim aliam videre licuit) diſtinguendum dicat Unicornu ab *Abada*, ſive Rhinocerote; id enim vel ipſa evincere nomina, cum *Monoceros* illud, hoc *Rhinoceros* vocetur animal, quibus utique non unum, idemque ſignificetur. Corporis figurâ longe etiam hæc differre notat animalia: Eſſe quippe *Monoceroti* unum, idemque longum, rectumque cornu, quod efficaciſſimum ſit contra venena remedium. *Rhinoceroti* autem, ſive *Abadæ* bina cornua eſſe, nonnihil recurva, & ea quoque, quamvis non ita promptum, adverſus toxica antidotum præſtare ſcribit. Differunt præterea multum hæ feræ colore, pedum, capitis, pelliſque formâ, &c.

Gualterus Scoutenus lib. 3. *Itinerarii Indiæ Aſiaticæ pag. mihi* 124. tradit animal, quod *Abadam* appellant Luſitani, vix capi poſſe vivum, propter vires, immenſumque robur. Hujus autem cornu non tam longum eſſe ait, quam quod gerit *Monoceros*, cui alia plane ſit forma: Breviora quoque *Rhinoceroti* crura eſſe aſſerit, roſtrumque ſuillo non multum diſſimile, ſed, proportione habita, acutius paulo; cornu ei ex naſo aſſurgere, atque initio craſſius, verſus ſuperiorem partem multo tenuius evadere, coloriſ-

loriſque è fuſco viridis, non omnino nigri (ut quidam falſo) eſſe, quod autem cinericeum, albeſcenſve ſit, carius longe vendi, idque ipſos plurimi facere ait Indos. Addit & aliud huic animali cornu eſſe circa primam dorſi vertebram.

Utrum vero illi, qui unum tantum Rhinoceroti cornu eſſe contendunt, minus illud cornu non conſiderarint tanquam tale, an vero variæ dentur Rhinocerotum ſpecies, quarum hi uno, gemino illi inſignes ſint cornu, non uſque adeo exploratum; quamquam veriſimile eſſe ſcribat ejuſdem generis animalia variis in regionibus forma nonnunquam aliquomodo differre: Hircis quippe diverſis in terrarum plagis interdum unum, bina quandoque, imo & tria aliquando eſſe cornua. Ita ille pag. 1203.

Varia etiam eſt cervinorum cornuum, aliorumque animalium, pro regionum diverſitate, forma.

Dari autem verum, ac κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictum Unicornu plurimorum etiam, Doctiſſimorumque teſtantur virorum monumenta, quos inter *Cteſias* qui primus, teſte *Plinio lib.* 8. *cap.* 12. de eo ſcripſit: nec non poſt hunc *Philetes*, *Ælianus*, *Plinius*, *Iſidorus*, *Albertus*, aliique.

Philetes ſcriptor Græcus hoc deſcripſit animal cap. 30. *Unicornu*, inquit, *eſt animal calcibus, & morſu crudeliter feriens, cui cornu feriſſimum media prominet in fronte, non concavum aliorum inſtar cornuum, nec leve, planum-*

numve, aut politum, ſed limâ ferreâ aſperius, ad modum tamen limacis convexum, & ſtriatum, teloque acutius, eo quod recurvum non ſit, ſed directum, nigrumque, excepto mucrone. Eadem legas *Æliani variar. Hiſt. libr.* 16. *cap.* 20. *Plinii libr.* 8. *cap.* 21. *fol.* 138. Qui omnes hoc animal vivum capi negant. His adde *Solinum Polyhiſt. cap.* 65. *pag. mihi* 199. nec non *Gregorium lib.* 31. *moral. cap.* 13.

Paulus Iovius hiſt. lib. 18. *fol, mihi* 872. De *Gogianis* in Africâ, Nilique fontibus agens ejuſdem Regni Incolas affirmare tradit alatos ibidem reperiri Dracones, nec non Monocerotem, cui ſit pulli equini forma, color cinericeus, cervix jubis decora, hircina barba, ac cubitale cornu, longe efficaciſſimum contra venena antidotum.

Montanus Deſcript. Americæ cap. 3. *de novo Belgio fol.* 125 in *Canadæ* oris nonnunquam conſpici animalia ſcribit, quæ equis non omnino ſint diſſimiles: his autem biſulcas ungulas, ac hirſutas jubas, nec non caudas, quales ſunt apris, nigros oculos, & cervinas cervices, ſinguliſque unum mediâ in fronte cornu eſſe ait; hæc etiam vaſtiſſima, ac quam maxime deſerta petere loca, aliudque ab alio ita timeri tradit; ut nec mares cum fæmellis paſcantur, niſi coitus tempore, quo feritatem poni, poſtea vero illa eâdem, quâ antea, ferocitate non quævis tantum animalia, ſed & ſui ſimilia aggredi ait.

Idem pag. 214. in Inſulâ *California*, quæ eſt Reg-

Regni *Quiviræ*, feros reperiri equos teſtatur uno, ſed ingenti, frontem inſignes cornu, quibus Muſtelina pellis, cervinumque caput, ac cervix brevior, nec non ab una parte dependentes jubæ, ut & tibiæ graciles, caprinique ſint pedes.

Paulus Venetus lib. 3. *cap.* 15. *de Regno Baſman* in *Java* minore ſic habet: *Inveniuntur apud eos Elephanti, & Unicornes in magnâ multitudine, & ſunt Unicornes paulò minores Elephantis, pilum habentes Bubali, & Elephanti pedem; habent caput, ut aper, & more porcorum libenter morantur in luto, & aliis immunditiis. In medio frontis geſtant cornu unum groſſum, & nigrum. Linguam habent ſpinoſam, quâ lædunt homines, & animalia.*

Ut autem magis liqueat veram, proprieque dictam monocerotem exiſtere, *Plinium* in partes vocabo: Hic enim *lib.* 8. *cap.* 21. poſtquam modo adducto capite de multis, admirandiſque egiſſet animalibus, quibus unicum, fronti cornu eſſet, ac tandem feræ cujuſdam, libero Patri ſacræ, cui nomen *Axis*, mentionem feciſſet, *Orſei*, inquit, *Indi ſimias candentes toto corpore venantur. Aſperrimam autem feram monocerotem reliquo corpore equo ſimilem, capite cervo, pedibus Elephanto, caudâ apro, mugitu gravi, uno cornu nigro, mediâ fronte cubitorum duum, eminente: hanc feram vivam capi negant.* Videtur autem *Plinius* per *Orſeos Nyſæ Indiæ* urbis Incolas intellexiſſe. Hæc autem ad *Meri* mon-

 tis,

tis, ubi *Bacchum* a Nymphis educatum *Diodorus Siculus* tradit, radicem ſita eſt. Urbem autem, ac montem Deo iſti ſacrarant priſci, teſtantibus, præter *Plinium dicto loco*, *Juvenale Satyr.* 7. *v.* 63. *Lucanoque Pharſal. lib.* 8. *v.* 227. aliiſque. A *Nyſa* autem urbe, cui præerat, Bacchus forte *Dionyſius* dictus eſt. Quam maxime autem animadvertendum cenſeo, hiſce omnibus, quæ *a Plinio* cum de Monocerote, tum de urbe Nyſâ, ſacriſque in Bacchi honorem ab incolis inſtitutis traduntur, convenire cum monetâ quadam *libro miraculoſo Pyrrhi Ligorii*, excellentiſſ. *Ferrariæ* Ducis antiquarii ob eam memoriam ſolam religioſè aſſervandâ, inſertâque, cui inſculptus eſt monoceros inclinans caput, & cornu cantharo Baccho ſacro immittens cum hac inſcriptione; *Nyſeon.* Quo ſymbolo non tantum religionem in Bacchum, ſed & venationis laudem quam ſibi jure merito, quod tam aſperam feram venati eſſent, deberi credidere, ſignificarunt.

Unde Baccius *de Unicornu fol. mihi* 62. è conjecturis bonis rationibus fundatis colligere ſe ait, fuiſſe hunc *Alexandri Magni* nummum, quod *Græcâ* inſcriptione *Nyſeon* inſigniretur, quæ Chaldæa minime, ac multò minus Indica ſit. Certum quoque eſt nullum *Græcorum*, aliorumve *Europæorum* præter *Alexandrum* in hos jus habuiſſe populos. Hic enim victo *Dario Perſarum Rege* totum nominis ſui terrore Orientem im-

implevit. Ita ut proſpero ſucceſſu *Herculis* terminos, qui in urbe *Nyſâ* erant, ac *Gangem* tranſgreſſus fuerit, *Brachmaneſque*, quos hodie *Braminos* Indi dicunt, viſerit. Ille autem *Nyſam* urbem, aliosque populos, apud quos, aris erectis, ſolennia inſtituit *Baccho*, *Herculique* ſacra, præcipue tutatus eſt. Ac ſicuti ſummus ille terrarum Rex, quacunque pateret Imperium, ad inſignium victoriarum memoriam paſſim arcus, aras, Pyramidaſque, aliaque Trophæa erigere ſolitus erat, quæ *Ptolomæus* in *Riphæis* etiam montibus, ac prope *Caſpium* mare, nec non apud *Sogdianos* in Aſiâ, Indiâque in *Hydaſpis* fluminis *Nyſam* præterfluentis ripis erecta deſcribit, *Solinuſque cap.* 65. ac *Plinius lib.* 6. *cap.* 18. *aras Alexandri Magni* itinerum terminos in *Hyphaſis* ulteriori ripâ poſitas vocant. Ita etiam veriſimile fit *Macedonem* augendæ famæ, gloriæque ergo, quam tot clarus victoriis longe, lateque extendere cuperet, ejuſmodi nummos cudi juſſiſſe; qui qualeſcunque ſint, evidenter, quale animal monoceros ſit in *Nyſæ* proprie montibus ortum, demonſtrant.

Ne quem autem altum ſcribentium de Unicornu moretur ſilentium, cum tamen per tot, tantaſque terras ſe diffuderint *Alexandri* arma, ac nomen; Sciendum eſt *Oneſicritum* Philoſophum, Hiſtoriographumque (quem & Medicum fuiſſe, ac in Inſula *Aſtypalæa* natum, nec non in *Diogenis* ſchola eruditum *Alexandro* militaſſe, ejuſque

 ori-

originem, laudeſque monumentis ad poſteros tranſmiſiſſe apud *Strabonem lib.* 15. legimus, cujuſque *Curtius lib.* 10. ac *Solinus cap.* 66. mentionem faciunt.) memorare apud *Praſios* (gentem *Indiæ* celeberrimam, cujus & *Ælianus hiſt. animal. cap.* 20. *Pliniuſque lib.* 6. *cap.* 19. meminere) equos Unicornes cervinis capitibus reperiri.

Verum jam nunc audire mihi videor dicentes, ſi, quales modo deſcripſiſti, monocerotes dentur, qui fit, ut tam raro conſpiciantur, atque adeo varie de iis ſcriptores loquantur?

Hæc autem nihili faciet, quiſquis mecum conſideraverit aſperrimam eſſe feram Monoceretem, ac in vaſtis, deſertiſque degentem locis, montibus videlicet Africæ utplurimum, ideoque rarius in hominum prodire conſpectum. Adde, quod & indomitum ſit animal, niſi forte capiantur catuli; quales ad *Praſiorum* Regem olim fuiſſe adductos *Ælianus hiſt. animal. lib.* 16. *cap.* 20. auctor eſt, quam hiſtoriam *Plinius lib.* 8. *cap.* 21. confirmat; qui feſtis dein diebus robora oſtenſuri in arenam producti fuerint.

Accedit, quod hæc fera, ſi caſu quodam grandior in hominum pervenit poteſtatem, ob aëris alimentique mutationem facillime extinguatur in longinquas abducta terras.

Sunt tamen plurimi, qui vidiſſe ſe monocerotem teſtentur. Sic *P. Venetus* lib. 3. cap. 15. in *Tartariâ* vidiſſe ſe Unicornu ſcribit.

Ludo-

Ludovicus Vartomanus Itineris ſui Æthiopici lib. 1. geminos Unicornes Mechæ ſe vidiſſe aſſerit. Majorem equino pullo 30. menſes nato haud abſimilem credit. Prominet in fronte cornu unicum, longitudine trium cubitorum. Longe natu minor eſt alter, utpote anniculus, ac equino pullo ſimillimus. Ejus cornu quaterni palmi longitudinem non excedit. Coloris eſt id animal equi muſtelini, caput cervi inſtar, collo non oblongo, rariſſimæque jubæ ab altera parte ſolum dependentes. Tibias habet tenues, eaſdemque graciles admodum, hinnuli modo. Ungulas anteriorum pedum bifidas habet, caprinos pedes ferme referentes. Tibiarum poſteriorum pars exterior villoſa eſt, pilique plurimi. Sane id animal ferum videtur, verum ferociam neſcio quâ comitate condit. Advecti ſunt ex *Æthiopiâ ab Æthiopum Rege ad Mechæ Sultanum*, quem vocant.

Aloyſius Cadamuſtus Itinerarii ſui cap. 50. itidem conſpexiſſe ſe Unicornu eâ in novi (quem vocant) Orbis parte memorat, quæ *Indiæ* quam maxime propinqua eſt.

Idem ille, cujus ſupra memini, Pater *Hieronymus Luſitanus è Soc. Jeſu* indagator ſtrenuus tradit *Deſcriptione Æthiopiæ*, quendam etiam è Soc. Jeſ. itineriſque ſocium, qui aliquo tempore in Æthiopiâ, ſive Presbyteri Joannis (quem vocant) terris degiſſet, avidum maxime fuiſſe hujuſmodi cornuti animalis habendi: qua-

propter ad eum adductum fuiſſe à matre recentem catulum. Hic autem uſque adeo laborum impatiens erat, ut paucis poſt diebus extingueretur. Meminit & idem Luſitani cujuſdam Tribuni, qui ipſi narraverit, quomodo cum viginti exercitus militibus in iiſdem oris viderit parvæ vallis denſo nemore cinctum equum perfectum formâ, piliſque, ac colore, cujus unicornu eſſe dicitur. Dixerat quoque ille equo mediocri animal illud magnitudine par fuiſſe, coloreque ſubnigro, ac caudâ, ut & jubis nigris, piliſque brevibus, ac paucis, nec defuiſſe fronti elegantibus diſtinctum lineis cornu, cujus quinque circiter ſpithamas longi color albeſceret.

Thom. Bartholinus hiſt. anat. cent. 2. hiſt. 61. Franciſcus, inquit, *Marchio de Magellanes* Africanus, nomine Regis ſui Guinenſis ad Curlandiæ Ducem Legatus Hafniæ 1652. ſubſiſtens in patriâ ſuâ Unicornu reperiri dixit è genere quadrupedum ſæpe a ſe viſum, nec de eo in Africa dubitari. Atque ex ejus relatione ſe comperiſſe idem ſcribit Unicornu *Afris Tirè Bina*, quod eſt cornutum animal, dici, velociſſimumque, ac ferum animal in deſerto *Canò* oberrare, unde vivum capi nequeat, ſed ſagittis figatur; Cadaver tamen reperiri, quod à veterum Monocerote non multum diſtet. Magellanicus tamen vivum non viderat. Unicornu autem illud, referente ibidem *Afro*, magnitudine, & forma me-

mediocrem exprimit equum, capite, cruribus, & pedibus piloſis, jubâ brevi, vixque ſphithamam longâ, caudâ equinâ, nec valde piloſâ. Cutis omnis glabra, piliſque breviſſimis. Linea nigra per dorſum cinereum excurrit: à maxillâ autem inferiori ad abdomen color candidiſſimus eſt. In fronte crinium faſciculus viſitur, è cujus medio cornu unicum prodit, cui ille quamvis a fronte ſeparato adhæret. Cornu autem vix tres ſuperat ſpithamas octo, vel novem circiter pollices in baſi craſſum: nec tamen hoc in gyros inſtar borealis cornu contortum eſt, ſed exiguas tantum habet inciſuras; color ei flavus eſt circa radicem cavo. Mas ſolus cornu iſto, fæmina cætera mari ſimillima ſine eo viſitur. Reliqua vide ſis apud *Bartholinum d. l.*

Vincentius Blanquius cap. 25. fol. 129. Itinerarii per totum terrarum orbem, tradit ſe in civitate *Canaranenſi*, quæ eſt Regni Peguani in Indiâ, apud hoſpitem quendam fuiſſe commoratum, cui duo Monocerotum fuiſſent cornua, quorum alteri oſſis frontis etiam tum adhæſiſſet pars. Ille virum hunc interrogatum, viventiane vidiſſet hujuſmodi animalia, reſpondiſſe narrat, ſe duo tantum conſpexiſſe, quibus parvis admodum nondum eſſent cornua, alterumque à Rege venante fuiſſe captum, matrem vero nunquam apparuiſſe quavis quæſitam induſtriâ; Monocerotes enim hominum conſpectum fugere, ſerpentumque majorum vitare dicuntur oc-

curſum, utpote qui ipſis quam maxime infeſti noceant.

Memini equidem, ait idem, me illud Unicornu in Peguenſi regio ſepto vidiſſe, cum longe ejus linguam ab aliorum animalium linguis, utpote longam, aſperamque differre, caput autem cervino magis, quam equino ſimile eſſe animadverti. Pilis etiam ea animalia plurimum diſcerni tradit. Qui vero Monocerotem regunt, alimentaque præbent, impuram feram dicunt, ſuoque delectatam fætore, nec unquam demittentem cornu in aquas vidiſſe, cum biberet, dicunt.

Indorum reliqui tam multa, diverſaque de hac tradunt ferâ, ut, cui nam credendum ſit, vix videas.

Braminorum (quos ille vocat) è numero quidam dicebat, dictumque Jurejurando confirmabat, ſe Regi *Caſubi*, cum horum Unicornium unum caperetur, adfuiſſe, illud autem candidum, ac valde annoſum, maxilliſque eò uſque foras prominentibus fuiſſe, ut cute nudati longe ordine conſpicerentur dentes. Memorat etiam ferociter ſe defendiſſe, cornuque inter arboris cujuſdam ramos avulſiſſe, captumque, ac vinctum Regi traditum quinque tantum ſuperfuiſſe dies: Neque enim quidquam cibi ſumebat, quod vapulaſſet inter capiendum poſt Regis nepotem vulneratum. Unde indomitam, flectique neſciam eſſe feram quivis conjiciat.

jiciat. Scribit & Reginas ex illius oſſibus armillas confici juſſiſſe, Regem *Caſubi* autem ſibi retinuiſſe cornu, ut & ſe *Courbeum* quendam itineris ſocium, cum per quinque menſes in aula Regia degiſſent, rogaſſe, uti coruu illud conſpiciendi licentiam peteret, Regem autem allatum cornu *Courbeo* donaſſe, qui præſtantiſſimum, ut munus munere compenſaret, horologium Regi dono dederit. Illud autem cornu multum colore tradit *Blanquius* ab iis diverſum fuiſſe, quæ Mechæ, alibique vidiſſet, cum id è cinereo albeſcentis, hæc autem ſubfuſci eſſent coloris. Regem etiam ipſis conjugis ſuæ armillas ex alia ejuſdem cornu parte confectas, ac optime olentes, totiuſque capitis oſſa à Principe quodam iſtius Regni in arca conſervata oſtendiſſe memorat.

J. H. Seyfrid Medullæ memorab. Naturæ fol. mihi 593 ex *Otthone Guerike* tradit anno 1663 Quedelinburgi in Saxonia in campo quodam integrum monocerotis ſceleton, quâ formâ hujuſmodi animalia jacere ſolent, ſed capite elevato, fuiſſe repertum, cujus fronti adhæreret cornu quatuor plus cubitos longum, ad longitudinis proportionem craſſum, cornu autem, caputque unà cum aliquot coſtis, ſpinâ dorſi, atque oſſibus reverendæ admodum Principi Abbatiſſæ ibidem degenti traditum fuiſſe.

Teſtes autem hoſce oculares inter ſe, alioſque qui ex aliorum tantum ſcripſere relatu, ita in

deſcribendo cornu diſcrepare non adeo miremur: Ita nonnulli, qui animal id non videre, cornu iſtud, cui diverſos admodum colores attribuunt, modo lævem, modo inæqualem, ſtriatumque ajunt, modò negant, alii tres ſpithamas longum dicunt, quidam etiam quinque, inciſoſque aſſerunt nonnihil pedes, refragrantibus iterum aliis.

Cornuum autem, pilorumque colorum diverſitatis cauſa haud dubie eſt ætatis, (ut ex *Blancquio* adductis liquet) vel etiam regionis differentia.

Ita candidi reperiuntur corvi, urſique, ac lepores in Iſlandia, nova Zemblâ regionibuſque Arcto vicinis. Albos etiam quoque cervos fuiſſe conſpectos *Ariſtoteles libro de coloribus*, *Pliniuſque lib.* 8. *cap.* 32. *fol. mihi* 142, ac *Bochartus de animal. S. Scripturæ pag.* 963. tradunt. Albentes etiam nonnunquam reperti fuere Elephanti, quos divinis pagani affecerunt honoribus. Reliquas vero circumſtantias regionum, aëriſque, ac alimentorum, opinor, varietas efficit, uti id aliis non tantum animalibus, ſed & ipſis contingit hominibus, quibus indoles, moreſque pro ætatis, plagarumque, nec non nutrimenti differentiâ longe diſſentiunt.

Illis autem, qui, cum ex relatu, aliorumque, tantum fide ſcripſerint, errarunt, ignoſcendum eſſe reor.

Anne etiam diſſentientium videmus de Rhinoce-

noceroteopinionum agmina, qui copioſius multò, ſæpiuſque reperitur, quam Monoceros, ita ut dixerit *Ælianus hiſt. animal. lib.* 17. *cap.* 40. ſupervacuum fore, ſi quis Rhinocerota deſcripſerit, quem tot Græci, Romanique coram aſpexerint, optimeque norint. Multum tamen plurimorum de eò diſcrepant monumenta. Ajunt namque *Bontius*, ac *Neohoſius* eum coloris eſſe ſubcinerei, *Plinius* autem, & *Strabo* in ſpectaculo à *Pompejo magno* inſtituto, Rhinocerotem ſubflavi coloris conſpectum fuiſſe memorant.

Teſtatur *Anderſenus* pellem ei eſſe è nigra cæruleam, quidam plicatam eam, ſquammeam vero nonnulli, terguinque ſcutulatum, ac veluti perpetuo thorace munitum aſſeverant. Duo huic feræ cornua alii attribuenda, unum tantum alii pertinaciter contendunt. Denique illud modo nigrum, modo cinericeum, albumve, unumque pedem, cubitive partem quartam longum dicunt, minus autem eſſe varii, duos vero pedes longitudine æquare ab his diverſi ſtatuunt.

Conſiderandum denique reor verum Unicornu rarius in hominum poteſtatem pervenire, ac reperiri. Atque hinc quidem contigit, ut tot arte, fallaciâque veritatem imitante conficta, vel aliorum etiam animalium cornua pro veris habita, magnatibúſque obtruſa ſint, utque tot, tantique viri ſplendidam fabulam Monocerotem, vanumque ejus cornu contra quævis

to-

toxica crediderint antidotum. Quanquam & hi culpâ qu licumque abſolvendi ſint, quod miris, nec adeo compertis difficilius fides habeatur: ut *Horatianum* illud huc tranſferam.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Præſertim cum uſu didiciſſent has iſti cornu vires non eſſe, quod, cum eſſet alterius animalis, falſo monocerotis crediderant.

Abſit tamen, ut quiſquam propter hanc ſcribentium diſcrepantiam inane tantum nomen exiſtimet Unicornu. Quandoquidem enim rarior hæc fera eſt, ſoliſque lateat in locis, atque non ita multis nota ſit, non erraverit fortaſſis, qui nonnullos eam pro lubitu, erraneiſve narrationibus, picturiſque inductos deſcripſiſſe dixerit, non inepte enim *Flaccus*:

Ficta voluptatis cauſâ ſunt proxima veris.

Den que quoniam plura ſunt uno frontem munita cornu animalia (ut ſupra notatum) quæ hoc certe, cum ſit unicum, Unicornem excellentiorem referunt, facile contingere potuit, ut errores, nævique in eorum ſcripta propter multum a ſe diſtantium beſtiarum male conjunctas, ſeparataſve qualitates irrepſerint.

Quod ſi quis ſcire geſtiat, quî fiat, ut nec

Hippo-

Hippocrates, nec *Galenus* Monoceroris meminerint, cum ejus cornu tam præſtantiſſimum dicatur contra quævis venena antidotum?

Interrogari poterit, quid cauſæ ſit, quod non æque ſcire deſideret, cur nullam Rhabarbari, aloëſve *Hippocrates*, nullam itidem fol. ſennæ Alexandrinæ, Camphoræ, ſpermat: Ceti &c. *Galenus* fecerit mentionem, cum tamen eorum illa tempore extiterint?

Certum etiam eſt, nec *Hippocratem*, nec *Galenum*, *Dioſcoridemve* unquam vel famâ tantum Ambram gryſeam, lapidemve Bezoardicum, aut Guajacum, vel Saſſafras, Salſamve Parillam, Guttamve Gemou, aut denique Mechoacan. noviſſe. Licet autem his viris egregiis iſta minus fuerint nota, ideone eorum temporibus eodem, quo nunc producuntur modo orta fuiſſe ſanus quiſpiam inficiabitur?

Plurium inſuper rerum, quæ è longinquis ad nos apportantur plagis, vel etiam deſertis proveniant in locis, ac minus ſolitæ, rarioreſque ſunt, licet formam, aliaſque ignoremus circumſtantias, optime tamen innoteſcit uſus. Quam variantes etiam de Rhabarbaro bene multi opiniones ſcriptis fecere notas? Ignorabatur, quænam eſſet planta, & quibus hæc veniſſet ab oris. Quam incertæ etiam de Caſtoreo ſententiæ ſparſæ ſunt, quod ex Fibri teſticulis nonnulli conſtare hariolati erant? Quam ambigue etiam multi Ceti ſemen Ambram gryſeam, monſtrive cujuſ-

cujuſdam excrementum, vel piſcis alicujus hepar, aut avium fragrantibus nutritarum herbis alvinas fæces fluctibus in mare a celſis detruſas rupibus, aut denique fungorum marinorum quoddam ſtatuere genus?

Similiter etiam nuper varia admodum, diſcrepantiaque *de Succino* prolata ſunt judicia, aliis illud bituminis quandam ſpeciem, cretamve, reſinam aliis ab arboribus quibuſdam promanantem, nonnullis autem beſtiarum quoddam excrementum clamantibus.

Quam aliena etiam à veritate nuperrime de Spermate Ceti prodita ſunt! ut & ipſe *Caſpar Hofmannus de medicam. officinal. Paralipom. c. 66. fol. mihi* 678. ſe neſcire, quidnam ſit, aperte, ac ingenue fateatur. *Scraderus Pharmacop. med. Chym. lib.* 3. *cap.* 31. *fol.* 170. inter Scriptores de ejus origine non convenire ait, quandoquidem quidam balænæ genituram dicant, ſed immeritò, ut ſentit ipſe, quod illud ipſum etiam iis reperiatur in locis, quibus nec vola quidem, aut veſtigium balænarum ſit. Alii ſalis florem dicunt, cujus meminerint veteres, adeoque ſal maximum ſpumoſum vocant. Sed nec hi ſaniora ſentiunt flos enim ſalis veterum rubebat, eratque tenuis, aquoſuſque, ac ſubſalſus, nec non detergere aptus. Harum autem qualitatum Spermati Ceti nulla ineſt.

Hoc autem, quin è Ceto proveniat, dubitare non ſinunt non ita dudum nota argumenta.

Piſcis enim quidam è Balænarum generibus in lit-

littus impulſus Norfolcienſe, repertuſque a piſcatoribus fuit 60. pedès longus, cujus è capite fluenta olei, ac Ceti ſpermatis profluxere, ac a piſcatoribus collecta, aſſervataque ſunt diligenter. Aperto autem capite ipſa ſpermatis reperta fuit, ut ſic dicam, officina certis concluſi cancellis juſto ordine diſpoſitis, qui anſerinis ovis magnitudine pares, laminiſque vel adulti hominis caput magnitudine æquantibus obtecti, favorumque formâ albentes, atque oleo ſcatentes eſſent, teſte *Brownio Pſeudodoxiæ Epidem. fol.* 318.

Hoc autem ſperma Ceti naturale eſt, noſtrum autem, quod paſſim in Pharmacopoliis proſtat, mere factitium, & compoſitum, duplicis eſt generis: Alterum è cerebro, alterum quod à balænæ conficitur pinguedine.

Sed nec dum etiam ſatis conſtat, cujus arboris ſit *Agallochum*, ſive *lignum Aloes*, quibuſve creſcant *Malabathri* folia truncis. Illius namque tantum ſcimus arborem deſertis, inacceſſiſque florere in locis, nec niſi hujus fruſta tantum conſpici, quæ quotannis exundantes Ganges, Induſque, aliique Orientis fluvii trans ripas ejiciunt, ac bene olentia accolis colligenda relinquunt. De malabathri foliis autem (quæ tanquam præſtantia aromata *Theriacæ* plerumque admixta fuere, ac quorum defectum nunc ſimile quid ſupplet) non convenit inter ſcribentes. Verum non ita diu conſtitit illa *Canellæ* arboris eſſe folia, quamquam hujuſmodi arborum varia genera

nera in *Malabariâ*, inſuliſque *Ceylanâ* ac *Japanâ*, alibique ſint, aliæque verum *cinnamomum*, *caſſiam ligneam* aliæ, *Malabathri* autem folia nonnullæ producant; annotante *Jacobo Brejinio obſ.* 130. *miſcel. cur. med. phyſ. Anni* 4. *pag. mihi* 439.

Nuperrime qvoque dubitarunt nonnulli, unde *Camphora* originem duceret: certatum quippe diu, atque in diverſas itum eſt ſententias, illis eam è frutice prodire, his minerale dicentibus. *Agricola* 4. *foſſilium*, *Fuſchius lib.* 1. *de compon. medicam*, ac *Cæſalpinus metall.* 33. Indicam, ſulphureamque ajunt *Camphoram* terram eſſe; *Matthiolus in Dioſcorid. lib.* 1. *cap.* 75. *fol.* 104. Arboris cujuſdam Gummi eſſe ſtatuit in montibus Indicis, quibus ſit vicinus Oceanus, tantâ creſcentis multitudine, altitudineque, ut centum aliquoties homines ſimul patulo tegmine, umbrâque contegere queat.

Garcias ab Horto Archiater quondam Vicarii Regis in India cap. 11. *aromatum fol. mihi* 48. ſatis oſtendit minus recte ſe hanc noviſſe arborem, licet diutius iſtis in regionibus vixerit; Is autem mercatores Luſitanos inſimulat, qui, dummodo lucri bonum eſſe odorem ex re qualibet ſciant, parum ſint ſolliciti, quas ferat tellus, quam adeunt, arbores, quibuſve hæ inſignes exiſtimentur fructibus.

Ante paucos autem annos demum conſtitit è cortice radicis *Canellæ* arboris oleum, ac ſal quod-

dam

dam volatile per diſtillationem prodire, quod poſterius frigefactum ab oleo ſejungitur, ac deorſum vergit; quamvis per coctionem etiam ab illo *Camphora* ſeparari poſſit.

Quiſpiamne etiam ſcire ſe autumet, cujus arboris ſit *Thus* nobis adeo uſitatum, & unde plurima Gummi proveniant? Temerarium certe duco, quod non videris, continuo velle negare, quando rerum etiam naturalium ſæpius multa caligine tegitur ratio, ut non niſi multâ erui poſſit induſtriâ, præcipue ſi rariores ſint, ac in longinquarum tantum terrarum pene inacceſſis reperiantur locis. Humanum igitur eſt, ſi quis in hiſce erret.

Statuo itaque, quandoquidem multorum, quorum quotidianus eſt uſus, vix innoteſcit origo, ac indoles, non negandum eſſe unicornu exiſtere, quamvis non ita multis notum ſit, cum quod rarius propter jam dictas rationes reperiatur, tum quod nunquam fere vivum capiatur. Et obſervandum profecto eſt, omnes uno ore ſcriptores hoc ipſum aſſerere.

Sed nec ſic quidem cuivis ſatisfecero. Erunt quippe, qui dicant, ſi alicubi in terris hoc exiſtat animal, cur non *Romani* etiam, quorum Imperium Oceano, fama aſtris fuit terminata, hoc animal in Triumphis (quos Victoribus ſæpe decrevere) circumduxerunt, vel quid ni etiam pugnaturum more Rhinocerotum, Elephantum, ac Tigrium, nec non Leonum, Uro

rumque, ut & Urſorum, atque Orygum in Amphitheatra induxerunt?

Sed & his, quod ſæpius dictum, reſpondendum: Animal rariſſimum eſſe monocerotem, ac nunquam fere vivum capi, quin & indomitum eſſe, captumque, dum alio tranfertur per mare, facile extingui, uti & Rhinocerotes, Cameli, aliæque feræ: cujus rei *Ælianus* quoque *lib.* 10. *cap.* 18. *fol. mihi* 295. rationem reddit, *Bacciuſque fol.* 35. aliique teſtimoniis confirmant. Idemne etiam plurimis herbis, aromatibuſque è longinquis regionibus haſce in terras advectis contingere videmus?

Verum quotuſquiſque eſt, qui Romanum imperium nequaquam ad eam Indiæ partem, quam *Indus*, *Gangeſque* rigant, ac in qua Monocerotes copioſius reperiuntur, extenſum fuiſſe ignoret: Ipſi namque Romani nunquam *Parthis* virtute militari ſuperiores fuere, utut quandoque de iis fuſis, fugatiſque triumphaverint. Vix enim trajecto *Euphrate* eorum quam latiſſime patentes fines viſerant; cum paulo poſt amiſſis cecedit *Craſſus* ſignis, inultâque erravit umbrâ.

Quid autem de cornibus, quæ in Europa noſtra Reges plurimi, Principeſque, aliique potentiores quam religioſiſſime tanquam Unicornium aſſervant, dicendum?

Veriſimile eſt ea, quæ ſæpius conſpiciuntur, non unius, ejuſdemque animalium generis eſſe, ſed

ſed plurium, quibus tamen unum tantum frontem tueatur cornu. Alia enim lineis circumductis diſtincta cornua, glabra alia, ac modo candida, modo nigra ſunt. Sic etiam duo cornua colore nigro mucronibus acutis, ac ſuperficiebus in ſpiras contortis *Ferdinandis II. Imp. Rom.* ſibi comparavit quondam, ſed Onagrorum illa erant.

Quæ bina in *S. Marci* Ærario cuſtodiuntur Venetiis, æqualia, glabraque ſunt, ac Onagrorum cornibus quam maxime ſunt ſimilia.

Illa autem quæ in *S. Dionyſii Fano* prope *Lutetias*, nec non *Windſora in Anglia* monſtrantur, in ſpiras quoque contorquentur, qualia ſunt omnia, quæ in *Dania*, *Moſcoviaque*, nec non *Germaniâ*, ac *Trajecti ad Rhenum* viſuntur. Ideoque non tantum credunt *Dani*, ſed & demonſtrare poſſe ſe dicunt, omnia hæc ex ipſorum Regno provenire cornua, quibus teſtis accedit *Bartholinus epiſt. cent.* 1. *fol.* 237.

Frequentes enim hæ fuerunt olim merces, cum libera, notaque eſſet è *Norvegia* in *Groenlandiam* navigatio, ac quotannis in utramque regionem utplurimum hinc inde inſtitueretur. *Dani* autem tum temporis falſa hæc cornua non piſcium quorundam dentes, ſed Monocerotia dicebant.

Scribit *Vormius muſei ſui lib.* 3. *Animal. cap.* 14. omnia iſta, quæ inde proveniunt, immerito dicta cornua dentes eſſe cujuſdam balæ-

næ, quæ in *Groenlandiâ*, *Iſlandiâque Narhual* vocetur, ac ſi balænam dicas alimento viventem. Eſt enim *Hual* balæna, *Nar* eſca. *Bochartus* autem Iſlandis ita vocari ſcribit, quod cadaveribus veſci credatur, *lib. de Animal. S. S. part.* I. *pag.* 956. Horum autem piſcium quidam vel 40. longi ſunt cubitos iiſque, ſcribente *Vormio*, ſummo in capite duo ſunt foramina, ad ipſum os penetrantia, per quæ reſpirant, immiſſamque pro lubitu aquam egerunt. Hoſce autem dentes eſſe hinc liquere ait, quod ſinguli ſuperiori mandibulæ affigantur parti. Dentes etiam, non cornua vocat *Angrimus Jonas ſpecimine Iſlandico.*

Cenſet etiam *Ariſtoteles* omnibus Monocerotibus media in fronte cornu naſci; hi autem piſces falſa iſta cornua anteriori mandibulæ parti, cujus cavernis plerumque aliorum inſeruntur dentes, affixa gerunt. Ita ut, quod antea cornu creditum fuit, ex hujuſmodi piſcis frontis oſſe dentem eſſe conſtet, quoniam iſti per *Symphyſin* oſſi non conjungitur, ſed ſuperiori maxillæ per *Gomphoſin* infigitur. Nulli autem præter hunc maximum balænæ iſti dentes ſunt, quo glaciei fragmina ingentia, ſi quibus cingatur, non ſine violentia rumpit, ut tranſitum ſibi aperiat, unde & ille interdum læditur, partemve ſui amittit, quales ſæpe in Littore reperiuntur. Dens autem ille prope cranium aliquomodo cavus eſt, atque in eo parvulum quandoque cornu,

nu, ſi ita vocare liceat, creſcit ejuſdem plane formæ, cujus eſt ille, uti apud *Vormium cap.* 14. *fol.* 285. legere eſt. Unde *Simon Vireſius lib.* 1. *Groenlandiæ antiquæ fol.* 39. credere ſe ait hiſce piſcibus dentes iſtos tandem excidere, alioſque iterum naſci pari modo, quo infantibus, ac interdum adultioribus contingit, ut à novis creſcentibus dentibus priores illi propellantur, protrudanturque. Atque ideo quidem credit tot ejuſmodi dentes à piſcium ſeparatos capitibus in *Groenlandiam Iſlandiamque* à glacie provehi.

Paulus etiam *Jovius lib.* 18. *hiſtor.* de vero Monocerotio agens cornu, *id*, inquit, *vivo animali non detrahitur, cum ullis inſidiis intercipi nequeat. Cornu tamen ſponte deciſum in deſertis reperitur, ut in cervis accidere videmus, qui ex ſenectæ vitiis, renovante natura, vetus cornu exuunt, venantibuſque relinquunt.*

Rochefortus de Inſulis Americæ prætentis cap. 8. *fol.* 159. aliam quandam Unicornis marini deſcribit ſpeciem, qualem in *Teſtudinum Inſulæ*, quæ non procul *S. Domingo* eſt, littora fuiſſe expulſum narrat anno 1644. Hic autem piſcis octodecim pedes longus, ac totum corpus ſquamis magnitudine nummi Imperialis, vel Philippici, (quem vocant) coloreque cæruleo obtectum erat: Iſti autem unicorni equino paulo majus caput erat, ſed forma pari, pulcerrimo-

moque frons conſpicua cornu, quod novem cum dimidio pedes longum, directumque, ac ſenſim tenuius acuto ſpectabatur mucrone, hujus autem partis capiti proximæ circuitus ſedecim pollices latus erat: Ipſum autem cornu inſtar cochleæ Torcularis contortum erat; quin & coronæ quædam imago capiti inhærebat. Piſcis autem formam ipſe exhibet *pag.* 162.

Nunc autem de hujuſmodi cornuum viribus nonnihil dicam. Ipſe etenim quævis quadrupedum, ſive Unicornium ſive multicornium cornua contra venena antidota præbere ſtatuo, quod volatile quoddam ſal contineant: Hoc autem ſpiritus concitat, ſanguinemque longe reddit tenuiorem, nec non cor ipſum maxime roborat, venenis adverſatur, & peſtilentibus febribus inſigne eſt remedium, humores noxios per ſudorem, & urinam expellens: longe tamen majorem huic, quam illi cornu reſiſtendi venenis ineſſe efficaciam, imò vehementius ſeſe his opponere crediderim cornua, quæ in calidioribus reperiuntur plagis, quod plurimum haud dubie volantis ſalis includant.

Nec veteres cornuum virtutes ſalutares ignoraſſe videntur. Hinc enim eſt, quod olim cornibus biberint. Unde ἀπὸ τοῦ κέρατος κερᾶν *miſcere, ac bibendum præbere*; hinc autem κερατὴρ. Urorum etiam cornua potuum gerula facta fuiſſe inter regias menſas *Solinus cap.* 32. prodit. Tradit etiam *Ælianus* potentiores apud

apud Indos cornibus aſini Indici bibere ſolere: quod & affirmat *Philoſtratus vitæ Apollony Thyanæi lib.* 3.

Septentrionis autem incolis maxime cornua poculorum vices ſupplerunt. Sic *Saxo* etiam *Grammaticus hiſt. Daniæ lib.* 7. illos Urorum bibiſſe cornibus teſtis eſt. De corneis autem Veterum, Regumque poculis legatur *Athenæus lib.* 21. *Dipnoſoph.*

Obſervandum quoque puto in calidiſſimis orbis terrarum partibus peſſima etiam, ac maximè noxia gigni toxica, ideoque Providentiſſimum Mundi Arbitrum illis etiam locis præſtantiſſima ſuppeditaſſe antidota, quibus iſta ſuffocentur, obtundanturque, crediderim.

Propriæ dictæ equidem Monoceroti admirandas eſſe dotes, vireſque quibus letalia, ac minus cognitis necantia modis venena ſupprimat, ac vincat, nullâ ratione negare quempiam poſſe ſtatuit *Brownius Pſeudodoxiæ Epidemicæ cap* 23. Quando enim Alcis ungulæ, cornuaque comitiali laborantibus morbo prodeſſe dicuntur, quando etiam non tantum os cordis cervini, ſed & ejuſdem cornu eſt corroborans, Hyacinthorumque confectionem, &c. ingreditur, quid cauſæ eſt, quod illam Monocerotio cornu ineſſe negemus poteſtatem? Minime vero ſe credere idem *Brownius* ait, hujus tantam eſſe antidoti efficaciam, ut, quod tamen haud pauci volunt, ſublimato, aliiſque, quæ ſecundâ (ita ait) qua-

litate, ſive partium roſione necant, reſiſtat venenis.

Memorat *Ulyſſes Aldrovandus* Judæum quendam Venetiis unicornu vendere voluiſſe, ac, ut verum eſſe probaret, cornu parte circulum in menſa duxiſſe, immiſſoſque primo Scorpionem, mox & Araneum, illius terminos ſuperare minime potuiſſe, ſed huc illuc repentes intra horæ quadrantem nec ante antidoti vi interiiſſe. Simile quid *Stephanus Rodericus Caſtrenſis lib.* 4. *de Meteor. microcoſm. cap.* 4. magno quopiam cornu factum ſe vidiſſe tradit, quod Nobilis quidam Luſitanus ipſi monſtrarit, Regiſque, cognati ſui, eſſe dixerit. Hic autem cornu, ut minimè fictum eſſe oſtenderet, araneam impoſuit, quæ, cum quam citiſſime aufugere niteretur, vi retenta brevi ſolâ antidoti vicinitate extincta eſt. Teſtatur hic inſuper vidiſſe ſe in Luſitania Monocerotis oſſa quamplurima ſuperaſſe venena, aſſeritque paucos admodum abſque hoc inſigni remedio Magnates ex India in Luſitaniam reduces eſſe.

Narrat etiam *Monardus Tract. de Lapide Bezoard.* ſimilem ſe *Hiſpali* ab hujuſmodi cornu fruſto provenientem vidiſſe effectum. Quamobrem hoc omnia omnino præſtanti virtute antecellere antidota ſtatuit: Nec diſſentit Vir Eruditiſſimus *Ficinus de vita Cælitus comparanda*, qui cornu iſti cæleſtes propemodum dotes attribuit. Idem cenſent *Braſſavolus*, *Dioſcorides*, *Mat-*

Matthiolus, *Baccius*, atque omnes fere, qui de peſtilentibus, malignisque febribus plura ſcriptis conſignarunt, uno tamen omnes fatentur ore rarius illud reperiri, atque inter Regum, potentiorumque theſauros numerari pretioſiores.

Amatus Comment. in Dioſcorid. libr. 1. *enarrat.* 52. omnes, qui in India fuerint, aſſeverare ait monocerotis cornu apud Reges, Principeſque maximo eſſe in pretio, imo & Luſitanos, qui diutius Medicinam in India laborantibus feciſſent, dixiſſe Medicos nullum excellentius Indis veneno, contagioſiſve infectis febribus propinari remedium poſſe. Atque ideo quondam Indi Proceres Monocerotio cornu auro præmunito bibere ſoliti fuere, ne qua forte tradente *Æliano*, toxica nocerent. In Æthiopia quoque regiis illud imponitur menſis, quo explorent aulici, num quid veneni epulis inditum ſit. Memorat etiam *Paulus Jovius lib.* 31. *Clementem* VII. *Pontificem Romanum Franciſco* I. *Galliarum Regi* hujuſmodi cornu bicubitale, cælatoque innixum auro dono dediſſe, quo cujuſvis cibis admixti veneni vim eluderet. Hanc quoque ob cauſam magnæ in India auctoritatis Viri ex ejuſmodi cornu confectis ornantur armillis: uti ſupra è *Blanquio* annotatum.

Laudat quam maxime *Aloyſius Mundella* hoc cornu tanquam à cane rabido, aliiſve infectorum toxicis certiſſimum remedium. Ne cui itaque mirum ſit, ſi illud cum propter raritatem, tum

propter eximias dotes tanto pretio olim fuerit divenditum, ut etiam memoret *Baccius pag. mihi* 105. Germanos quoſdam Mercatores Romam veniſſe, ut cornu Monocerotis quibuſdam Principibus offerrent, quod 90000 coronatis æſtimarent. *Julius I. I. I. P. M.* ſcribente eodem, officinam aromatariam, pretioſiſque refertam pharmacis, quam vaticano in Palatio extrui curaverat, donavit inter alia Monocerotii cornu fragmento à Raguſinis mercatoribus 12000 coronatis empto. Quo *Baccius Auguſtinum Riccium* Medicum Pontificium uſum fuiſſe ſe ſcire ait, qui illud interdum pondere ſcrupuli unius, quandoque 10. granorum ad minimum, vel cum aqua aliqua cordi appropriata, requirente neceſſitate, cum felici multis ſucceſſu, qui hujus ope magna evitarunt pericula, propinaverit.

Quamquam autem dens ille piſcis *Nerhual.* non cornu ſit, iis tamen inſignis eſt dotibus, quas bene multi quondam ei, tanquam Monocerotio cornu, attribuerunt. Non animadvertuntur, ſcribente *Brouwnio d. libro fol.* 301. in plurimis, quamvis non in omnibus, quæ apud nos repeseriuntur, plurimique fiunt, cornibus iſtæ qualitates, quæ aliis ineſſe ſolent: neque enim igne, coquendove, aut liquoribus molleſcunt, nec multum gelatinæ iis decedit, nec facile calcinatione philoſophicâ diſſolvuntur, ſed rimis fatiſcunt, vel in laminas ſolvuntur, contra, quam aliis accidit cornibus.

Adi

Adi etiam id ipſum confirmantem *Bartholinum epiſt. med. cent.* 1. *fol.* 100. Teſtatur hic quoque *epiſt. med. cent.* 2. *fol.* 579, nec non *hiſt. anatom. rarior. cent.* 2. *hiſt.* 56. ac *cent.* 4. *hiſt.* 4. & *cent.* 5. *hiſt.* 46. ſe non ſine proſpero ſucceſſu febricitantibus, præmiſſis ex methodo præmittendis, hujus dentis pulveris dragmam dimidiam præbuiſſe, qui veluti maxima quadam vi ſudores expulerit, febremque minuerit. Quod ipſum ſe & in malignis graſſantibus febribus, tertianiſque expertum ait. In aliis etiam morbis, quos ejectione ſudorum tollere quis geſtit, non minus felici eventu hujuſmodi vaſi, poſteaque contuſi dentis pulvis intus ſumitur.

Memorat idem *cent.* 2. *fol.* 662. *Kyperum Profeſſorem* quondam Lugdunenſem in Batavis hujus dentis pulverem peſte laborantibus proſpere exhibuiſſe. Quin & *N. Tulpius obſ. med. cent.* 4. *obſ.* 58. conducere unicornu marinum expellendis variolis & morbillis, domandiſque febribus malignis, ſe non ſemel expertum eſſe ſcribit.

Martinus Forbiſſerus navigatione in regiones Occidentis, & Septentrionis piſcem mortuum in Septentrionis mari ſe inveniſſe narrat, qui undis agitabatur, & in roſtro unicum cornu rectum gerebat longitudine unius ulnæ cum ſemiſſe. Hoc autem intus cavum fuiſſe, ac quoſdam in id aræneas injeciſſe, quæ è veſtigio fuerint mortuæ, ſcribit.

Sta-

Statuunt tamen nonnulli qualitates quas S. P. gina animali *Rem* attribuit, omnium optim *Orygi* convenire.

Eſt tamen *Oryx* æque, imo magis ignotus quam proprie dicta Monoceros, ac de utroqu pari varietate loquuntur Scriptores.

Primo namque *Caprea* generaliter Latinis Ca pra, ac præcipuè fera eſt, cujus tamen plure ſpecies, Rupicapra, Dama, Ibex, Bubalis Pygargus, Capra Strepſiceros, Dama vulgaris Capra Moſchi, Bezoardica, Oryx &c.

Oryges autem *Columella lib.* 9. *cap.* 1. Cervis, at *Plinius lib.* 8. *cap.* 53, *Bochartuſque de Animalibus S. Scripturæ cap.* 28. *partis primæ pag. mihi* 974. ac *Franzius hiſt. Animal. ſacr. part.* 1. *cap.* 23. Capreis annumerant. Ita ut hujuſmodi Caprea nonnullis *Oryx*, quibuſdam *Dorcas*, vel *Bubalis* aut *Dama*, *Gazellave*, aliiſque *Ibex* ſit, nec cui potiſſimum adhæreas dicere promptum ſit.

De Orygum origine, lociſve in quibus degant, non una etiam eſt opinio, *Herodotus lib.* 4. animalibus accenſet, quæ prope Tritonis Africæ fluvii fontes proveniunt.

Orygem quoque in illa Orbis parte naſci tratradit *Plinius lib.* 10. *cap.* 73. vocatque *Getulum* Orygem *Juvenalis Satyra.* 9.

In Æthiopiâ produci *Agatarchides*, *Strabo Diodoruſque*, ac *Heliodorus* contendunt. In Ægypto etiam reperiri *Plinius lib.* 2. *cap.* 40, *Ælia-*

Ælianuſque hiſt. Animal. lib. 7. *cap.* 8. nec on *lib.* 10. *cap*: 29. ſcribunt. Idem etiam lib. 4. rupicapras ſummis montium Lybiæ cacumi-ibus degere tradit.

Formam inſuper Orygum alii, atque alii di-erſam faciunt, dum modo unicum, modo duo lis concedunt cornua. Qui capreis annume-ant, bina tribuunt, quos inter *B. Bochartus*, uamquam *pag*: 939. ita dicat: *Reperitur in Se-eſtanæ, & Bulgariæ ſylvis, Damir, Charis fe-a, quæ in medio capitis cornu habet unicum.* Quod etiam *p.* 967. repetit.

Plinius etiam *lib.* 11. *cap.* 46. unum Orygi tan-antum eſſe cornu aſſerit: ita quoque *Ariſtote-es lib.* 2. *hiſtor. animal. cap.* 1. *ac lib. de part. nimal. cap.* 2. ut & *Oppianus de venatione lib.* 2. *erſu* 445.

Ælianus hiſt. animal. lib. 14. *cap.* 15. qua-uor cornua Orygibus eſſe ſcribit non directa, ed recurva, ac prope humeros contingentia, nde de *Damis, Orygibuſque Platycerotibus* lo-utus videtur.

Binas exhibet Orygis figuras *Ionſtonus*, verum trum magis illum, an *Aſinum* referant *Indi-um*, ſive *Onagrum*, ne *Aldrovandum* quidem dicere auſum ait p. 86. fateturque nihil omnino certo ſibi de ejus formâ liquere. *Bochartus* etiam *cap.* 27. *part.* 1. *de Animal. S. Script. fol.* 966. non plane *Reem* naturam (quo *Orygem* ſignificari contendit) ſibi perſpectam ſcribit, ac

paſ-

paſſim *Orygi*, licet obſcurius, duo adſcribi non diffitetur cornua, cum etiam *quandoque Unicornem* eſſe ex *Ariſtotele*, ac *Plinio* conſtare p. 970. dicat.

Sed nec de ſubſtantiâ cornu inter ſcriptores convenit. *Nierenbergius cap.* 3. *hiſt. naturali. fol.* 111. longa, firmaque huic feræ cornua *Bartholinus* autem de unicornu, *p.* 70. ac 71. cava eſſe variaque, ut arcus, citharaſque, ac fiſtulas ex iis conficiait.

Oryges meticuloſos alii, timidoſque, ut *Athenæus lib.* 5. *Virgilius Æneid. lib.* 10. *Ovidius Faſtorum lib.* 5 necnon *Bartholinus de Unicornu*, crudeles vero alii ajunt.

Hoc autem inde natum crediderim diſſidium, quod bicornes Capreæ (quibus illos nonnulli annumerant) timidiores ſint proprie dicto, ac unicornu Oryge, quem ſævum *Oppianus lib.* 2. *de venatione v.* 446. *Martialiſque lib.* 13. *Epigram.* 95. nec non *Plinius lib.* 2. *cap.* 40. ſcribunt.

Columella lib. 9. *cap.* 1. cum cæteris animalibus ad uſus humanos mactari Oryges ſcribit his verbis: „ Feræ pecudes, ut Capreoli, Damæque „ nec minus Orygum, cervorumque genera, „ & Aprorum, modo lautitiis, & voluptatibus „ Dominorum ſerviunt, modo quæſtui, ac re„ ditibus.

Bartholinus etiam de *Unicornu p. mihi* 72. Orygis corpus ſanum admodum, hominefque nutrie aptum, ideoque illum inter pura quoque

ani-

nimalia populo Iſraëlitico commendatum ſcribit, ut *Deuteron*. 14. *v*. 5. conſtat.

Gratiſſimi ſaporis haſce carnes fuiſſe, lautiſſimaſque conjicias, quod Romanorum dapes conſtituiſſe ſcribat *Juvenalis Satyr*: 11.

Diſſentiunt denique de Orygis longitudine, ac magnitudine, quotquot fere eum diſcripſere. *Herodotus* enim *Ælianuſque lib*. 4. *hiſt. Animal. cap*. 15. bovi magnitudine parem dicunt; *Oppianus lib*. 2 *verſu* 55. illum Rhinocerote non multo eſſe majorem ſcribit. Verum *Ariſtoteles hiſt. Animal. lib*. 3. *cap*. 2. Capream inter minima cornuta, quadrupediaque animalia ponit, dicitque ſe non noſſe parvum animal cornutum, capream autem, quæ noſcat, omnium eſſe minimam,

Hirco parem, barbatumque ſub mento Orygem ſcribit *Albertus Magnus*, barbam etiam attribuit *Ælianus lib*. 14 *cap*. 15.

Atque hæc quidem de Oryge. Cæterum, quiſquis illa recte perpenderit, fatebitur utique omnia, quæ de *Rem*, ſive *Reem* ſacra profert pagina, de Oryge, Capreave bicorni, non poſſe dici. Conſtat quippe ex *Numeror*. 23. *v*. 22. *Tò Rem* maxime altum eſſe animal, contra quam *Ariſtoteles*, ac *Albertus Magnus* de Oryge teſtantur.

Animali *Rem* excelſum etiam cornu eſſe è *Pſalmo* 92. *v*. 11. liquet; *Extolles meum cornu ſicut Rem*: verum cervorum etiam alteriora eſſe

eſſe cornua, quam caprearum, quis ignorat?

Nec tamen inſcius ſum capream ſaltare, ac laſcivire, nec non cornibus petere ſolere, atque hac conſideratione illud *Deuteron.* 33. *v.* 17, „ *Sunt ejus cornua tanquam Rem, quibus po-* „ *pulos arietabit*, capreæ tribui poſſe. Verum & inſolitæ feritatis *Rem* eſt, quare ab hujuſmodi ferarum cornibus defendi cupit Regius Pſaltes *Pſalm.* 22. *v.* 22 Cum tamen viri docti, atque ipſo rerum uſu facta fides capreas timidiores eſſe demonſtrent.

Illud etiam quod *Jobus cap.* 39. *v.* 14. de *Rem* ſcribit, capreis attribui nequit, quæ propter virium defectum ab arandi neceſſitate eximuntur.

At dicet forte quiſpiam Orygem, qui ex caprearum genere ſit, fortem eſſe ſævumque. Verum equidem eſt eum capreis eſſe ſæviorem, ſed tamen illi paſſim duo tribuuntur cornua. Omnes inſuper unamini conſenſu proprie dictum unicornu nec capi, nec ſub juga mitti poſſe perhibent. Cum tamen & S. Scriptura, aliique (quos inter *Martialis* annotato Epigrammate 95 *lib.* 13

Sævus Oryx conſtat quot mihi morte canum?)

Cervos domaſque, ac Capræas, ideoque & Oryges retibus, canibuſque vinci doceant. Facile laqueo capi poſſe Orygem tradit *Albertus Mag-*

Magnus, teſte *Ionſtono*. Memorat etiam *Athenæus lib.* 5. in ſuperba *Ptolomæi* pompa Orygum bigas ſeptem fuiſſe; *Horus* etiam *Apollo lib.* 1. *cap.* 46. Ægyptios Reges huic inſediſſe animali auctor eſt.

Nec quicquam effecerit, quiſquis è S. Scripturæ locis ſuperius adductis duo *Reem* tribui cornua, ac proinde, non eſſe unicornu dixerit. *Kimchius* enim, *Aquinaſque*, ac *Pomarius*, aliique Hebræi, atque Arabes *Rem*, animal unico frontem ſpectabile cornu ſcripſere. Animadvertendum inſuper eſt S. Scripturam per numeri *enallagen* plura *Reem* tribuere cornua. Quando autem legimus *Deuteron.* 33. *v.* 17. *Cornua ejus ſunt, tanquam τῶ Reem*, non neceſſario habemus vertere *Monocerotis*, ſed dici utique poteſt *Monocerotia*, ut plurimi vertunt. Ita ut non videam, quid impulerit *Hieronymum*, ut *Pſalmi* 22. *verſum* 22. *Rhinoceroti* attribuerit: Neque enim poſteriori illo modo confuſio, quam vitare voluiſſe S. Pater videtur, quæpiam oriri potuiſſet. Sed hic loquendi uſus apud Hebræos, alioſque notior eſt, quam ut multis exponatur.

Urum etiam nonnulli loco Monocerotis obtrudere voluere. Sed quam invita id fiat ratione, vel ipſum nomen clamat, quod recentius longe, minuſque notum, quam Unicornis. Hujus enim quadringentis ante Chriſtum annis *Cteſias* ævo *Artaxerxis Mnemonis* meminit; Is enim in excerptis apud *Photium*, *Sunt*, inquit, *Aſini ſyl-*

 veſ-

veſtres in India equis pares, aut etiam minores. Urum autem quis ante Cæſarem novit? Certe poſt hunc pauci admodum illius fecere mentionem, tacente etiam omni Græcorum turba. Atque ideo *Plinius lib.* 28. *cap.* 10. hos nec uros noviſſe, nec *biſontes* tradit; quamvis bubus feris quam maxime abundent Indiæ ſaltus: Nec conſtare ait *Bochartus p.* 962. uros alibi fuiſſe: quam in Hercynia ſylva, aut locis parum remotis: unde *Moſis* ævo Judæis innotuiſſe nemo ſibi perſuaſerit. Nec eſt, qui, ut ſcribit idem, Syriam, Palæſtinamque uros producere aſſerat. *Moſem* igitur, *Jobum*, & *Balaamum* voce *Reem* neceſſe eſt aliud ſignificaſſe.

Tandem etiam *Onagrum* nonnulli proprie dictam Monocerota ſtatuere; Scimus equidem hujus feræ cornu à Monocerotio forma differre, ſed & non minus præſens adverſus venena eſſe remedium. Quamquam & hoc animal unicornu magnitudine par ſit, variis tamen diſtinguitur modis; pilis videlicet, longitudine, æqualitate, ac colore cornu, nec non pedibus, &c. Quæ omnia etiam pro regionis, in qua naſcitur, diverſitate differunt. Cornuti namque in India aſini agreſtes ſunt, ut & in Scythia, Africaque, tradente *Herodoto lib.* 4. nec non *Æliano hiſt. animal. lib.* 10. *cap.* 40.

Quin & ipſa ſacra pagina *Iobi cap.* 39. *v.* 8. ac 12. unicornem, Onagrumque diſtinguit, ac diverſa utrique tribuit nomina. Quamquam Onager etiam ſo-

ſolitarius ſit, ut *Oſeæ cap. 8. v. 9. Iobi cap. 24. v. 5. Eſaiæ cap. 23. v. 14.* nec non *Daniel cap. 5. v. 21.* liquet.

Adde vivos capi, domarique Onagros, teſtibus *Varrone de re ruſtica lib. 2. cap. 6., Plinio lib. 8. cap. 43.,* ac *Anatolio Hippiatric. cap. 14. Martiale,* aliiſque: quod de monocerote vera utique aſſeri non poteſt. Ait enim hic *epigram. lib. 13. epigr. 101.*

Pulcer adeſt Onager: mitti venatio debet Dentis Frythræi: jam removete ſinus.

Scribit etiam *Ionſtonus de quadrupedibus c: 3.* quoſdam ad generandos mulos Onagros jam domitos eligere, quod hæc quam facillime ſub jugum veniat fera, ſubactaque rarius ſola repetat loca. Onagros ab Arabibus in deſertis laqueis, aliiſque capi Inſtrumentis teſtatur *Leo Africanus p. 215.*

Nec diſſentit *Iobus cap. 39.* docet enim liberum vinculis incedere onagrum; qualis quamdiu manet, in deſertis degit, Civitatumque frequentiam temnit, &c.

Atque ita quidem Lectori conſtare cenſuerim; nec dentem piſcis *Narhual* cornu, multo minus monocerotium, nec etiam Orygem *Rem* eſſe, cum quod bina plerumque feratur genere cornua, tum quod timidior ſit, dometurque, nec non lautas luxurioſis præſtet epulas. Quamquam enim animi intrepidi, ſævuſque ſit Oryx quandoque, capitur tamen, ut ſæpius dictum. Verumenimvero ſi Doctiſſ. *Sam. Bochartus de*

Animalib: S. S. pag. 961. & 962. veterum teſtimoniis abunde ſe probare dicat τὸ *Rem* non in boum, ſed caprearum eſſe numero. ac *p.* 970. *Jobum* ita exponat, ut ſcilicet dometur quidem *Rem*, attamen ab arandi eximatur neceſſitate; ne videlicet negetur poſſe intelligi Oryx, qui domatur, ac propter roboris defectum aratri immunis eſt. Si idem *Bochartus* etiam p. 968. feritatem Orygis, ac robur, quale *Jobus*, aliique τῷ *Rem* tribuunt, docte, atque elegantur ex prophanis demonſtret, anne igitur, ut eruditiſſimo viro aſſentiamur, neceſſe eſt, dicamuſque τὸ *Rem* non unicornu excellentius, ſed Orygem eſſe? Minime vero. Ille enim iſthæc omnia, quo pollebat, ingenio conquiſivit unâ, eaque maxima, ut putabat, ratione, quam apertiſſime p. 954. indicat, ductus, quod nempe de eo nuſpiam legiſſet, inaudiviſſetve ab iis, qui peregrinis etiam indagatores accuratiores in terris vixerint; quam etiam ob rationem viri magni *Mercurialis*, *Paræus*, *Deodatus*, aliique exiſtere verum negant unicornu.

Ipſe itaque unicornu vere ſic vocatum ab omnibus hiſce quam maxime diſtare animalibus, atque illud ipſum non modo propter ſimilitudines à *Spiritu Sancto* ab eo ſumptas, ſed & propter expreſſas quam apertiſſime proprietates, ferocitatem videlicet, robur, animoſitatem, feramque indolem, ac denique propter veterum, recentiorumque monumenta, atque ocularium teſtium fidem, non tantum ante Ogygium extitiſſe cataclyſmum, ſed & hodieque, ac præcipue quidem in Africa, exiſtere, atque reperiri exiſtimo.

FINIS.

INDEX OBSERVATIONUM RARIORUM,

Centuriæ Primæ.

I. *Cranii ſuturæ pavore quodam diſunctæ.* pag. 1
II. *Infans abſque cerebro in lucem editus.* p. 6
III. *Abſceſſus in fronte infantis.* p. 16
IV. *Abſceſſus oſſis capitis.* p. 19
V. *Cranii dedolatio.* p. 23
VI. *Depreſſio cranii.* p. 27
VII. *Gravis capitis caſus abſque trepano ſanatus.* p. 31
VIII. *Unius eiuſdemque caput vigeſies ſepties trepano terebratum.* p. 36
IX. *Gravis lapſus capitis non ſine cerebri læſione.* p. 38
X. *Abſceſſus intus in ipſo capite.* p. 46
XI. *Abſceſſus in cerebri ventriculis.* p. 49
XII. *Lapillus in glandula pineali, ac vaſis ſpermaticis repertus.* p. 53
XIII. *Turunda è capite per naſum emiſſa.* p. 61
XIV. *Glandula parotis exulcerata.* p. 66
XV. *Multum aquæ poſt caput gravius ictum ex aure emiſſum.* p. 68
XVI. *Continuus alterius lateris motus convulſivus.* p. 75

XVII. *Cartilaginea gingivæ excreſcentia.* p.80
XVIII. *Plurimum ſanguinis è dente molari emiſſum.* p.84
XIX. *Sanguis è palpebris erumpens.* p. 85
XX. *Ranula.* p.87
XXI. *Fruſtum fiſtulæ, quâ Tabaci Amatores fumum imbibunt, faucibus inhærens, cauſa mortis.* p.92
XXII. *Annulus gemmâ inſignis ab infante in fauces ingeſtus eique mortis cauſa.* p.95
XXIII. *Armi Vitulini oſſiculum in arteriam tracheam ingurgitatum.* p.97
XXIV. *Pulvis Pyrius è tubo ferreo (muſquettam noſtrates vocant) in gulam exploſus.* 100
XXV. *Abſceſſus in faucibus cum cibi, potuſque per novem dies continuos abſtinentiâ.* p. 103
XXVI. *Pus ex abſceſſu ad exteriorem colli partem per nares emiſſum.* p.109
XXVII. *Raucitas inſanabilis è frigidæ cereviſiæ hauſtu.* p.113
XXVIII. *Varii Lapilli è pulmone per tuſſim ejecti.* p.116
XXIX. *Vulnus in oſſe Sterni.* p.119
XXX. *Vulnus per pectus penetrans.* p.122
XXXI. *Vocis defectus, ac Paralyſis poſt læſum pectus.* p.127
XXXII. *Vomica membrana ſua concluſa.* p.129
XXXIII. *Gravidæ, ac partui propinquæ mulieri bis vena ſciſſa.* p.132
XXXIV. *Pus ex abſceſſu pectoris per alvum emiſſum*

emiſſum. p. 135.

XXXV. *Pus è pectore proveniens per renes, veſicamque emiſſum.* p. 138

XXXVI. *Quaſſatio aquæ in pericardio, etiam foris auribus percepta.* p. 144

XXXVII. *Cor planum, eique adhærens firmiter pericardium, medioque in ventre Lien.* p. 147

XXXVIII. *Polypus cordis.* p. 151

XXXIX. *Ipſius ventriculi ima pars vulnerata, ſanataque.* p. 156

XL. *Fungi comeſi repentinæ mortis cauſa.* p. 162

XLI. *Graviſſima poſt uſum pomi Colocynthidis Symptomata.* p. 173

XLII. *Opium ad dimidiam drâgmam ſumptum,* p. 176

XLIII. *De noxio admodum, nec non letali herba, radiciſque Oenanthes veneno.* p. 182

XLIV. *Aqua fortis pota.* p. 196

XLV. *Lapis è Jecore per abſceſſum detruſus,* p. 198

XLVI. *Pus ex abſceſſu jecinoris continue per pulmonem, atque hinc per fauces tuſſi ejectum.* p. 202

XLVII. *Bilis in Infantibus per poros ipſius fellis veſiculæ tranſmiſſa pravorum ſymptomatum cauſa.* p. 204

LVIII. *Lien vomicâ circumquaque cinctus,* p. 206

XLXIX. *Inſolitæ admodum magnitudinis Lien in infante repertus.* p. 209

L. *Renes inferius uniti.* p. 214
LI. *Urinæ tranſitus renis calculo per ſedecim dies obſtructus.* p. 217
LII. *Renum alter Ulceribus totus quantus exeſus.* p. 221
LIII. *Prominentia Umbilici grandior.* p. 223
LIV. *Hernia inteſtinalis incuriâ quadam loco bubonis aperta.* p. 226
LV. *Tarda admodum alvi exoneratio.* p. 230
LVI. *Tumor durus in inteſtinis repertus.* p. 237
LVII. *Excrementorum vomitus poſt Herniam.* p. 243
LVIII. *Pus, atque excrementa per Umbilicum emiſſa.* p. 247
LIX. *Purgamenta alvi ex inteſtino colo per lumbos ejecta.* p. 257
LX. *Fæces per inguen excluſæ.* p. 260
LXI. *Varii, pinguiores, virideſque globuli per alvum excreti.* p. 263
LXII. *Pituita aliquamdiu cum fæcibus alvinis ſimul excreta.* p. 266
LXIII. *Infantis cujuſdam abdomen paſſim exulceratis glandulis refertum.* p. 270
LXIV. *Ceraſorum nuclei in inteſtino Colo per ſex circiter menſes latentes.* p. 273
LXV. *Mulieri uno, eodemque fœtu gravidæ quadragies, ac novies vena ſciſſa.* p. 275
LXVI. *Uteri ruptura.* p. 284
LXVII. *Ipſius Uteri corporis inverſio.* p. 291

LXVIII. *Va-*

LXVIII. *Vaginæ uteri extenſio.* p. 295
LXIX. *Vera totius uteri procidentia.* p. 298
LXX. *Pſeudo-partus Hydatidum.* p. 301
LXXI. *Fœtus materno in corpore putrefactus.* p. 305
LXXII. *Canis è muliere nata.* p. 309
LXXIII. *De Mola Virginali.* p. 315
LXXIV. *Fœtus in ſecundis repertus.* p. 323
LXXV. *Gemini ſinguli quidem ſuo utentes umbilicali funiculo, at tertio inſuper communi donati.* p. 329
LXXVI. *Sanguinis fluxus continuus ad ipſum, uſque partus diem, novaque inſuper ſingulis menſibus auctus profluvio:* p. 332
LXXVII. *Menſtrua periodus infanti anni unius.* p. 336
LXXVIII. *Puerpera abſque Lochiis.* p. 339
LXXIX. *Sanguis menſtruus ex iraſcentis papillis effluens.* p. 342
LXXX. *Menſtruum viris per penem profluvium.* p. 344
LXXXI. *Veſicæ vulnus an letale ſit?* p. 347
LXXXII. *Veſicæ ruptura.* p. 351
LXXXIII. *Cantharides corpori exterius admotæ etiam veſicæ noxiæ.* p. 353
LXXXIV. *Membrum virile totum quantum reciſum.* p. 357
LXXXV. *Scrotum omne ſphacelo ſublatum.* p. 363
LXXXVI. *Infantis penis non perforatus.* p. 365

LXXXVII. *Fungus cancroſus in interiori Matricis colli parte.* p. 368
LXXXVIII. *Cancer in urinario fœminæ meatu.* p. 372
LXXXIX. *Anus maligno ulcere exeſus.* p. 374
XC. *Calculus per ulcus prope inguen emiſſus.* p. 376
XCI. *Calculus per inguen prodiens.* p. 379
XCII. *Calculi infra inguen ex ulcere prodeuntes.* p. 381
XCIII. *Pili in abſceſſu.* p. 383
XCIV. *Oſſea excreſcentia.* p. 385
XCV. *Oſſis tibiæ fiſſi terebratio.* p. 388
XCVI. *Totum tibiæ os corruptione exeſum.* p. 391
XCVII. *Mola genu, quâ in longum patet, fracta.* p. 394
XCVIII. *Rotula tranſverſè rupta.* p. 395
XCIX. *Infans aſſidue è Peſte laborantis matris papillis expreſſo nutritus ſucco nihil omnino accipit incommodi.* p. 397
C. *Mors è rubidæ felis morſu.* p. 400
De Unicornu Diſſertatio. p. 463

FINIS.

IN-

INDEX RERUM,

Quæſtionumque prima hac Centuriâ ventilatarum.

NUm cranii ſuturæ ætatis provectis disjungi poſſint? Pag. 2
Utrum quis cerebro, vel ejus parte abſque functionum animalium læſione, vel privatione carere poſſit? pag. 8
An quibus os frontis ſuturâ in duas poſt ſeptimum, octavumve annum diviſum manet partes, capitis oſſa circa verticem non coaluerint? pag. 18
An morbo Gallico oſſa, integrâ cute, abſceſſum pati, conſumi, & putreſcere queant? pag. 20
Num oſſium tam calvariæ, quam naſi, palatique corruptio iſti morbo ſemper originem debeat? pag. 21
Quomodo ſubveniendum, quibus apertus palati locus eſt? Ibid.
Cerebri vulnera non ſemper letalia. p. 23. 42
Utrum cranium depreſſum loco reſtitui ſemper neceſſe ſit? pag. 29
An depreſſi cranii requiratur perforatio. pag. 30
Quomodo tam adultorum, quam infantum cranii depreſſionibus medendum. pag. 31
Utrum ſanguis, pus, ſanieſve per ipſa poſſit tranſudare oſſa? pag. 32
Non ſolum foras pus calvariam, ſed & multò facilius foris in interiora tranſire aptum eſt. pag. 33
Utrum, ſanie per cranii poros exſudante, neceſſaria ſit terebratio? pag. 34
An integro poſt gravem lapſum, ictumve cranio trepanum adhibendum? pag. 34
Num gravibus non ſine cerebri læſione capitis vulneribus ſemper adſit febris? pag. 40
An muti protinus fiant, quibus cerebrum concutitur? pag. 41

Num ad fracturæ cranii notitiam inter alia ſignum ſit, ſi nec dentes comprimere læſus, nec ferrum mordere queat? pag 43
Pulveris ſternutatorii abuſu maxima interdum oriuntur incommoda. pag 47
Abſceſſus non ſolum inter cranium, duramque matrem, ſed & inter utramque cerebri membranam, nec non in ſinibus duræ matris, ventriculiſque imò in ipſa cerebri oriri poſſunt ſubſtantia. pag. 51
Dantur vomicæ cerebri. pag. 52
In omnibus corporis humani partibus lapilli produci poſſunt. pag. 54
An, illæſo ethmoide oſſe, corpora quædam ſolida, lapilli ſcilicet, nec non vermes, aliaque viva animalia è capite per nares prodire ejicique poſſint? pag. 62
Vermeſne in cerebro generari queant? pag. 62
Unde magna illa, quæ poſt gravem ictum, caſumve ex aure effluit, lymphæ copia prodeat? pag. 70
Per quas vias infantibus ſanies ſæpe multa per menſes aliquot ad aures derivetur? pag. 73
Terror multa mala, eaque incurabilia, imo interdum & ſubitaneam adfert mortem. pag. 76
Quomodo motus convulſivus à convulſione differat? pag. 78
Tremor non eſt motus convulſivus. pag. 79
Obſtructis mulieri menſibus, ſanguis diverſis corporis partibus, imò per dentis alveum, e palpebris &c. ejici poteſt. pag. 85
Unde tumoris ranulæ denominatio? pag. 87
Qualis ſit ille tumor, qua in parte, quove ex humore naſcatur? pag. 88
Quis curationis modus? pag. 89
Peſſime agunt, qui infantibus, contenti ut ſint, aliquid durioris materiæ, quodque deglutiri queat, porrigunt. pag. 95
Num

Num occluſo gutture, clyſterum nutrientium beneficio corpus reficiatur? pag. 104
Miræ puris metaſtaſes pag. 110
Pus à læſis artubus in alvum fluens, pag. 111
Corporum duriorum deglutitorum, vel in corpus immiſſorum excretiones variæ, inauditæque. pag. 112
Inſanabilia quandoque è frigidæ cereviſiæ ſive aquæ hauſtu corporibus labore antea calentibus incommoda. pag. 113
Cur aſthmate laborantes ſeſe vix lecto continere queant? pag. 117
Num cavitas quædam naturaliter intra duplicaturam mediaſtini exiſtat? p. 120
Utrum tuto aperiatur trepano os ſternum ad puris, alteriuſve humoris intra duplicaturam mediaſtini contenti eductionem? pag. 121
Quibus hujus eo loci collectio dignoſcatur ſignis? pag. 121
Utrum totus thorax, illæſo pulmone, perforari queat? pag. 123
Unde è pectoris vulnere ſæpe partis alicujus, vel totius interdum corporis flatulentus proveniat tumor? pag. 124
Cur ſanguis è læſi pulmonis vaſis ſæpe omnis per os tuſſi abſque ullo ejus verſus diaphragma deſcenſu excernatur? p. 127
Utrum vomicam pulmonis ruptam ſubitanea mors, tabeſve neceſſario ſequatur? p. 130
Cur vomicâ laborantes ante ruptionem nullis fere ſymtomatibus, veluti febre, &c. laborent? p. 131
Vomica intra mediaſtinum reperta. p. 132
Utrum gravidæ, ac partu propinquæ, nec non febre acuta, pleuritide, anginâ, vel alio gravi morbo laboranti vena ſecanda ſit? p. 132. & ſeqq. item 278
Utrum empyicis à pulmone pus per alvum ductum letale ſit? p. 136
In-

Incerta eſt via, quâ pectus, & pulmo per alvum purgentur? p. 137
Neque ſatis cognita eſt, per quam pus, vel ſanguis è pectore, aut pulmone ad renes, veſicamve deſcendat. p. 141
Scriptoris ſententia. p. 143
Cordis adeo vehemens interdum eſt palpitatio, ut extra cubiculum audiatur, imo coſtæ tractu temporis ſupra os ſternum alte eleventnr, aut rumpantur? p. 146
Utrum palpitationi cordis medeatur venæ-ſectio? p. 147
Num ventriculi letalia ſint vulnera? p. 157
Unde fungorum nomen apud Batavos? p. 164
Cujus ſint naturæ? Ibid.
Dividuntur in bonos, & malos. p. 165
Boni duum ſunt generum. p. 166
Quomodo hi à malis diſcernantur? p. 168
Quomodo ſuccurrendum iis, qui vel fungorum bonorum nimiâ copiâ, vel pravis uſi fuere? p. 171
Peſſima ab uſu colocynthidis ſymptomata. p. 171. &c.
Pomi colocynthidis agendi tanta eſt vis, ut etiam exterius adhibitum, pinguibuſque miſtum purget. p. 174
Cur aliquis in Medecina illius pomi, cum adeo noceat, uſus ſit? p. 176
De noxia opii vi. p. 179
Cur gibboſis interdicatur opii uſu? Ibid.
Opium ſive per ſe, ſive aliis mixtum, & externe applicitum mortis cauſa eſſe poteſt. p. 180
Letalis eſt radicis Oenanthes uſus. p. 182
Quibus Oenanthe à cicuta differat? p. 189
Cicuta vi prædita eſt narcotica. p. 191
Ratione loci natalis venenum ejus majus, minuſve obſervatur. p. 193
Etiam hiſce in regionibus cicutæ ſomnum conciliandi vis

vis eſt. p. 194
Sicuti opium, ita & cicuta extrinſecus admota noxia eſt. p. 195
Unde bilis proveniat copia, qua cum ventriculi, tum inteſtinorum tunicæ ſæpe poſt mortem tinctæ reperiuntur? p. 205
An, quibus ſplen magnus eſt, gingiva ſit corrupta, atque os fæteat? p. 211
Lienis magnitudo non tantum reſpectu diverſitatis hujus, illiuſve corporis, verum & pro regionum, vivendique rationis varietate differt. p. 212
Quibus natura laxus, fungoſus, ſpongioſuſque lien, plerumque major eſt. Ibid.
Ad ejus molem multum etiam faciunt arteriæ, quæ illum intrat, venæque, quæ ex eodem exit, magnitudo. Ibid.
Interdum craſſâ, cartilagineaque digiti circiter craſſitiem æquante membranâ lien obtegitur. p. 214
Quibus urinæ tranſitus renis calculo, vel alia de cauſa per multos impeditur dies, licet calculum poſtea reddiderint, rariſſime integræ reſtituuntur valitudini. p. 218
Urinæ meatibus aliquamdiu obſtructis, venæ totius corporis, inſtar varicum mirum in modum, imò etiam ad pollicis interdum craſſitiem intumeſçunt. p. 219
Quotus dies ſuppreſſo lotio laboranti funeſtus? p. 220
Interdum ureter ob diſtenſionem à calculi, vel materiæ ſabuloſæ obſtructione diſrumpitur. p. 223
Ureter in calculoſis duos interdum admittere digitos, imò inteſtinis æqualis viſus eſt. Ibid.
Utrum Exomphalo peritonæi fiat ruptio, an vero dilatatio tantum? p. 225
Quibus ſignis diſtinguantur herniæ inguinales, buboneſque, tum venereæ, tum peſtilentes? p. 229
An alvi juvenibus humidæ, ſeneſcentibus exſiccentur, & contra? p. 234
Utrum

Utrum vera, ac completa, uti vocant, hernia mulieribus accidere poſſit? p. 243
Quomodo intelligendus Hippocratis aphoriſm. XXXI ſect. 5. p. 284
An in partu divellantur oſſa pubis? p. 289
An uterus omnino ad vitam ſit neceſſarius? p. 294
Perperam vaginæ ipſius uteri procidentia olim credita eſt. p. 293. &c.
Num vera totius uteri accidere poſſit procidentia? p. 298
Quænam hydatidum ſit cauſa? p. 305
Utrum viva animalia præter fœtum humanum à muliere producantur? p. 309
An è fœmina molæ abſque ope virili proveniant? p. 316
Num ſuperfœtationes dentur? p. 324
Anne gemelli in utero eâdem ſemper cingantur membranâ. p. 311
Quomodo intelligendus ſit Aphoriſm. Hippocrat. LX. Sect. 5. p. 333
An letalia ſint veſicæ vulnera. p. 347
Num orbatus didymis ad actum venereum plane ſit ineptus? p. 361
Cur, quod viros à caſtratione præ hæmorhagia nimiâ, non etiam bruta mortis maneat periculum? p. 362
Ubinam ortum habuerit calculus per ulcus prope inguen emiſſus? p. 378
Ureter nimia calculi diſtenſione diſrumpi poteſt. p. 380
Duplex eſt oſſis corruptio. p. 378
Utrum âliorum oſſium præter cranium fiat terebratio? p. 388
Anne oſſis femoris, tibiæve, aut ulnæ corrupti callus defectum ſupplere queat? p. 393
Cur rarius rumpatur patella? p. 394
Cur rotulâ fractâ plurimi claudicent? p. 395

Qua

Qua de cauſa tranſverſa rotulæ fractura oblonga curatu ſit difficilior ? p. 399
An feles, uti canes, abſque tranſmiſſione per tactum rabidæ fieri poſſint ? p. 401
An ſolus canis, ut Galenus ſentit, fiat rabidus ? ibid.
Vtrum bruta in rabiem acta fiant hydrophoba? p. 405
An canes rabidi ſemper horreant aquam ? p.406
Solane canis rabidi ſpuma inficiat ? ibid.
An rabie agitati canis halitus ſit contagioſus? p.408
Non lædit morſus, niſi cute denudata. p. 411
Vtrum rabidi homines, ut vulgus putat, impoſitis ſuffocandi ſint lectis ? p. 412
An in humanis etiam corporibus tales produci queant humores, qui ad rabidi canis venenum proxime accedant, hydrophobiamque excitent ? p. 413
An putredo hujus mali cauſa ? p. 415
An hydrophobi febricula laborent ? ibid.
Qua vi rabidorum agat venenum ? p. 416
An intemperies calida, & ſicca mali hujus vis ? ibid.
An hydrophobi curentur ? p. 418
An iidem diu ſupereſſe poſſint ? p. 420
Cur tanto ſæpe tempore in parte morſa rabidi canis virus lateat, antequam ſeſe exerat ? ibid.
Vtrum hoc cuivis rei adhærens vires diu integras conſervet ? p. 429
An, & cur nonnulli ſerius, citiuſque hoc veneno inficiantur ? p. 430
Quam ob cauſam tantopere aquas horreant læſi ? p. 431. 436
An ſemper depravata ſit hydrophobis phantaſia? 433
Cur quoſvis timeant liquores ? p. 434
Num aqua pota melius ſe habeant ægri? ibid.
An hiſce faucium tumor, aut inflammatio adſit? p. 436
Quomodo è læſa parte in corpus reliquum propagetur hoc virus ? p. 437
De hoc veneno, ejuſque effectu non magis probanda, quam

quam de Tarantulæ ictu, & veneno, nec non de Chorea S. Viti reperias. p. 440
Quænam ſint rabie agitati canis ſigna? p. 442
An canibus rabies a verme quodam in cerebro, vel ſub lingua exiſtente proveniat? ibid.
An verus vermis è catulorum educatur linguis? p. 444
An ex eſu, potuve ciborum, liquorumque putridorum canibus hoc quicquid eſt mali oriatur? ibid.
Quibus modis à cane, aliove animali rabido morſi tractandi? p. 445
Quomodo veneno ad interiora via præcludenda? 446
Utrum candenti ferro vulneri ſit ſuccurrendum? p. 447
An profundius ſit facienda aduſtio? p. 448
Num cucurbitulæ juvent ſcarificatæ? Ibidem.
Utrum alexipharmacis intus exhibitis malum oppugnandum? p. 450
Anne aliquid imponi poſſit parti, unde certo læſus rabidum dignoſcat virus? p. 453
Utrum proſit hydrophobis demerſio in aquas? Ibid.
An adjuvet venæſectio? p. 458
Aut purgatio? Ibid.
Utrum canis, qui momordit, pili appliciti juvent? Ibidem.
Num illius aſſatum jecur comeſum ſanet? p. 459
Utrum fidendum ſit medendi rationi, quæ fit Sacello Divi Bellini, vel Divi Donini Templo? p. 460
Utrum hodie verum, ac tale, qualis meminit S. Scriptura, detur Unicornu? p. 467
Quatuor animalium genera uno cornu prædita. Ibid.
An detur certum quoddam animal, quod per excellentiam Monoceros dicatur? p. 470
An verum ſit Unicornu, quod in Bohemia, Miſniaque, nec non Sylva Hercynia è terra eruitur? 471
An verum Unicornu Noachico perierit diluvio? 472
Quas S. S. Monoceroti attribuat qualitates. p. 473
Utrum dometur Monoceros? p. 474

Num


Num Rhinoceroti duo ſint cornua? p. 477
An Monoceroti equina, ut vulgo pingitur, ſit forma? p. 480
Utrum ejus natalis locus ſit in Africa? p. 482
Cur tam raro conſpiciatur Monoceros? p. 484
Teſtimonia eorum, qui Unicornu videre. p. 485
Cur tam diverſa ſit Scriptorum de Unicornu ſententia? p. 491
Cur Hippocrates, Galenuſque monocerotis non meminerint? p. 493
Quamobrem Romani hoc animal in Triumphis non circumduxerint, pugnaturumve in Amphitheatra induxerint? p. 497
Quidnam de cornibus dicendum, quæ in Europa à Regibus, Principibuſque tanquam Monocerotia aſſervantur? p. 498
Quibus hæc cornua dotentur viribus? p. 502
Utrum qualitates quæ S. S. animali Rem attribuit, Orygi conveniant? p. 508
Variorum de Oryge ſententiæ. ibid.
Vtrum per Vrum Monoceros intelligi queat? p. 514
Anne Onager verum ſit Vnicornu? ibid.

F I N I S.


ERRATA.

PAg. 1. lineâ 1. deſiunctæ lege diſiunctæ. p. 4. l. 16. Agineta leg. Ægineta. p. 16. l. 11. conſtitum leg. conſtitutum. pag. 20. l. 2. figurâ, leg. 2. & 3. Tab. 5. fol. 302. p. 48. l. 27. plegmatici. leg. phlegmatici. p. 50. l. 2. concavitate. leg. cavitate. p. 103. l. 5. ceſeberrimus. leg. celeberrimus. p. 114. l. 10. defeffæ l. defeſſæ. p. 121. l. 16. humot. leg. humor. pag. 173. lin. 18. amagydalatis. leg. amygdalatis. p. 179. l. 2. locutum. l. locutam. p. 180. l. 13. foptus. leg. ſopitus. p. 184. l. 22. vibæ l. vivæ. p. 200. l. 1. factum. leg. factam. p. 222. l. 17. repiri. l. reperi. pag. 223. l. 17. Hernia umbilicalis. l. Prominentia umbilici. p. ibid. l. 20. hernia, leg. exomphalus. pag. 224. lin. 17. herniam. leg. exomphalon pag. 232. lin. 10. la3. leg. Laz. pag. 240. l. 1. ho. leg, horam. p. 241. l. 15. obſervationem. l. obſervationis. p. 260. l. 13. Ingune. leg. inguen. pag. 270. lin. 2. glaudulis. leg. glandulis. p. 282. l. 17. tamem. leg. tamen. p. 293. l. 7. Item. leg. idem. p. 299. l. 8. Graeſ. leg. Graef. p. 302. l. 16. adjecta. l. adjectæ. pag. ibid. l. 17. Tabula, leg. Tabulæ. p. 315. l. 5. uſque. leg. iiſque. p. 332. l. 16. partes. leg. partus. pag. 347. lin. 6. perfectam. leg. perſectam. pag. ibid. l. 14. paritium. leg. partium. pag. 354. lin. 5. vehementiffimo. leg. vehementiſſimo. p. ibid. l. 24. malarum. leg. malorum. p. 380. l. 9. fito. leg. ſito. pag. 384. l. 23. homidica. leg. homicida. p. 408. l. 22. miſera. leg. miſeria. p. 409. l. 9. effet. leg. eſſet. p. eâdem. l. ult. Affimat. l. affirmat. p. 489. l. 5. coruu. leg. cornu. pag. 494. l. 23. maximum. leg. marinum. p. 508. l. 2. attribiut. leg. attribuit. p. 509. lin. 10. Sylvis, Damir, leg. ſylvis, inquit Damir. p. 510. l. ult. nutrie. leg. nutrire. p. 512. l. 27. domaſque. leg. damaſque. p. 515. l. 25. genere. leg. gerere.

Alia inſuper, nec non commata, quæ ſæpe loco non ſuo poſita, vel omiſſa agnoſco, qui par eſt, emendabit, reſtituetque lector: Impari ne quidem erraſſe Typographus videbitur. Quod ſemel dixiſſe ſufficiat.


CORNELIUS STALPART VANDERWIEL HAGIENSIS MEDICINÆ DOCTOR ANNO ÆTATIS SUÆ LXVII
En tibi Stalpartum, medicâ qui quicquid in arte
Rarius occurrit, ſedulus hîcce notat.
Ut noſcas totum, dabit hæc tibi pagina vultum
Sedula ſcripta notant interiora viri.


C. STALPARTII
OBSERVAT. RARIOR.
Medic. Chirurg. Anatomic.
Tomus Secundus.
AD Schoonebeek
inv et Sculp



C. STALPARTII VANDER WIEL
Medici Hagienſis

OBSERVATIONUM RARIORUM MEDIC. ANATOMIC. CHIRURGICARUM

CENTURIÆ POSTERIORIS
PARS PRIOR,

Auctior longe, atque emendatior.

ACCEDIT

P. STALPARTII VANDER WIEL,
CORN. FIL. M. D.

De

NUTRITIONE FOETUS EXERCITATIO.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud PETRUM vander AA, Bibliopolam,
CIƆ. IƆ. C. LXXXVII.

AD LECTOREM.

PRima hæc, amice Lector, Obſervationum alterius Centuriæ pars, ne nimiâ liber mole turgeret, ſeorſum prodit. Monuit me equidem, movitque ſæpius literis omnis humanitatis, animique quam maxime benevoli undequaque plenis Nobiliſſimus, ac Celeberrimus Vir *Joh: Ludovicus Hannemannus* Phyſices in Athenæo Chilonenſi Profeſſor, nec non S. R. Imperii Naturæ curioſorum collega dictus *Neſtor* II, ut, quam jam

pridem Tomo I. promiſeram, publico Centuriam darem, cunctantique mihi, ut vel hinc Viri deſiderium agnoſcas, non ita vulgarium ſuppeditavit rerum materiem, quas, niſi ejus mentione factâ, memorare religio fuit. Quod ſi qualiacunque hæc non nimium difficiles inveniant lectores, operam dabo, uti, quæ prioris libelli numerum adæquent, hiſce accedant, nec minus utilitate, quam mirandorum varietate eventuum certent.

INDEX OBSERVATIONUM PARTIS PRIORIS

Centur. Posterioris.

I. *Capitis vulnus non ſine ipſius Pericranii læſione.* pag. 1
II. *Prava ſymptomata, utut illæſo exteriùs capite, orta.* p. 11
III. *Grave capitis vulnus, illæſa tamen cute.* p. 18
IV. *Cranii vulnus ſupra oculum.* p. 29
V. *Auditus per biennium, & loquela per annos quatuordecim amiſſa ſubito reſtituta.* p. 35
VI. *Solita ſternutatio ante actum venereum.* p. 45
VII. *Vibriſſæ evulſæ mortis cauſa.* p. 50
VIII. *Mirandum oculi vulnus.* p. 62
IX. *Oculi procidentia.* p. 72
X. *Muſculorum oculi paralyſis.* p. 85
XI. *Aranea aure contenta.* p. 91
XII. *Spaſmus oris, cynicus perperam dictus.* p. 100
XIII. *Labii Pſeudo-cancer.* p. 104

XIV. *Hy-*

XIV. *Hydrocephalus.* p. 109
XV. *Diuturna admodum à cibo, potuque abſtinentia.* p. 134
XVI. *Per vomitum, & ſeceſſum ejecta piceâ nigredine tincta.* p. 185
XVII. *Menſtrua vomitu egeſta.* p. 196
XVIII. *Glans plumbea deglutita, ac per vias urinarias emiſſa.* p. 200
XIX. *Delirium, aliaque ſymptomata aſſumptionem ſanguinis menſtrui ſequentia.* p. 220
XX. *Fila pilæ in modum ipſo in ventriculo conglobata.* p. 235
XXI. *Maxilla paßeris (piſcis) deglutita.* p. 242
XXII. *Araneæ comeſæ.* p. 247
XXIII. *Nimius raparum eſus funeſtus.* p. 252
XXIV. *Glandula per alvum ejecta.* p. 259
XXV. *Inteſtini coli vulnus.* p. 264
XXVI. *Ventriculus exeſus.* p. 272
XXVII. *Oeſophagi Paralyſis.* p. 278
XXVIII. *Peritonæi Hydrops.* p. 283
XXIX. *Vermes ex utero prodeuntes.* p. 310
XXX. *Fœtus materno in corpore extra uterum repertus.* p. 315

XXXI. *Impraegnatio, nullis unquam praeviis menſtruis.* p. 323
XXXII. *Fœtus humanus abſque umbilico editus,* p. 327
XXXIII. *Infans cum Exomphalo, ſive minus vera umbilici hernia, natus.* p. 364
XXXIV. *Fœtus diffractis in utero lumbis editus.* p. 368
XXXV. *Squammeus, ac veluti Phocæ pelle contectus puer.* p. 374
XXXVI. *Nævi uterini.* p. 379
XXXVII. *Pili, & os in teſticulo puellæ reperta.* p. 388
XXXVIII. *Lac cum urina excretum.* p. 391
XXXIX. *Urethra prope ſcrotum aperta.* p. 402
XL. *Urethra calloſis obſtructa excreſcentiis.* p. 409
XLI. *Subita coëundi impotentia.* p. 416
XLII. *Infans intra tres hebdomadas variolis bis impetitus.* p. 424
XLIII. *Totius corporis cutis ſenſu, ac calore deſtituta.* p. 432
XLIV. *Exoſtoſis, ſive oſſis excreſcentia.* p. 435
XLV. *Diſciſſus, ac percuratus tendo.* p. 438

XLVI. *Vas lymphaticum vulneratum.* p. 452
XLVII. *Conchæ falſis gravidæ anſeribus.* p. 458
XLVIII. *Inſolitus cervicis galli gallinacei tumor.* p. 469
XLIX. *Ovum in ovo repertum.* p. 475
L. *Non datur Baſiliſcus infeſtior.* p. 480

C. STALPARTII VANDER WIEL
OBSERVATIONUM RARIORUM
CENT: POST: PARS PRIOR.

OBSERVATIO I.

Capitis vulnus non ſine ipſius Pericranii contuſione.

PRæclare equidem, ac prudenter Medicorum Princeps *Hippocrates Cous* initio tractatus *de capitis vulneribus*, *Nullum*, inquit, *capitis vulnus utcunque minimum, leve putandum eſt: Sæpe enim cutis ſola contuſa ferro, aut aliâ aliquâ re ſi non diligenter, & cum quâdam*

cautione curetur, veluti ſi ſanguis concretus non expurgetur, aut aliud quiddam negligatur, ulcus recrudeſcens non parum moleſtiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit, ac Medico quidem negotia, ægroto verò periculum non minus adfert.

Verba hæc Divini Senis me quidem circa prognoſin capitis vulnerum, ſed ſpeciatim hoc caſu (ſiquidem is, qui vulnus, de quo hic ſermo, inflixerat, carcere includebatur) cautum effecerunt, & circumſpectum.

Anno 1684 die 20 Januarii vir quidam robuſtior Hagæ ænei candelabri orbem inferiorem in Procuratoris cujuſdam caput multâ vi impegit (erat autem illud pileo, galericuloque è corio Hiſpanico munitum) prope futuræ ſagittalis, & coronalis unionem, ſed tamen paulo magis verſus ſiniſtrum latus, capitis cute ad pericranium uſque pertuſâ, ita ut vulnus medium adulti hominis magnitudine æquaret digitum, unde magnum ſanguinis profluvium.

Ipſe autem cum Chirurgo *Frederico Kempio* arceſſitus ipſum etiam Pericranium ictu non parum reperi contuſum.

Con-

Concluſimus itaque illud levi inciſione aperire. Quo facto, læſum ſolitâ methodo intra octo hebdomadas (non tamen abſque oſſiculorum quorundam ſeparatione) curavimus.

IN OBSERVATIONEM I.

LIcet hæc obſervatio non adeo ſit rara, ſæpiuſque in praxi occurrat, inconſultum tamen non exiſtimavi eandem hic loci exhibere, ſiquidem magna ſæpe circa talia vulnera contentio, & controverſia, ſcilicet propter prognoſin, & determinationem imminentis periculi vel majoris, vel minoris, vulnerante imprimis deprehenſo, exoritur.

Quæritur ergo, an quiſquam caput vulneratus, contuſo etiam pericranio, reſpectu iſtius vulneris extra omne mortis periculum ſit?

Experientia certe adductæ *Hippocratis* admonitionis, ratiociniique veritatem plus ſatis confirmavit. *Franciſcus Valleriola obſ. med. lib.* 3. *obſ.* 1. *fol. mihi* 183. vocatum ſe fuiſſe ait ad *Arduynum Ferrerium* 13 annos natum juvenem, leviter caput fuſte lignea, eaque prolonga, levi tamen, utpote ſalignea, ſed ſecundum alterum extremorum mucronata, & ab alto dejectâ, vulneratum; licet autem leve quidem initio hoc vulnus, quod ſcilicet ſine ulla calva-

riæ fractura, ſciſſurave conſtitiſſet, ſola tantum capitis cute vulneratâ, videretur, cum tamen poſt ſextum ab accepto vulnere diem acceſſeretur, læſum acriter febricitantem, biliosa vomentem, & caput graviſſimè dolentem invenit.

Quin etiam inflammatio in vulnere cum delirio, reſolutio in crure dextro, brachioque ſiniſtro, tum & convulſio in manibus apparere coëperunt, ac mors tandem ſubſecuta eſt. Diſſectâ poſt obitum vulneris inſpiciendi gratiâ, capitis cute, amotoque pericranio, viſum eſt, quâ parte telum impactum fuerat, os livens, contuſo utique à ligno pericranio, atque etiamnum cranio ipſo. Quum igitur, ita pergit *Valleriola*, de morte hujus vulnerati, ac undecimo poſt acceptum vulnus die mortui, ſententiam coram Magiſtratu ferre juberer: dixi ad juvenis vulnus, etſi eſſentiâ ſuâ è numero neceſſario letalium non fuerit, quum ſimplex eſſet, abſque cranii fracturâ, rimâ, ſciſſurave, quæ utplurimum ſalubria magis, quam letalia eſſe ſolent, nihiloſecius tamen mortem pueri eſſe referendam, accidentium, quæ vulneri ſupervenerant reſpectu: utpote quæ vulneribus capitis evenientia, illiſque copulata, utplurimum letalia eſſe ſoleant.

Illud etiam teſtati ſunt *Hippocrates*, & *Galenus lib. 5. aphoriſ. comm. 2. ejuſdemque lib. 6. comm.* 50, nec non *lib. 7. ejuſdem tractatus comm.* 14., ut *& Celſus lib. 5. cap.* 26.

Sic

Sic quoque ſcribit *Joh. Petrus Paſſerus cap.* 3. *de vulneribus Capitis* Bergomi Nobilem Cauſidicum D. *Nicol. de Curte Regia* ætatis annorum 28 in dorſum cadentem caput illiſiſſe in angulum clynopodii, cute in regione ſuturæ Lambdoïdis fractâ. Licet autem primis diebus nihil, quod metum inferre poſſet, ſupervenerit, ſeptimâ tamen die os ſtomachi dolore coëpit, octavâ febris læſum corripuit, nec remiſit; undecimâ rigores ſupervenere, decimâque ſeptima obiit, tametſi vulnus ad pericranium non pertigerit.

Tradit & ille ibidem, quomodo Clerico cuidam, filio fabri lignarii baculo percuſſo in regione ſagittalis ſuturæ cutis leviter fracta ſit, qui, cum ad decimum ſeptimum diem bene ſe habere viſus eſſet, febri mox superveniente, quam rigores, deinde & paralyſis partis oppoſitæ exceperunt, vigeſimo die objerit. Ablato cranio nullum in cerebro, membraniſve apoſtema, venæ autem craſſam meningem permeantes magis quam par eſſet, ſanguine turgidæ apparuere.

Ioh. Manardus epiſt. med. lib. 6. fol. 73. refert, quomodo capiti fabri cujuſdam ferrarii, *Aloviſii* nomine, inflicta fuerint duo vulnera duobus catenæ ferreæ annulis, alterum ſupra ſupercilium ſiniſtrum, alterum in eodem latere parum infra angulum ubi ſutura ſagittalis coronariæ conjungitur. Narrat autem octavo poſt vulnerationem die eryſipelas in facie, quod paulo poſt totum caput cum febre complexum ſit,

dieque duodecimo reſolutionem quandam dextræ manus cum diminutione loquelæ, & duodecimo demum mortem ſuperveniſſe. Hæc autem duo capitis vulnera, ſiquidem cutis tantum exigua pars præciſa fuerit, letalia per ſe non agnoviſſe ſe ait *Manardus*.

His ergo, ſimilibuſque evidens eſt capitis vulnus, etiamſi leve, mortis quandoque eſſe cauſam. Nec tamen adeo mirum videatur, ſiquidem contingere poteſt (quemadmodum etiam ſupra memoratis revera contigit) ut vulnera fiant ſupra ſuturas, vel in aliâ quadam cranii parte, per quam vas aliquod (ſive vena fuerit, ſive arteria, vel fibra denique, aut nervus) à meningibus originem habens tranſcurrit, unde ſubjectæ partes vulneris non omnino ſunt immunes, ita ut propter capitis excellentiam (etiamſi vulnus nonnunquam leve appareat, nullique fuerint vel à Chirurgo in curatione, vel à paciente in diæta commiſſi errores) mors nihilominus adveniat. Nonnunquam etiam poſt ictum, lapſumve, quoddam vas ſanguineum ſub cranio illæſo rumpitur, unde ſanguis extravaſatus putreſcit, & meningum producit inflammationes, quale exemplum habet *G. Fabrit. Hildanus cent.* 1. *obſ.* 21. *fol. mihi* 2.

Multi etiam, capite pugno cæſo, ſine ullo externo vulnere obiere, qualia exempla extant apud *Hippocratem de morb. vulg. lib.* 5. *cap.* 21. *v.* 6. &c. *Horat. Augenium Epiſt. & conſult. med.*

med. tom. 1. *lib.* 9. *epiſt.* 2. *Melch. Sebizium prodrom. exam. vulnerat. part.* 3. *theſi* 90. *Gothofr. Welſch. rational. vuln. letal. indicat. cap.* 14. *Joh. Rudolph. Camerar. memorabil. med. cent.* 10. *obſ.* 43. *Thom. Bartholinum actis med. anni* 1. *pag.* 68. *Helwigium obſ.* 21. *fol. mihi* 68. *Miſcell. med. Phyſ. curioſ. an.* 2. *pag.* 203. & *anni* 6. *pag.* 305. Apud *Anthon. Benivenium obſ. med. cap.* 10. *pag. mihi* 285. *G. Fabrit. Hildanum cent.* 5. *obſ.* 85. & *cent.* 6. *obſ.* 11. *fol. mihi* 507. *Henric. ab Heers obſ.* 12. *fol mihi* 120. & *apud Marcellum Donatum lib.* 2. *de med. hiſt. mirab. cap.* 6. *fol. mihi* 167.

Quapropter admonitum velim unumquemque Chirurgum, cui ejuſmodi capitis vulnera cum læſione, aut contuſione cranii forte occurrunt, ut in Medicinæ noſtræ honorem nullam certam, aut determinatam faciat prognoſin, ſed *Damaſceni* aureæ ſententiæ memor ſit: *Si interrogatus fueris, ſemper velociter reſpondeas: dubitandum eſt*; nam veluti magna, & gravia capitis vulnera (teſte *Galen. lib.* 5. *aph. comm.* 2, nec non uſu quotidiano) non ſemper ſequitur mors, ſic & levia ſæpenumero mortis cauſæ ſunt.

Capiti vulnera leviter inflicta, ſegniter tractata, letalia poſſe evadere, præter exempla apud *Valleriolam lib.* 3. *obſ.* 1. *G: Fabrit: Hild: centur:* 1. *obſ.* 21. *H: Fabrit: ab Aquapend. lib.* 2. *Chirurg. cap.* 15. nec non *P: Zacch: quæſt: med. Leg: lib:* 5.

 tit.

tit. 2. *quæſt.* 9. § 2. E contra graviſſima capitis vulnera, imò cum ipſa cerebri ſubſtantiæ deperditione à prudenti Chirurgo curata fuiſſe, accedente ægri natura bene diſpoſita, & obedientia, pluribus conſtat exemplis, qualia præter *Schenckium* recenſent cerebri ſubſtantiam ſine morte ſubſequente deperditam *Borellus cap.* 1. *obſ.* 88. *Fabrit. Hild. cent.* 1. *obſ.* 13. *cent.* 4. *obſ.* 1, 2, 3. *centur.* 5. *obſ.* 44. *Pet: Ioh: Lotichius lib*: 6 *obſ*: *cap*: 8 *obſ.* 2. *Fallop. de cur: vuln: cap*: 45. *Andr. à Cruce lib*: 1 *Chirurg. tr*: 2 *cap*: 14 *Ambroſ. Paræus lib*: 4 *cap*: 22 & *lib.* 24 *cap*: 19. *Cabrolius obſ*: 16. 22. 34. aliique quamplurimi.

Rationes verò, propter quas contuſio, & vulnus pericranii ſuſpicionem aliquam Medico poſſet movere, hæ ſunt, quod videlicet membrana illa, reſpectu nervorum, cum cerebro habeat communionem; ſic etiam in contuſione, niſi tempeſtive ſatis caro incidatur, putrefactio, & gangræna, tractuque porrò temporis ſubjecti cranii caries oriri poſſunt; Vel etiam humor ille in contuſâ membranâ circulum debitum abſolvere nequiens efficiet, ut totum intumeſcat caput, quemadmodum ſimilia utriuſque generis exempla ſæpe mihi in Praxi occurrerunt; Sic quoque *Scultetus Armament. Chir. obſ.* 16. *fol. mihi* 213. de puello ſeptem annos nato refert, qui caſu ecchymoſin in dextra ſyncipitis parte prope ſuturam coronalem, & ſagittalem contraxerat, cui ſuccedebat primo capitis dolor, dein-

deinde & convulſiones totius, quæ circa novilunium augebantur. Cum tandem tumor capitis indies major fieret, tertio à vulnere menſe per ſcalpellum cruciformis facta eſt uſque ad cranium ſectio, repertumque fuit id ſubnigrum, & aſperum, certiſſimo indicio iſthæc ſymptomata ægro à materiâ acri, erodente, ac vellicante excitata fuiſſe. Ejuſmodi à perioſtii contuſionibus produci poſſe ſymptomata exemplo etiam indicat *Roonhuſius fol.* 39.

Dignoſci inſuper vix poteſt, ſitne ſub contuſo pericranio ipſum etiam cranium læſum, vel etiam, anne per ictum, lapſumve, oſſis quædam particula ſoluta irregularibus ſuis angulis pungat, ſicque immenſi doloris, adeoque & inflammationis cauſa ſit. Contingere enim poteſt, ut, quando vulnus (veluti noſtro caſu accidit) prope ſuturam quandam factum eſt, portio quædam acris materiæ in parte contuſâ latentis facile per ſuturam penetret introrſum, unde meninge affectâ, nervorum convulſio, delirium, apoplexia, tandemque ipſa ſequatur mors. Vulnus ergo Pericranii, quod per contuſionem, vel colliſum oritur, gravius eſt, quam quod fit per inciſionem, nec non periculoſius, ſi proxime quandam cranii ſuturam fuerit inflictum. Hîc loci autem quæſtio oritur circa capitis vulnerum prognoſin: num ſcilicet caput vulneratis poſt diem quadrageſimum, reſpectu iſtius vulneris nihil timendum ſit?

Iſtam prognoſin non adeo eſſe certam probat *P. de Marchettis obſ.* 15. *fol.* 38, *&c.* ubi multoties ſe vidiſſe refert nonnullos poſt tertium etiam deceſſiſſe menſem.

Marcellus Donatus libr. 5. *de Med. hiſt. mir. cap.* 4. *fol. mihi* 561. mirandum ſane, ait, Juriſtas tranſacto 46 die in capitis vulnere nullum amplius ſubeſſe periculum ſtatuiſſe, ſique poſt dictum tempus mori contigerit ægrotantem, id nequaquam in vulnus rejiciendum eſſe decreviſſe; Cum tamen celebres admodum viri, quales *Rogerius*, *Jacobus de Carpo*, aliique, teſtentur caput vulneratos ad centeſimum uſque diem periculo non eſſe exemptos, affertque idem *Marcellus Donatus* exemplum quoddam contuſionis capitis, à quâ patiens tandem poſt centeſimum vigeſimum nonum diem vivere deſierit. *Scultetus* etiam *Armament. obſ.* 7 *fol. mihi* 204 facit mentionem cujuſdam, qui, colliſo capite, centeſimo demum obierit die.

Paulus Zacchias libr. 5. *quæſt. med. legal. tit.* 2. *quæſt.* 9. *fol. mihi* 391. hac de re, licet, ait, ſecundum communem opinionem poſt 40. dies non dicatur quis ex vulnere quopiam mori, ea tamen in vulneribus capitis locum non habet, quia etiam poſt centeſimum, & ultra, hæc periculum afferunt, ratio ejus multiplex eſſe poteſt, &c.

Illa ergo fuit ratio, cur ego, & modo adductus Chirurgus *Fred. Kempius* certò aſſevera-

re

re non potuerimus læſum intra duorum menſium ſpatium mortis periculo omnino fuiſſe liberum. Noſtra autem ſententia (cum, quantum ad dimittendum reum controverſia quædam suboriretur, ideoque libello ſupplice à Brabantiæ Concilio impetraretur, uti rerum periti auctoritate publicâ, quicquid hoc eſſet litigii, dirimerent) poſtea fuit approbata à Medicis expertiſſ: *Petro van Wouw*, ac *Leonardo Comenick*, nec non Chirurgo *Bekeſteyn*, quos Senatores, ut inquirerent, elegerant.

OBSERVATIO II.

Prava Symptomata, utut illæſo exterius capite, orta.

TOmi primi obſerv. 7. exemplum dedi capitis vulneris, è quo, non adhibito trepano, extravaſata materia per modum tranſudationis decimo quarto, & ſequentibus diebus, feliciter fuerit egeſta. Hîc loci autem mentionem faciam capitis graviter icti, at alio plane modo percurati.

Claudii D'Ombaal hîc Hagæ habitantis caput menſe Junio Anni 1668. ligno quodâm bis fuit ictum, primo quidem oc-

MEDICAL SOCIETY ... ESTABLISHED 1773

occipite, deinde & latere pulſato, unde ſubito humi procubuit. Domum autem portatus, cum dimidiam circiter horam abſque ſenſu, motuque jacuiſſet, ſenſim quodammodo ad ſe rediit; quapropter venam ipſi aperuit *Cornelius Bekeſteyn* Chirurgus Hagienſis, piloſque omnes abraſit, ac deinde, ſiquidem parvam duntaxat contuſionem, nullamque continui ſolutionem in cute, multò minus fiſſuram quandam cranii adverteret, caput primò inunxit oleo roſarum, mox & defenſivum quoddam applicuit. Hæc autem continua illico inſecuta eſt febris, at ipſe quarto die cum dicto Chirurgo advocatus nervorum convulſionibus eum laborare, portionemque aliquam coagulati ſanguinis è naribus excerni animadverti, quæ excretio ſeptimo die iterata eſt. Tum vero imminui febris, ac poſt tertiam hujuſmodi coagulati ſanguinis excretionem ægrum omnino relinquere. Interim ſequentem adhibui fotum:

℞. Rad. Fœniculi
Petroſ. ãã ℥ ij.
Herb. Betonicæ
Rutæ ãã m. j.
Flor. Chamæm.
Meliloti
Sambuci ãã m. j. ß.
Lavend. pug. ij.
Sem. Cum. ʒ iij.
Bacc. Lauri ʒ ij.
Cop. in aq. comm. ſub finem coctionis addendo vini rubr. ℔ j. ß.
Fiat fomentum.

Hocce fomento humectabantur ſegmenta quædam lanea, quibus caput per dies aliquot continuos fovebatur, eique tandem impoſitum eſt Emplaſt. de Betonica cum Cerat. de Cumin. aa. p. æq. invicem commixtis, ſicque ille intra 14. dies priſtinæ ſanitati fuit reſtitutus.

IN OBSERVATIONEM II.

EX hoc, &, quod ſequetur, exemplo, diſcimus in omnibus capitis contuſionibus, quas ſymptomata comitantur, non continuo ad cutis apertionem, craniive terebrationem eſſe recurrendum, ſiquidem id nec tutum ſit, nec ratio-ni

ni conveniens. Sæpe enim ſanantur quædam capitis contuſiones abſque ullâ inciſione, trepanove, quibus nullum quidem adeſt cutis vulnus, ſed læſio quædam partium capitis interiorum.

Ita meminit *P. M. Roſſius fol.* 120. infantis cujuſdam quinque annorum, cui dextra cranii pars multum erat contuſa, ab initio videlicet muſculi temporalis dextri uſque ad os bregmatis. In ipſo, inquit, oſſe capitis manifeſta depreſſio, ſimulque cutis ingens tumor erat, ſub quo effuſi è vaſis ſanguinis digitis dignoſci poterat undatio, ambiebatque hic tumor totum muſculum temporalem ad oculum uſque, quamquam dicta undatio eo uſque non pergeret: hanc contuſionem iſthæc comitabantur ſymptomata. Puer inſtar mortui abſque ſenſu, motuque, apertiſque, ac contortis jacuit oculis, eoque in ſtatu tres horas permanſit, cum interim è dextra aure, ac naribus ſanguis efflueret; in parte oppoſitâ oris diſtorſio animadverſa, totoque in latere ſiniſtro motus diminutus apparebat, atque hoc modo uſque ad decimum quartum diem miſellus decubuit, primis duobus diebus nec cibum, nec potum retinens, ſed aſſumta rejiciens.

Ex quibus evidenter conſtat interiores capitis partes fuiſſe læſas. Nihilominus tamen infans ſine ullâ capitis inciſione, aut trepano per idonea externa (generalibus tamen internis non omiſſis) ſanatus eſt.

Ani-

Animadvertendum itaque eſt, ſi cui caput contuſum ſit abſque ullo cutis vulnere, & mox poſt lapſum, ictumve varia mala appareant ſymptomata, v. g. bilioſus vomitus, amiſſio loquelæ, ſanguinis per nares, & aures ejectio, ſenſus, motuſque privatio, ac denique febris, non continuo oportere Chirurgum cutim incidere, craniumve terebrare; caput autem ei dextrè pertentandum, inquirendumque, anne alicubi cranii quædam depreſſio, vel fractura ſit; quâ non inventâ, ubi, quæſo, inſtituet inciſionem? Si enim reſpicere velit capitis tumorem, hujuſque aliquam mollitiem (ubi aliàs juxta *Celſum libr.* 8. *cap.*4. in dubio fracturæ cranii caſu inciſionem facere licitum eſt) nonnunquam totum cranium cute denudandum eſſet, ſiquidem id undique ſæpe ſit tumidum, & molle.

Neceſſum igitur eſt ante omnia perſpicere, num ſimilia poſt lapſum, ictumve cuiquam ſupervenire poſſint ſymptomata abſque ipſius cranii læſione; quod ſi queant, anne porro tali caſu curatio abſque terebratione fieri poſſit, videndum. Hujuſmodi autem accidentia abſque cranii fracturâ provenire poſſe evidenter, opinor, ex jam dictis liquet. Obveniunt autem ea, quando cerebrum per gravem aliquem lapſum concutitur, teſtibus *Hippocrate ſect.* 6. *Aphor.* 58. & *Galeno in eundem Aphor. Celſus* quoque dicit, aliquando, ſed rarius, contingere, ut oſſe capitis integro, intus per ictum, lapſumve arteria quædam in menin-

meninge rumpatur, ſicque ſanguis ejiciatur.

An vero quiſquam iſtis accidentibus obrutus ſine cranii perterebratione poſſit curari, dignoſcetur ex iis, quæ vulgo circa oſſis apertionem ſolent proponi, nempe, ſi aliquid præter naturaliter intra cranium contineatur, quod exitum quærit; alias enim nihil commodi à trepano.

Quicquid ergo illo infantis exemplo ſub cranio contra naturam latuit, vel magna fuit coagulati ſanguinis quantitas, vel oſſis quoddam fruſtulum meningibus infixum, vel etiam os adeo depreſſum, ut membranas, cavitateſque cerebri notabiliter preſſerit; quorum omnium ſymptomatum primum tantum fuit animadverſum. Siquidem ergo ſanguis ſponte per aures, & nares effluxerit, perterebratio fuiſſet inutilis. Sed dubitare quiſquam potuiſſet, num etiam quædam intus permanſiſſet portio, quæ ibidem ſtagnando mala quædam productura fuiſſet ſymptomata? Veroſimile eſt ſanguinem extravaſatum, & incraſſatum, tam febre ſuperveniente, quam dictorum calefacientium, & attenuantium uſu, rurſus ita fuiſſe attenuatum, fluidumque factum, ut tam per aures, quam nares potuerit exonerari. Licet autem fortè quicquam remanſiſſet (quo caſu Celſus perterebrationem admittit) attamen Chirurgus præſcire nequit, ubinam apertio ſit inſtituenda; locus enim extravaſatum ſanguinem continens liquido diſcerni nequit, quemadmodum *ſcholio in obſervat. 7. tom. primi fol.*

fol. 26. nec non *obſervat*. 8. oſtendi; ubi ſyncipite lapſu læſo, tamen non niſi poſt trepanum demum vigeſimum ſeptimum ſanguis extravaſatus in occipite apparuit. Satius ergo eſt ejuſmodi caſu ſubjectum os non aperire, ſed inſtitutâ venæ ſectione, in id incumbere, ut per idonea remedia externa curatio promoveatur, quod etiam probat *Galen. l. 2. de comp. med.* ſec loc. ubi dicit: *Optimum itaque fuerit in his, niſi ætas prohibeat, vireſque ſint nimis debiles, à venæ-ſectione curationis initium facere: & convenientibus capitis irrigationibus uti, &c.*

Sic *Vidus Vidius libr.* 6. *cap.* 3. experientiâ non ſemel conſtitiſſe ait eos facilius percurari, ſervarique, quorum capitibus non terebratio, ſed externa adhibita fuiſſent medicamina, quam quibus cutis diviſa, exituſque ſaniei membranæ nocenti conceſſus fuiſſet. Nec deeſt ratio, cute enim integrâ manente, ab aëre externo non alteratur plaga, eòque citius ad concoctionem perducitur è vaſis effuſus humor, ac diviſa oſſis fruſta ſibi invicem melius reuniuntur.

De notabilibus cranii depreſſionibus infantum, maliſque inde ſecutis ſymptomatibus, quæ nullo tamen vitio ſuperſtite, fomentis tantum ad curationem perducta ſint, vide *Lyſerum pag.* 279. nec non *P. de Marchettis pag.* 18. *River. obſ. p.* 355. *Sculteti armament. Chirurg. p.* 109. *Smetium pag.* 563. Ejus etiam exemplum dedimus *Centur. noſtr.* 1. *obſ.* 6. *fol.* 27.

Gabriel Fallopius libr. de vuln. cap. fol. mihi

584. *quando*, ait, *os fractum eſt, integrâ adhuc cuti non ſtatim inſtituenda eſt ſectio, quia ea fruſtra eſt: poßumus enim diſcutere, & digerere materiam, quod non poſſumus facere oſſe detecto: nam quando generatur ſanies, & fit oſſis refrigeratio, non poteſt fieri bona digeſtio. Jacob. Guillemæus lib. 1. de vuln. capitis. fol.* 605. Apertura cranii, inquit, quovis oſſe fiſſo, non requiritur neceſſariò. Idem affirmant *Schenckius obſ. med. lib. 1. fol.* 19. Nec non *Scultet. Armament. Chirurg. fol.* 103. & 240.

OBSERVATIO III.

Grave capitis vulnus, illæſâ tamen cute.

QUemadmodum præcedente obſervatione de capitis vulnere abſque cutis apertione, non autem ſine malis ſymptomatibus, actum, nec non ſcholio dictum eſt de aliis gravibus caſibus, quorum ultimo depreſſio cranii, cute illæſâ, animadverſa fuit, ubi tamen omnia ſymptomata circa periculoſum capitis vulnus obſervari ſolita ſine trepano fuere percurata; ita etiam hic mentio fiet contuſi capitis abſque externâ cutis læſione, non tantum depreſſo, ſed

ſed & fracto cranio, cui admotum fuit trepanum.

In caput cujuſdam Juvenis 20. annorum corporis robuſti, & ſani, cum aliquando arenam in novum quoddam ædificium apportaret, infortunio trabs quædam ex alto lapſa alterâ parte (alterâ namque in terram ruebat) ita incidit, ut mortuo ſimilis illicò prolaberetur in terram: quare in auxilium vocati *Carolus*, ejuſque filius *Joh. Teurier* (apud quem Chirurgiam tunc temporis diſcebat *Cornel. Solingius*, nunc temporis Medicus, & Chirurgus Hagienſis) continuo venam illi ſecuere. Cranium namque, quamvis capitis illæſâ cute, valde depreſſum dextro in latere ſolutionem continui paſſa erat. Circa ſuturam coronalem non contuſæ tantum partis, ſed & palpebrarum reperiebatur tumor: advertebatur etiam capitis vertîgo, ſopor, delirium, cæcitas, amiſſio loquelæ, bilis, ſanguiniſque vomitus, nariumque hæmorrhagia, quæ ſymptomata omnia læſas eſſe internas capitis partes ſatis clamabant. Præter cranii depreſſionem conſpiciebatur quoque fiſſura, quoniam

autem non ita magna erat depreſſio, ut ſubjectam premeret meningem, nulla adhibita fuere inſtrumenta elevatoria, ſed tertio die applicitum fuit trepanum circa infimam fiſſi oſſis partem, unde magna ſanguinis extravaſati portio illico per aperturam, non ſine magno ægri levamine, fuit exonerata: cumque ille per aliquot dies alvum non dejeciſſet, lene aliquod præſcribebatur purgans, quo ſimul cum fæcibus multum coagulati ſanguinis ejectum eſt. Ab illo dein tempore pleraque valde imminuebantur ſymptomata, læſuſque ſenſim (quamvis non ſine ingenii quadam læſione) priſtinæ fuit reſtitutus valetudini.

IN OBSERVATIONEM III.

SUper illo, de quo obſervamus, perpendendum, & inquirendum occurrit, unde contigerit, ut cum bile ſimul & ſanguinem evomuerit, nec non, unde factum fuerit, ut coagulatum etiam quotidiè poſteà per alvum excreverit? Illud autem haud dubiè contigit, quod ſanguis in naſo aliquatenus incraſſatus, ac coagulatus, commodo exitu non invento, per foramen naribus cum palato commune in ipſum delapſus eſſet ventricu-

triculum, & hinc in inteſtina. Longè autem aliter ſeſe res habuit in illo, cujus meminit *Roonhuſius obſ. part.* 2 *fol.* 192. quique, graviter in glaciem impacto occipite, lapſus motu, ſenſuque pene carens jacuit, quem caſum multa, ac prava admodnm ſequebantur accidentia, ſed tamen nulla advertebatur narium, vel aurium Hæmorrhagia: refertque porro *Roonhuſius* de eodem, quomodo, ſumpto poſtridie ſyrupo quodam purgante, ſeptimo demum die de vehementi circa aures dolore, lacrymiſque vel invito profluentibus, ut & olfactus amiſſione conqueri cœperit, nec non octavo auditum amiſerit die, undecimo autem intolerabilem ſenſerit in collo dolorem, tandemque duodecimo ſanguinem coagulatum per alvum dejecerit, unde aurium dolore imminuto, ceſſantibuſque lacrymationibus æger auditum recuperarit. Quoniam is itaque nullum initio ejecerat per nares, vel os, aureſve ſanguinem, non inutiliter fortean videbimus, undenam tandem ſanguis ille per alvum dejectus provenerit?

Non equidem veroſimile eſt, modo ſupradicto ex capite per foramen naribus cum palato commune in ventriculum, & indè porro in inteſtina deſcendiſſe ſanguinem, quod nulla hujuſmodi deſcenſus apparuerint ſigna; & licet ſupponamus inſenſibiliter id contigiſſe, dictu tamen difficile eſt, cur non initio ſtatim poſt aſſumptum purgans coagulatum ſanguinem, qui duo-

 deci-

decimo demum prodiit die, ejecerit; niſi quis ſtatuat illum tam diu cellulis, rugiſque inteſtini coli inhæſiſſe, poſteàque per fermentationem, putrefactionemve ſolutum fuiſſe. Hoc autem rationi non eſt conſonum; eo enim caſu febris, permanente putrefactione, fuiſſet aucta, cum tamen contra ſcriptor dicat ægrum decimo die, febri imminutâ, melius ſeſe habuiſſe. Quare exiſtimaverim, quicquid hoc fuerit coagulati cruoris non ex capite prodiiſſe, ac per œſophagum in ventriculum deſcendiſſe, ſed totam ſanguinis maſſam particulis quibuſdam acribus, circulationis lege à vulnere abreptis inquinatam fuiſſe, undè venæ quædam ſubtiles meſaraicæ fuerint apertæ, quæ per conſequens ſanguinis nonnihil in inteſtina evomuerint.

Mirabundus equidem quandoque legi, olimque phænomenon illud mihi ipſi dilucidare non potui, quî fieri poſſet, ut abſceſſus in hepate à capitis vulneribus oriretur; quales caſus tamen *Paræus lib.* 10. *cap.* 12. *& lib.* 16. *cap.* 49, *Ballonius lib. de convulſ. fol.* 50. nec non *Pigræus lib.* 4. *cap.* 8. *fol. mihi* 364. *& cap.* 9. *fol.* 377. aliique de abſceſſibus à levioribus etiam capitis vulneribus ortis, at letalibus tamen, quamvis deficientibus gravioribus ſymptomatibus, præcipuè ſuperveniente die tertio febri, annotarunt. Quamquam ſcribat *Joh. Virſungus* ſe ex apertione multorum cadaverum didiciſſe ejuſmodi abſceſſus poſt funeſta imprimis muſculi temporalis vulnera proveniſſe. *Petr.*

Petr. de Marchettis obſ. med. chirurg. 15. *fol. mihi* 35. ſæpius ſe obſervaſſe ſcribit, quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte potiſſimum poſtica, & laterali, materiam purulentam delabi ad thoracis, & abdominis cavitatem, quæ longiori morâ cum pulmonum, tum pleuræ aliquas partes erodit, è quibus multa ſanies emanat, quæ poſtmodum ad abdomen defluit cum jecoris, & pulmonis labe, in quibus varias puſtulas excitat, quibus diſruptis, perinde ac ex pulmonibus, & pleurâ, ita & ex his materia purulenta effluit.

Paulus Marquardus Slegelius, referente *H. Velſchio obſ. med. epiſagm.* 56. *fol. mihi* 34 animadvertit omnes, quibus capitis vulnus letale fuiſſet, ante obitum conqueſtos fuiſſe de hepatis, vel lienis dolore, dicitque ſe in ipſorum cadaveribus abſceſſum ſemper reperiſſe hepatis, quem ex metaſtaſi puris ortum fuiſſe putat, quia vulnus eo tempore fuerat valde aridum, & ſiccum; quo phænomeno apparente, mortem haud dubiam prædicat.

Anthon. Stadlender Chirurgus civitatis Thorunenſis in Boruſſia, ut tradit *Phil. Jac. Sachs miſcell. med. Phyſ. curioſ. decur.* 1. *an.* 2. *obſ.* 119. *fol.* 197. ſe ter ad minimum Apoſtemata in hepate inveniſſe apud illos ait, quibus caput inſigniter fuerat vulneratum, refertque ibidem de alio, cui frontis oſſi ſupra oculum ſiniſtrum grave vulnus cum cranii fractura inflictum erat,

ut ipſa cerebri ſubſtantia egrederetur; aperto autem illius, cum decimo quarto die obiiſſet, capite, non ſolum fractura in cranio reperta, ſed & fiſſura in dura matre. Dum autem abdomen fuit inciſum, in hepate Apoſtema inſigne maximi fætoris ſe inveniſſe dicit, cum, quod notatu dignum, octiduum ante hujus ægri obitum ex vulneribus nullum pus amplius egreſſum eſſet, ſed plane evanuiſſet.

Jobus Mekeranus cap.2. obſ. Med. Chirurg. fol. 28. meminit cujuſdam *Othonis Regneri filii Oldenburgenſis*, cujus capiti 12 Junij non unum inflictum erat vulnus, præcipuum autem in occipite ad ſuturam Lambdoideam conſpiciebatur, fracturâ cranii, quæ ἐσφλασις *Hippocrati* vocatur, ubi nempe fragmentum ſe dimittit ad inferiora, ſic ut ſub oſſe integro abſcondatur, ſtipatum. Ad diem uſque vigeſimum læſus febri, convulſione, paralyſi, ſopore, vigiliis, vomitu, omnibuſque ſymptomatibus, quæ fracturis cranii ſupervenire ſolent, liber fuit. At paucis ante obitum diebus de gravi circa hepatis, ventriculique regionem dolore conqueſtus fuit. Diminuebatur interea pus quod ſatis copioſè antea è vulnere profluxerat: hujus autem labiorum, fundique inſignis animadvertebatur ſiccitas, unde non ſine delirio febris ingraveſcens vigeſimo octavo ejuſdem menſis die vitæ ejus filum abrupit. Ventre (cujus dolor tempore decubitus valde fuerat moleſtus) aperto, hepar tumidum admodum, abſceſ-

abſceſſuque notabili correptum reperiebatur. Ex eo enim aperto tantum effluxit puris, quantum cotyla caperet.

De hujuſmodi abſceſſibus paucis etiam monuinus *Schol: obſ. 7. centur. noſtræ* 1. *fol.* 36

Variè admodum multi hanc rem conſiderarunt, quod opinati fuerint nonnulli abſceſſus poſt caput vulneratum in hepate repertos ibidem caſu, morbique cujuſdam vitio, non autem à capitis vulneribus ortos, multò minus his ipſis extinctos fuiſſe ægros: neque enim credebant puris multum è capite ad inferiora deferri poſſe viſcera. Cum tamen celeberrimum *Petrum de Marchettis* docuerit experientia mediam ſæpius pectoris, abdominiſque cavitatem eo fuiſſe refertam.

Petrus Pigræus loco ſupra adſcripto abſceſſum hepatis ex ſympathiâ, quam habet cum cerebro, ratione ſexti, ſive vagi nervorum paris naſci ſtatuit. Illud autem nequaquam locum habet in hepate, ſiquidem ibi nulli, aut oppido pauci, ac per tunicas tantum, minime vero per ſubſtantiam jecinoris diſperſi reperiantur nervi, ut *Veſalius* etiam annotat; quapropter etiam dolor in eo non acutus, ſed gravativus exiſtit; licet ſe expertum *Riolanus* referat duos nervulos juxta longitudinem venæ portæ diſcurrere intra hepar. Quamvis autem harum partium quædam communio per dictum nervulum exiſteret concipere tamen vix poſſum, quo pacto pus il-

lud juxta nervi ejuſdem ductum trajiceretur in hepar.

Paulus Barbettius idem numero, ac ſpecie pus à cerebro minimè ad hepar deferri autumat, ſed cerebrum, ſive vulneratis tantum meningibus, ſive ipsâ etiam ſubſtantia, ex læſis arteriis modo uberius, modo parcius emittere ſanguinem, qui calore, ſpiritibuſque orbus neceſſariò tandem putreſcat, & in pus convertatur. Sanguinem quoque nutritium circa vulnus contaminari, nec ſine labe adductum ipſum etiam inficere hepar ſtatuit.

Verum *Barbettius* loqui ibidem videtur de ſimplici prætereunte, ſpirituoſoque contagio, quod ex vulneris pure tranſiret ad ſanguinem, cum tamen *Paræus* ipſum pus ſub ratione puris cum ſanguine miſceri, & transferri ſtatuat, quod & magis eſt veroſimile, ſiquidem id vel hinc poſſit animadverti, quod in ita vulneratis, abſceſſuque hepatis laborantibus, inſtante morte, (uti modo dictum) vulnus multò aridius, minorque puris quantitas reperiatur: unde inferre liceat illud, poſtquam viam in arterias ſibi ſenſim efformavit, ad hepar deferri: vulneris autem illa exſiccatio minime contingeret, ſi ſpirituoſum ſaltem contagium puris tranſiret ad ſanguinem: ſequeretur etiam inde ex omnibus vulneratis, & putrefactis partibus ſemper exorituros abſceſſus in hepate, cum enim ſanguis perfluat omnes circa vulnera, & abſceſſus partes, coge-

cogeretur ſemper tenuiores puris partes ſecum abripere, ut iiſdem inficeretur.

Quapropter cum *Pareo* exiſtimaverim (utut ille tum temporis circulationem ſanguinis neſcierit) abſceſſus iſtos per metaſtaſin, ſive demigrationem fieri, humoremque purulentum in ita læſis ex capite, ad ipſum corporis centrum reverti. Neque etiam minus eſt probabile ſanguinem circulum ſuum circa vulnus efficientem portionem quandam ibi ſtagnantis puris, dum revertitur, ſecum ex partibus vicinis abripere, unde iſtius ſanguinis partes aliam nactæ figuram, primòque verſus cor delatæ, & deinde per univerſum ſanguinem diſperſæ, ac poſtea hepar tranſituræ glandularum poris viam negantibus, in quibuſdam hepatis locis ſtagnant, vel forſan à bile ibidem præcipitantur, quibus ſenſim major conſimilis materiæ portio additur, imo & illud, quod antea ſecerni ſolebat in vulnere capitis, jam in hepate deponitur, ut neceſſario vulnus exſiccetur. Adde depoſitam in hepate hanc materiam fermenti induere naturam, quod plures alias ſanguinis particulas ſenſim in ſimile commutat pus, ſicque malo accreſcente, pus illud non poteſt non contaminationis totius ſanguinis, & per conſequens etiam mortis cauſa exiſtere. Nèc tamen hujuſmodi materiæ purulentæ tranſlocationem valde miremur, quoniam in aliis quoque abunde pateſcit vitiis. Quâ de re vide ſis *obſ.* 26, 34, 35.

Tomi

Tomi noſtri primi, nec non *Paræum lib.* 10. *cap.* 12, & *lib.* 16. *cap.* 49, *Ballonium lib. de convulſionibus fol.* 4. & 51, ut & *Tulpium obſ. med. lib.* 2. *cap.* 6. & 27.

Galenus lib. 6. *de loc. aff. cap.* 4 ſcribit pus, quamquam ſanguini non mixtum, ex univerſo corpore per venas, & arterias ad renes, & veſicam unà cum urinâ, vel etiam ad hepar fluere, indeque in inteſtina ejici, uti jam antea annotavimus *Scholiis ad obſ.* 24 & 35. *cent.* 1. *obſ. noſtr.* Conſiderandum etiam judico illum, cujus ſupra meminit *Roonhuſius*, undecimo die de intolerabili cervicis dolore fuiſſe queſtum, à quo tumor deinde, dolorque capitis indies minuebatur; Deinde & animadvertendum eſt eundem de immenſo ſpinæ dolore conqueſtum eſſe, qui ut pelleretur, fotus, & linimenta (veluti anteà diximus in vulnere capitis) fuêre adhibita, ſicque dolorem poſteà uſque ad os Coccygis, & tandem ad femora, & tibias deſcendiſſe, verum ſenſim omnia evanuiſſe ſymptomata.

Supra adductus *P. de Marchettis, obſ.* eâdem, *fol.* 35. ſe expertum fuiſſe refert, dolente hiſce capitis in vulneribus collo, ac præſertim parte ejus poſteriore, lateralive, materiam purulentam in pectoris, abdominiſque cavitatem fuiſſe delapſam.

Idem, cujus memini, *Jobus Mekeranus* ad foramen oſſis occipitis, per quod ſpinalis medulla ad vertebras ſpinæ deſcendit, omnia, præſer-

tim-

timque membranas medullam inveſtientes, muſculoſque cervicis caput retrorſum moventes ſero ſcatuiſſe tradit, de cujus affectæ partis dolore læſus non fruſtra fuerat queſtus. Sed nec adeo mirum hoc fuit, ſiquidem meninges intus undique thoracem, & abdomen indifferenter veſtiant, undè ſympathiæ illius deducenda eſt cauſa, quæ ſatis ex ſternutationibus, vomitibus, tuſſibus, &c. liquet.

OBSERVATIO IV.

Cranii Vulnus ſupra oculum.

QUemadmodum partes capitis tam externæ, quàm internæ, bene multæ, indoleque diverſæ ſunt, ita & magna inter earundem vulnera, tam ratione partis vulneratæ, quàm ipſius inſtrumenti, quo vulnus infligitur, exiſtit differentia. Hujus autem exemplum ſuppeditabit filia octo annorum politoris cujuſdam argentarii Hagæ-Comitum habitantis: Ad quam ego unà cum Chirurgo *Ludovico Cock* anno 1668, vocatus ſum. Ejus autem ſynciput ſupra palpebram ſiniſtram ita calce percuſſerat equus, ut vulnus exortum fuerit non tantum

tum cum fracturâ, ſed & cum cranii quadam eò loci depreſſione. Cum itaque primo die ad ſanguinis fluxum ſupprimendum, vulnus ſimpliciter tantum eſſet obligatum, ſecundo vulneris apparatu pulſum quendam intus in fracto oſſe, motumque animadverti, quem primo quidem duræ matris credebam, ſed cum ſubiret mihi os frontis ſupra oculos cavitate quâdam donatum, non amplius eâ de re fuimus ſolliciti, præſertim cum ſpecillo experiremur infimam cranii tabulam illæſam eſſe; quare ipſum vulnus, de oſſis depreſſi reſtitutione non amplius anxii, uſitatiore percuravimus methodo.

IN OBSERVATIONEM IV.

CIrca dicti oſſis frontis cavitatem varia occurrunt conſideranda, ſiquidem ea reperitur in quibuſdam valdè magna, in nonnullis verò parva, in aliis exiſtit in alterutrâ ſaltem oſſis parte, in aliis autem omnino deficit.

Fabrit. Hildanus centur. 5. *obſ.* 1. *p.* 381. refert eam communiter magnam admodum reperiri in iis, quibus frons, ſupericiliaque protuberant.

Bar-

Bartholinus autem *lib. de oſſ. cap.* 6. cavitatem illam non reperiri in iis ait, quibus facies, & frons planiores ſunt, ac latiores; quod & affirmant *Fallopius expoſit. de oſſibus cap.* 13. *fol. mihi* 497. & *Nathan. Higmorus lib.* 3. *diſquiſit. Anatom. part.* 1. *cap.* 4. quorum hic refert ſe ancillæ cujuſdam caput aperuiſſe, cui facies dicto modo deformis erat, deficiente tamen cavitate illâ.

Non ita pridem conſpicere mihi licuit apud *Dom. Anth. Nuck.* Medicum, & Anatomicum Hagienſem cranium quoddam, cui talis cavitas omnino deficiebat. In tenellis quoque infantibus ætatis primo anno eadem non reperitur, Teſte *Bartholino*, ſed ſucceſſu temporis ſe manifeſtat. Prout enim oſſa infantum ſenſim perducuntur ad perfectionem, ſic etiam hoc os tandem ita prominere incipit, ut inter ipſius hiantia latera quædam producatur cavitas: hoc quoque, loco modo adducto, confirmat *Fallopius*. Quamvis autem *Bartholinus* cavitatem hanc iis deeſſe dicat, quibus os frontis ſuturâ quadam in duas dividitur partes, attamen celeber ille Anatomicus *P. Pauw* Diſcipulis ſuis olim varia oſtendit crania cavitate hac donata, etiamſi ſutura ſagittalis idem os in duas diviſiſſet partes; confirmatque hoc *Higmorus*, dum cavitatem illam etiam in diviſo frontis oſſe ſe conſpexiſſe memorat.

Ille cujus ſupra memini *Anthon. Nuck* nuper etiam cranium viri, qui 30. ad minimum natus fuiſſet

fuiſſet annos, mihi monſtravit, in cujus oſſe ſincipitis ad dictæ ſuturæ latus ſiniſtrum una aderat cavitas, ad dextrum verò duæ.

Schneiderus de oſſe cribriformi fol. mihi. 126. ſe crania vidiſſe ait, quorum in dextrâ ſupercilii parte cavitas hæc reperta fuerit, ſiniſtrâ parte non excavatâ, ſed plenâ, & ſpongioſâ, pumiceâque conſtante ſubſtantiâ: quodque annotatu dignum erat, in internâ cranii facie ita prominebat hæc cavitas, uti ipſum prope ſupercilium dextrum ſynciput, cui hæc cavitas ſuberat. Aliis verò deficiebat hæc ipſa in latere dextro. Ejuſmodi etiam protuberantiæ internæ mentionem *obſ.* 38. *centur. noſtr.* 1. *p.* 152. fecimus.

Obſervandum quoque hic eſt, cavitatem illam intus undique tenui quâdam inveſtitam, & obductam eſſe membranâ, &, quamvis nonnulli contendant eâdem humorem quendam viſcoſum contineri: plerumque tamen reperitur vacua, teſte eodem *Schneidero de oſſe cribriformi p.* 116. &c. nec non *Riolano notis ad Anat. Laurentii cap.* 9. *lib.* 2. imò in ipſorum brutorum v. gr. vitulorum, ovium, aliorumque humidiorum ejuſmodi cavitate (iis enim illa ſatis eſt magna) nihil ut plurimum, aut certè perparum liquoris reperitur. De cavitatis hujus in ſyncipite uſu, varia ſcriptores ſentiunt. *Joh. Anthon. Lindanus Medicinæ Phyſiolog. fol.* 369. viſcidum humorem per cavitatem illam ad nares demitti tradit. Ejuſdem eſt opinionis *N. Higmorus*, qui ideo duo

in

in illa exiſtere foramina ſcribit: juxta quorum alterius longitudinem humor mucoſus à cerebro per oſſis cribriformis foramen deferatur, ac deinceps per alterum verſus inferiora in naſum deſcendat.

Opinionis hujus veritas, ut ait idem *Lindanus*, evidenter è ſupremarum naſi partium obſtructione patet, nec non ex pure, aquâ, & ſanguine, per nares quorundam nonnunquam effluentibus in cephalalgia, unde juxta *Hippocratis ſect. 6. Aph.* 10. hæc utplurimum evaneſcit. Exiſtimant alii cavitatem illam aëris inſervire præparationi, ne ſcilicet per nares attractus, & ibidem aliquamdiu retentus, nimis frigidus, vel crudus in cerebrum admittatur.

Nonnulli, quos inter & *Fallopius*, cavitatem hanc veluti reſonantiæ quendam locum ad vocis claritatem facere exiſtimarunt, unde illi quibus naſus latus eſt, & planus, non clarum, ſed ex naſo proveniente quodam ſuſurro mixtum edant ſonum. Ab his autem diverſi locum hunc per attractum aerem odoratum quodammodo adjuvare credidere, è quibus *Fallopius*, *Veſalius*, *Spigelius*, alii.

Sæpius adductus *Anth. Nuck* retulit mihi nuperrime hic Hagæ à ſe diſſectum canem quendam, in quo cavitas hæc communionem haberet cum organis odoratui inſervientibus: verum *Alex. Benedictus*, *Riolanus*, aliique hanc ſæpe eorum craniis defuiſſe teſtantur,

C qui

qui antea bene olfecerint, ac clare voce locuti fuerint.

Ego vero in illorum deſcendo opinionem, qui aſſerunt cavitates illas præcipuè efformatas eſſe, ut oſſis ſupra oculum eminentiam producerent, quæ alias ibidem deficeret, ſi os perfectam acquiſiviſſet firmitudinem, ſiquidem illud hoc caſu gravitate ſua aliquatenus impedimento fuiſſet; quamvis interim non diffitear illius alium quendam, minoriſque momenti eſſe uſum; ſiquidem & ſimilis cavitas in brutis, videlicet bobus, ovibus, equiſque reperitur, & quidem multo major, oblongiorque quam in hominibus: intra eam quoque, ardente Sirio, vermes reperiuntur, unde dicta animalia aliquando vertigine corripiuntur, & in furias ruunt, teſte *Diemerbroeckio anatom. lib. 9. cap. 6. fol.* 897, & *Fabrit. Hildano cent. 5. obſ. 1. fol.* 381.

G. Fallopius lib. de vuln. in genere cap. 4. ſyncipitis vulnus, ſive fracturam curari non poſſe ſtatuit: ſe tamen ſemel illam ſanatam, & carne repletam obſervaſſe; quod exemplum miraculi inſtar habuerit; utpote quod aliis nunquam obtigiſſe meminerit.

OB-

OBSERVATIO V.

Auditus per biennium, & loquela per annos quatuordecim amiſſa ſubito reſtituta.

ADmiranda ſunt circa humana corpora Dei omnipotentis opera, quæ uti multis, ac diuturnis ſæpe obnoxia fecit morbis, ita etiam, quando ipſi viſum fuerit (quamvis non abſque naturalibus mediis) eoſdem nonnunquam valde ſubito, & inexſpectato modo aufert; cujus rei evidens nobis ſuppeditabit ſequens relatio exemplum.

Medicus noſter, ac Chirurgus *Cornel. Solingius* nuper mecum litteras quaſdam communicabat ad ipſum à Fratre *Hercule Solingio* Gorcomii habitante datas, quibus prolixè narratur, quomodo in pago *Aal* nomine, ſive *Eyl*, alias *Andel Workomium* inter, & *Hoeſdam* ad aggerem ſito, ruſticus quidam 40 annorum, nomine *Gisbertus* . . . . . , natus in civitate Campenſi habitaverit, qui illuc anno 1666 mutus, & ſurdus cum cam-

panula quadam (ut ſolent ejuſmodi homines) ad colligendas eleëmoſinas advenerat. Quem, cum laborioſus eſſet admodum, vidua quædam, etiam ſurdaſtra, meſericordia ducta hoſpitio excepit, ita ut ab eo uſque tempore res perageret ruſticas, in quibus ſemper diligentem ſe, ſolertemque præſtitit.

Poſtquam vero ibidem per biennium laboribus inſudaſſet, ac aliquando foſſam quandam foderet, contigit, ut inter operandum campanæ audierit ſonum, quod digitorum ſuorum alliſione ſodalibus ſuis ſatis indicabat, & ab eo uſque tempore auditum conſervavit integrum.

Duodecim autem poſt annis, die 12. April. 1680. cum conſortio cuidam interfuiſſet Dominicâ palmarum, ancilla Heræ, cui famulabatur, lecto ipſum incumbere rata pro more domum clauſit; lectumque petiit. Ille vero multa demum nocte reverſus, januam reperit clauſam, quapropter vicini ſui domum adiit, à quo commodiore tunc temporis lecto deſtitutus ad fænile dimiſſus eſt, rogatuſque fuit, uti mature domeſticos exci-

excitaret ſecuturo die, qui Lunæ eſſet, multo mane mercatum adituros Gorcomienſem. *Gisbertus* ergo in prædicto fœnili decumbens vocem quandam, uti poſtea retulit, audiit, vel forſan ſibi audire viſus eſt, vel ſomniavit, clamantem: *Surge Gisberte, & Loquere!* ipſe ergo ſurgens mox vicini domum adiit, cujus oſtio fruſtra ter pulſato, Heræ fores pulſavit; unde ancilla ſurgens rogabat, quiſnam adeſſet, cui ille: ego ſum *Gisbertus*, Deus mihi linguæ reſtituit uſum: quod minus credens ancilla, diſſolutioriſque vitæ homines adeſſe ſuſpicata, qui domum ingredi conarentur, januam non aperuit. Coactus ergo fuit *Gisbertus* vicini ſui domum repetere, cujus uxor, quæ interea ſurrexerat, uti itineri ſe accingeret Gorcomienſi, ſtrepitum quendam ante fores audiit, quapropter accurrens quis eſſet, rogavit; *Gisbertum* autem ſe nominantem illa accedens cognoſcenſque exclamavit: Tune ades *Gisberte*, & loqueris? Ille autem non ſine amplexu reſpondit: *Deus mihi loquelam reſtituit, ipſi ſit honos, & gloria.* Unde mulier ſtupefacta pri-

 mo

mo quidem loqui non poterat, ſed tamen parumper ad ſe rediens, quo pacto loquendi recuperaſſet uſum, rogavit, quare ipſe', quicquid ſibi accidiſſet, narravit. Adventante autem, quo uxor diſcederet, tempore, *Gisbertus* maritum adiit, eique rem ſignificavit: omnium autem primo mulier iſta ſe ad meas (ita ſcribit *Hercules Solingius*) contulit ædes, ut nonnulla emeret. Dum autem nos ſimul (ita pergit) pranderemus, intravit & *Gisbertus*, quem quidem unà ad prandium invitabam, ſed verecundior ille (uti videbatur) abnuit. Interroganti igitur mihi, quid ni Juvenis ille ad comedendum accederet, vicini uxor, tui, dixit, cauſa pudore afficitur, ac mox ſingula expoſuit, quæ ipſe etiam confirmavit referens, quomodo primò in pagum perveniſſet. Famulam autem quacum ſimul diu habitarat, poſtea uxorem duxit, ſed cum ipſâ diu in matrimonio non vixit, toto iſto tempore valetudinarius admodum. Uxore itaque ſine liberis relicta, fatis ceſſit anno 1681. menſe Martio. Quæ relatio (ut ait *Hercules Solingius*) non tantum

tum veriſſima eſt, ſed & centenis aliis teſtimoniis, ſiquidem opus foret, confirmari poſſet.

IN OBSERVATIONEM V.

DE eodem ruſtico quædam etiam breviter proponit Expertus Medicus *Steph. Blankardus' part.* 1. *collect. med. phyſ. cent.* 2. *obſ.* 21. *fol.* 105 *ut & part.* 2. *cent.* 6. *fol.* 143. quamquam utraque narratio diverſis modis (juxta literas *Joh. van Deuren*) facta ſit. Quapropter operæ pretium judicavi, ſi rarum hunc, mirandumque caſum ab amico quodam cognito prolixè omnibus cum circumſtantiis deſcriptum etiam huc adferrem.

Licet autem caſus ille valde admirandus, rariorque ſit, attamen ſine miraculo naturalique modo contingere poteſt, quemadmodum & ſimilia de auditus, viſus, motuum corporis diu amiſſorum reſtitutione traduntur. Divinam tamen providentiam hic præcipue ſuſpicere, ac revereri fas eſt.

Memini etiam exempli cujuſdam, quod juvenis animadverti de homine quodam, qui cum poſt annorum aliquot gravem paralyſin, reſciret aliquando templum ædibus ſuis vicinum, flammis eſſe correptum, neminemque tunc temporis adeſſe, qui ipſi opem ferret, magnâ ani-

 mi,

mi cum conſternatione è lecto proſiluit fugâ ſe ſubducens poſteaque paralyſi liber manſit.

Franciſcus Valleriola l: 2 *obſ*: 4 *fol.* 116. ſimile quid habet de cive quodam Arelatenſi, nomine *Joh. Berla*, qui reſolutione alterius lateris multos annos laborans, quum diu reſolutus manſiſſet, incendii metu, cum flagraret igne domus, in quâ degebat, propeque jam cubile ejus flamma ſerperet, incendii metu à domo ſaltu præcipitem ſe dederit, poſteaque incolumis, & probè incedens derepente factus fuerit.

Tale etiam ſubitaneæ à paralyſi liberationis exemplum contigiſſe perhibetur Amſtelodami anno 1676 in muliere quadam 40 annorum, nomine *Geeske Claas*, quæ quatuordecim annorum paralyſi ſubito fuit exemta; de quâ etiam vide D. *Steph. Blankardum collect*: *med*: *phyſ*: *cent*: 3 *cap*: 49 *fol*: 249.

Vidi, & diu novi, inquit *Iſbr. de Diemerbroeck Anatom. lib.* 8 *cap.* 1 *de nervis*, *ſol.* 851. mulierem per triginta annos adeo paralyticam, ut neque brachia, neque cruris ſiniſtri ullum articulum loco movere poſſet, cui tamen per maximum, horrendumque nocturnum cum fulmine tonitru, quo illa mundum periturum putabat, immenſo terrore percuſſæ, materia obſtruens è nervis ſubito expulſa ſit. Ipſa autem paralyſi repente liberata fuit, & manſit.

Thom: *Bartholinus act*: *med*: *anno* 1671 & 1672 *obſ*: 71, *fol*: 157 narrat ex *Olao Borrichio* de

de cive quodam Chriſtiano-Hafnienſi, quem ipſemet *Borrichius* ſe cognoviſſe teſtatur, quomodo mutus factus toto quadriennio vocis uſum fruſtra expectarit, tandem vero, cum domum aliquando properaret, in ponte ſublicio, qui utramque urbem dirimit, obviam forte viderit vetulam quandam, ob inimicitias funeſtas jam olim ſibi inviſam; quâ conſpectâ, toto animo exardeſcens, & vindictæ accenſus cupidine, in hæc prorumpit verba: *Ut te Dii, Deæque omnes perdant*! ſimulque laxata linguæ ſuæ frena ſtupens obſervat; tum demum ſibi ipſi iratior quàm aniculæ, quòd fauſtiſſimum ejus occurſum conviciis excepiſſet, & primum redeuntis linguæ uſum à maledictis eſſet auſpicatus. Scilicet credibile eſt (ita *Bartholinus*) grumum aliquem ſanguinis, vel pituitæ tenaciorem principio arteriæ loquacis linguæ impactum, & hactenus vicinos nervos comprimentem, ad motum illum incandeſcentis animi concitatiſſimum, & ſecutum hinc irritati ſanguinis motum vehementem delicuiſſe.

Joh. Dolæus miſc: med: phyſ: cur: decur. 2 *ann.* 1 *obſ*: 38 *fol.* 109. de puellâ quadam agit decem annorum, quæ trimula variolis malignis laboraverit, hiſque, materiâ nimirum peccante per metaſtaſin ad nervos linguæ delatâ, pulſis muta evaſerit, taliſque permanſerit ad annum uſque decimum. Poſtea vero ex improviſo æſtate maxime ardenti (fortè materiâ nervos obſtruente à calo-

re reſolutâ) non ſine Parentum, Conſanguineorumque maximâ admiratione loqui cœpit; & nunc cum quolibet, haud aliter, quam ſi nullo laboraſſet incommodo, colloquitur.

Petrus à Caſtro miſcell. med. phyſ. curioſ. dec. 1. *ann.* 1. *obſ.* 35. *fol.* 191. meminit quorundam, qui infantes muti fuerint, ac poſtea diſtinctè loqui potuerint. Adde & *Reuſnerum obſ.* 49. *fol.* 27. qui de quodam poſt decem annorum, deque alio itidem poſt quadraginta annorum ſurditatem priſtinum recuperante aurium uſum memorat.

Tradit *Herodoti Clio lib.* 1. *fol. mihi* 40. *Crœſo* fuiſſe filium cætera habilem, ſed mutum; ad cujus vitium emendandum *Crœſus* pro viribus omnia, quamquam fruſtra, fecerat: hic autem cum *Cyri* exercitu victus, ac captis mœnibus ſubito oppreſſus eſſet, quidam *Perſes*, *Crœſum* ſibi ignotum occiſurus vadebat. Quem invadentem ſe *Crœſus* cum videret, tamen præſenti clade affectus devitare negligebat nihil intereſſe ratus percuſſuſne oppeteret mortem, an ſecus. Id ubi filius mutus aſpexit, patri timens erupit in vocem dicens: *Homo ne perimas Crœſum*: Atque hoc ille primum effatus poſtmodum per omne vitæ tempus vocalis extitit, *Crœſuſque* poſtea captivus in *Cyri* manus traditus eſt.

Æglis cujuſdam luctatoris ex inſula Samo mentionem faciunt *Val. Max. lib.* 1. *cap.* 8. & *Aulus Gellius lib.* 5. *cap.* 9. hic, cum mutó victoriæ, quam adeptus erat, titulus, & præmium eri-

eriperetur, indignatione accenſus vocalis evaſit. Ratio eſt, quod irâ celerior ſanguini concilietur motus, qui viſcidos, & tenaces, obſtructionemque nervorum inducentes humores ſolvere aptus eſt.

Ille autem, de quo nos, ruſticus forſan auditum recepit, quod maximo in fodiendâ foſſâ labore ſanguine ejus fluidiore, mobilioreque reddito, ſpiritibuſque concitatis, materia nervos auditorios obſtruens quaſi delicuerit, ut commodè inde potuerit expelli. Reſtitutio autem auditus ante loquelam forte contigit, quod obſtructio nervorum auditoriorum non fuerit adeo gravis, & magna, quam nervorum loquelæ inſervientum, unde tenax illa materia, quæ ſpirituum tranſitum antea impedierat, tanto ocyus eo, quam alio loco fuerit ſoluta.

Veroſimile etiam eſt ipſum vocis donum deinde noctu recuperaſſe, cum de die haud dubie in commilitonum conſortio hilarior extitiſſet, ſpirituſque vino recreaſſet, undè hi valde fuerint ad motum concitati, & volatiliores redditi. Accedit, quod eâdem nocte forſitan per ſomnum ſe in eodem conſortio etiamnum exiſtere ratus multâ cum vi nonnihil ſodalium cuipiam ſignificare geſtierit, unde ſpiritus (qui tempore ſomni copioſiores intus ſunt, nec adeo ad externum ſenſuum uſum diſperguntur) eo tempore fortius, quam quidem interdiu fuerint agitati, eodem modo, ac ſupra jam diximus de filio Cræſi,

cui

cui alioquin effectui producendo fuiſſent omninò impares.

Ita etiam *Theoph. Bonetus Med. Septentr. libr. de pect. affect. ſect.* 18. *cap.* 5. *fol.* 437. ex *Joh. Schmiedio* refert *Chriſtianum Omuth* virum verè probum, & doctum, verbi divini Miniſtrum è ſomno expergefactum, in inopinatam ſubito incidiſſe *ἀφωνίαν*, ac poſt 14. dies ſomniantem de nocte ſe undis ſubmergi, anxium voce clarâ, & eloquio prompto opem imploraſſe, expergefactum autem à proprio clamore grates Deo precibus ardentiſſimis, & cantu perſolviſſe.

Quemadmodum jam adducta ſunt ſubitæ auditus, & loquelæ reſtitutionis, obſtructis nervis orta exempla, ita quoque depulſæ, cujus cauſa fuerat nervorum opticorum obſtructio, cæcitatis quædam dabo.

G. H. Velſch. obſ. med. Epiſagm. 20. *f.* 14. exemplum habuit fæminæ cujuſdam ex *amauroſi* ſive guttâ ſerenâ cæcæ, quæ tandem poſt febrem aliquam vehementem priſtinum recuperarit viſum.

Memorat *Laz. Riverius obſ. communic. à Samuele Formio obſ.* 29. *fol.* 361. mulierem quandam *amauroſi* ita fuiſſe correptam, ut per cibi abſtinentiam mortem ſibi inferre decreviſſet, quo in ſtatu annum perſeverârit integrum, unde ad extremam deducta fuerit maciem, calore nativo (uti loquitur S. Formius) defectu pabuli humidum ſubſtantificum depopulante. Cum eo vero omnis ſimul corporis humiditas, tum ipſa mate-

ria

ria guttam ſerenam efficiens abſumta fuit; ſicque ægra viſum recuperavit, ac poſtmodum victu analeptico refecta fuit.

OBSERVATIO VI.

NOvi ego quendam etiamnum ſuperſtitem, qui quoties cum uxore rem habere geſtiret, immediate ante cœptum opus, ter, quaterve ſternutare cogebatur: cujus phænomeni cauſâ ille nonnihil ſollicitus (ſiquidem alioquin vir erat robuſtus, & ſanus, ſenſuumque compos) me aliquando conſuluit.

IN OBSERVATIONEM VI.

MUlti, quos inter eſt *Avicenna lib. 3. fen. 5. tr. 2. cap. 3.* jam olim exiſtimarunt, poſteaque etiam alii, ut *Riolanus particul. meth. cap. 17. Untzerus lib. de Epilepſiâ*, aliique confirmarunt, ſternutationem levem quandam eſſe Epilepſiam.

Convenientia ſymptomatum illorum vel hinc, meo quidem judicio, quodammodo poterit elici, quod utrumque ex a ri quadam, & pungente materiâ, originem habeat ac, ſenſu teſte, conjunctam ſibi habeat convulſionis aliquam ſpeciem, & denique, quod in utroque vel

nervi

nervi, vel meninges contrahantur, hâc tamen cum differentiâ, quod ſternutationis ſubitanea, Epilepſiæ vero diuturnior ſit convulſio.

Sternutationis autem cauſæ diverſæ, earumque quædam externæ, quædam internæ ſunt. Sub externis comprehenduntur vulgo aër ſiccus, acriſque, qui hoc anni tempore magis, illo vero minus; particulis eſt refertus nitroſis; vapor etiam ſulphuris, camphoræ, aceti, allii, ſinapios, raphani, ellebori, &c. ſive per nares attractus, ſive per os admiſſus, narium quoque vellicatio, pilorumve ejus evulſio (cujus mentionem faciemus *obſ. ſeq.*) aſſumptio fortium ſternutatoriorum (quorum exempla nonnulla attulimus *obſ.* 10. *fol.* 48. *Tom. noſt. prim.*) vel alia quædam materia acris, & mordax. Nonnunquam etiam à ſplendore Solis, vel immediatè, vel mediatè, v.gr. à reflexione nivis, aquæ ſplendidæ, ſpeculi &c. excitatur ſternutatio; unde *Ariſtoteles* dixit, *ſternutat, qui ſub Sole ſe committit*; forſan quia calefaciens Sol naſi fibrillas, eodem modo, quo pluma quædam titillat. Certum utique eſt à Solis calore, vel fervore potus, humores intus in capite contentos attenuari, fluidioreſque reddi.

C. V. Schneiderus tract. de ſternutatione fol. 460. concionatorem quendam ſe cognoviſſe refert, qui, cum Soli exponeretur, bis, ter, vel etiam ſæpius ſternutare coactus fuerit. Membrana enim naſum intus circumcingens in nonnullis hominibus ſenſibilior eſt, quam quidem in aliis;

aliis; ideoque facilius ab acido, acri, tenuive aëre quibuſdam vellicatur, vel etiam forſan Sol radiis humores intra caput attenuando efficit, ut acris quidam aſcendat vapor, qui exitum per anguſtam viam quærens cerebri membranas vellicat.

Hinc *Hippocrates ſect.* 7. *aphor:* 51, *Sternutatio fit ex capite, excalfacto, aut perhumectato ſpatio in capite inani; aër enim intus contentus foras erumpit, Strepit autem, quia per anguſtum ipſi eſt exitus,*

Internæ ſternutationis cauſæ ſunt, vel humores acres, & tenues à capite ad naſum in coryza depluentes, & ex vaſis naſi nonnunquam tranſudantes, vel etiam vapores acres e ventriculo, vel tenuibus inteſtinis ſurſum aſcendentes, naſique membranas interiores, ac præcipue quidem ſuperiores earum prope os cribriforme partes vellicantes; porroque ea omnia quæ apta nata ſunt ad tunicas narium irritandas; unde hæ moleſtiam, qua afficiuntur, à ſe abigere conantur, ac ſic quidem pectus ipſum, muſculique abdominis, nec non diaphragmatis inflati meningibus ſuccurrunt, cum quibus communionem habent tunicæ naſi fibrillarum quarundam nervoſarum, cribroſique oſſis foraminula percurrentium ope. Atque ita quidem fortioris aëris expulſione ſonitus ille producitur multum huc facientibus anguſtis narium ductibus, per quos aër non ſine ſtrepitu erumpit: videtur-

deturque tuſſis circa laryngem, & pulmonem; eadem eſſe, quæ ſternutatio circa meninges, & narium tunicas, ſed tamen pectus in ſternutatione aliter quam in tuſſi irritatur, moveturque.

Ariſtoteles ſect. 33, *lib*, 7, *problem*, 9. ſternutamentum ſalutarem quandam expirationem appellat, valetudiniſque indicium. Quid, quod etiam inter Medicorum arcana illud idem *Ariſtoteles* ponat: ægros videlicet, affectoſque, & gravi morbo decumbentes excitandos eſſe, ut ſternutent; id niſi efficere valent, ſalutis ſpem nullam ſupereſſe. Hinc quoque *Theophraſtus* difficulter admodum ægros ſternutare poſſe ait, propter ſpirituum & virium defectum; eandemque ob rationem *Ballonius ad Theophraſti lib. de vertigine p.* 9. *Vulgo*, ait, *è Xenodochiis jubent ægros exire, cum primum ſternutant, quod bono id fiat omine, & quod in limine ſint ſanitatis, quaſi victa calore naturali morbifica materia ſit cocta, & mitificata.*

Cum vero ſternutationes ſalutares nonnunquam, ita etiam contra noxiæ quandoque ſunt, & periculoſæ; præſertim ubi fuerint irritæ, & fruſtraneæ, continuæ, & immodicæ; tum namque anguem in herba latere indicant, hinc enim ſæpenumero cæcitas, obſtructis nervis opticis (de quâ *G. Fabrit. Hildanus centur.* 1. *obſ.* 24.) vel hernia, magnâ exiſtente preſſione, vel alia gravia ſymptomata, quorum aliquot attulimus *obſ.* 10. *tom. noſt. prim.* vel etiam ipſa mors provenit,

venit, præſertim corporibus intemperatioribus; contingere etiam poteſt, ut violenta ſternutatione arteria quædam intra caput rumpatur, unde mors, de qua vide *Theoph: Bonetum Anatom. pract. lib.* 1. *ſect*: 20. *obſ.* 17. *fol.*553.

H. Cardanus lib. 5. *aph.* 47. *Hipp. fol.* 559. obſervaſſe ſe tradit fruſtraneos multos ſternutandi conatus ſecutam fuiſſe Epilepſiam, & *comm. ad lib.* 7. *aph.* 45. *fol.* 817. juvenem quendam ægrum ſe vidiſſe ait, qui poſtquam veſperi pluſquam tricies fruſtra ſternutationem tentaſſet, ſequenti die convulſionibus extinctus fuerit.

Narrat & ſimile quid de ſene quodam 64. annorum, qui poſt parvas aliquot, iterataſque ſternutationes fruſtraneas, tertio die vivis fuerit exemptus.

Plura habent *Philip. Salmuth. cent.* 1. *obſ.* 93. *fol.* 56. *G. Fabrit. Hildanus cent.* 4. *obſ.* 12. *F. Platerus tom.* 1. *prax. pag.* 34. *& ſeqq. Rondeletius lib.* 1. *de curand. morb. cap.* 70. aliique. *Thucydides lib. de bello Peloponneſiaco* §. 131. *fol. mihi* 108. peſtilentis cujuſdam, malignæque ſternutationis meminit in famoſa illa Athenienſium peſte graſſantis; *Polydorus* etiam *Virgilius lib.* 6. *de inventione rerum cap.* 2. *fol. mihi* 413. itidem ſimilis ſternutationis mentionem facit, qua omnes, qui aliquoties ſternutaſſent paulo poſt extinguerentur: quod & teſtatur *H. Cardanus in lib.* 5. *Aphor.* 47. *Hipp. fol. mihi* 559.

ut & *Carolus Sigonius lib.* 1. *hiſtor. de Regibus Italiæ*, aſſeritque *Iſbr. de Diemerbroeck lib. de peſte cap.* 15. *fol.* 80. *& lib.* 4. *hiſt.* 18. *fol.* 236. tempore gravis illius Neomagenſis peſtis anno 1635. neminem ſe vidiſſe convaleſcere, qui durante morbo ſternutaſſet ſæpius. Tradunt quidam ſternutationem tempore *Gregorii Pont: Max.* contagioſum quendam fuiſſe morbum epidemicum, quo homines ſternutando obierint, & inde ortam ſternutantibus bene precandi conſuetudinem. Quam longe autem *C. Sigonius* qui hunc ſalutem precandi ſternutantibus morem à Gregorii tempore deducit, aliique, qui idem, quæ ille, ſentiunt, à vero abſint, non ineleganter ſane demonſtrat *Famianus Strada Soc. Jeſ. Proluſion. Academicar. lib.* 3. *Prælect* 4. *de Piſtore ſuburrano*, qui jucunda admodum hac de re habet. Mos autem ille diu ante Soſpitatoris noſtri ortum apud Ethnicos, & ante ipſum obtinuit *Ariſtotelem*, ut idem *Strada pag. mihi* 438. Græcus enim Poëta apud eundem ibidem, *Ariſtoteleſque*, *Theocritus*, *Ariſtenætus*, *Petronius Apulejus*, *Plinius*, aliique bene multi illius meminere. Cauſæ autem variæ ſtatui poſſunt; quarum quinque dat *Strada* dicta Prælect. 4. Superſtitioſum tamen qualecunque hujus conſuetudinis fuiſſe initium nemo dubitaverit, ſiquidem & Ethnici à ſternutamentis auguria capere ſoliti fuerint; quapropter *Ammianus*, ac *D. Auguſtinus* imo ipſe Cicero iſtam repudiarunt.

Hic

Hic enim *lib. 2. de Divinat. Quæ ſi obſervamus, ait, & pedis offenſio nobis, & corrigiæ abruptio, & ſternutamenta obſervanda.*

Dicebatur autem Epilepſia olim Græcis morbus ſacer, vel quia putabant illum hominibus immediate à Deo fuiſſe immiſſum, (uti voluit *Hippocrates*) vel quia nobiliſſimam, maximeque ſacram corporis partem, cujus regimine partes reliquæ gubernantur, occupat, uti ſcribit *Plato Timæo*, ſive *de natura fol.* 759., vel quia in illa parte ſedem habet ratio, quod voluit *Ariſtoteles ſect.* 33. *problem. quæſt.* 7. *Plato* (teſte Apulejo) totum hominem ſive ejus eſſentiam in ſolo capite conſiſtere dixit: quod Veteribus anſam dedit ſternutationem vocandi ſacram, & dicendi ſternuentibus Ζεῦ σῶσον, *Jupiter ò adſis*! Unde Europæi *Deus te adjvet*, ad quæ verba etiam ſalutare, vel corpus inclinare ſolemus. Caput olim Veteribus ſacrum appellatum fuiſſe etiam *Ariſtophanes* teſtis eſt, quia per illud jurare ſolebant, quapropter etiam ſternutationes è capite provenientes (ſecundum *Athenæum Dipnoſophiſtam*) adorabant tanquam ſacras. Illud & confirmat *Ariſtoteles*, cum ait ſternutationem Veteribus adeo fuiſſe ſacram, ut eam tanquam numen adorarent, ut patet ex *Xenophonte lib.* 3. *expedit. Cyri, Perſarum Regis*, dum dicit, ubi Rege præſente quiſquam ſternutaſſet, adſtantes in genua provolutos Deum illum adoraſſe.

Sed quærat hic quiſpiam, an non perverſa quædam ſit conſuetudo etiamnum ſternutantes ſalutare, beneque iis precari, utpote quæ paganorum erroribus originem debeat?

Patrum equidem nonnulli morem illum, profligata ſuperſtitione, non improbarunt. Illos autem procul eſſe juſſerunt, qui ſternutationes dimetirentur juxta Lunæ Phaſes, earumve multitudinem, paucitatemve, vel eas, quæ dextrorſum, vel ſiniſtrorſum, antrorſumve, aut retrorſum, de die, vel de nocte, in exequiis, epuliſve, &c. contingerent, obſervarent, hiſque adverſa, vel proſpera portendi hallucinarentur.

Pater Auguſtinus Serm. 241. *de Templ. Illas* inquit, *non ſolum ſacrilegas, ſed etiam ridiculoſas ſternutationes conſiderare, & obſervare nolite.*

Aliud itaque agit, qui (malum!) ſternutationes ad ſecutura bona, vel mala, &c. quidquam facere autumat, ac is, qui more non damnando ſternuentibus precatur proſpera.

Verum quid ni itidem tuſſientes, oſcitantes, ructum, crepitumve ventris emittentes ſalutamus?

Michael de Montaigne Conaminum lib. 3. *cap.* 6. hanc rationem dat, quod ſternutatio flatuum, vel expirationum omnium è corpore prodeuntium honeſtiſſima, utpote ex capite proveniens, ac idcirco reprehenſionis expers ſit, cui

cui idcirco præſtemus honorem. In ructu autem, crepituve ventris ſalutare, hominis eſſe plus ſatis urbani Doctorum elegantiſſimus *D. Eraſmus* tradit. Sicco autem pede præterire nequeo Ægyptios, aliaſque gentes Ethnicas inter innumeros, quos adorabant Deos, numeraſſe etiam quicquid eximium excellenſque, ac magna virtute præditum eſſet, v. gr. animi affectus, tanquam imperium in nos habentes, imo & ipſos corporis affectus. Hinc *Febris* fanum in Palatio: hac enim placata ſalutem ſperarunt. In numero iſtorum Deorum erant quoque & alia multa nugatoria, ridicula, & ſordida, v. gr. Crepitus ventris. Honorem præfatur *Joh. Seldenus de Dis Syris Prolegom. pag.* 58. quod emiſſus (verba recito Seldeni) ſanitati corporis haud parum ſit conducibilis, ſupreſſus item noxius. Inde Regi minus imparem eſſe joculari Epigrammate ſcripſit *Nicarchus*, quod vitæ, & necis (hominis ingenium!) habuerit poteſtatem. Id autem tale eſt.

Οὐκοῦν εἰ σώζει, καὶ ἀποκτείνει πάλι πορδὴ,
Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσην πορδὴ ἔχει δύναμιν.

Quod Latinè ita ſonat.

Si ſervare queunt Crepitus, & perdere ventris,
Regibus anne putes viribus ergo pares?

Conſiderandum etiam eſt ſternutationes morboſum quid nonnunquam involvere, morborumque ſæpè, ut ſupra dictum exiſtere accidentia. Quidni autem quæſo, (præſertim cum diuturnior id confirmavit uſus) ſternutantibus non ignari plurima quandoque frequentiores, violentioreſque ſternutationes inſequi incommoda, bene precemur, ac aliis occaſionibus facere conſuevimus? Ita operis aliquid agentibus proſperum optamus eventum, cœnantibuſque, ac peregrè ituris fauſta omnia precamur. Hinc etiam *D. Auguſtinus ſerm.* 42. *de Sanctis, tom.* 10. *Si quis obvium ſibi*, inquit, *non ſalutet, à viatore non habebitur homo, ſed truncus, aut ſtatua Mercurialis.*

Quando itaque conſuetudo hujuſmodi ſalutationem (ſive ea ore contingat, ſive ſolâ capitis denudatione, aut corporis denique inclinatione) introduxit, confirmavitque, minus urbanus habebitur, quiſquis hoc quicquid eſt humanitatis negligit.

Ambroſius lib. 7 *in Lucam cap.* 10. *Salutatio*, inquit, *communis eſt uſus gratiæ. Sic inferiores ſuperiorum favorem ſibi conciliare conſueverunt; Gentiles quoque cum Chriſtianis ejuſmodi habent commercia. Prudentis igitur Chriſtiani eſt, (modo ne committatur error) hoc caſu perſonarum, locorum, temporumque ſe accommodare circumſtantiis.*

Præter internas, externaſque ſternutationis cau-

cauſas vulgatiores, ac jam adductas, jure etiam merito conſiderandus eſt coitus appetitus, ſternutamenti utut rarior cauſa.

Inter ſternutationis cauſas recenſet, etiam *Joh. Mezue lib. 2. de ægritudin*: appropinquationem ad mulierem, deſideriumque cum eâ coëundi.

Amatus Luſitanus Schol. curat. 3 cent. 4 fol. mihi 370; *Scire decet, ait, quod, qui coitui ſunt deditι, & ab eo per dies aliquot abſtinuere, & mulierem pulchram contemplantur, aut vident, brevi in ſternutamentum labuntur: ſed ſternutamenta hæc coitus facile ſolvit: hoc enim conſilio præmunitus quidam, qui ad Principem ſimul cum uxore ſtantem, accedebat, & ſæpe frequenti ſternutamento dedecorabatur, liber evadebat.*

Theoph: Bonetus Anat. pract. lib. 1. ſect. 20. ſchol. ad obſ. 17. fol. mihi 353. ſibi caſum huic noſtro valde ſimilem obveniſſe refert. Quidam enim ab illo quæſierat, cur inter venereos amplexus, inſtante συνϐσία bis, terve ſternutatione percelleretur? Hujus rei hanc ille rationem dedit, quod aura nempe ſeminalis à teſtibus & vaſis ſpermaticis ſuſcitata ſurſum repens ſenſibiles narium tunicas vellicaret, atque ad ejuſmodi motum impelleret. Veroſimilius autem exiſtimem per fortem imaginationem (quæ quantum corporibus imperet, quotidie licet experiri) humores nervoſos, ſive ſpiritus, celeriter admodum, ſingularique impetu in nervos, & partes generationi inſervientes impelli inte

reaque cerebri tubulos, ex quibus illi proveniunt, non longo tempore vacuos aliquo modo ſubſidere, & occludi, unde levior quædam eorundem convulſio, uſquedum novi iterum in eos deferantur ſpiritus, ſiquidem recentes tam ſubito ſuppeditari nequeunt, quam quidem alii forti imaginatione in nervos vehuntur.

Vel etiam in meningibus, ac præſertim durâ, ubi ea variis os cribriforme pertranſit fibrillis, collectæ antea fuere particulæ quædam acres, vel ſalinæ, & forſan etiam viſcoſæ quædam, quæ ibidem ſtagnantes poſtea per fortiorem ſanguinis preſſionem (eſt autem ille tempore appetitus venerei celerior, majorique cum impetu fertur) ulterius propelluntur, quod equidem abſque fibrillarum vellicatione quadam fieri nequit, quæ contractione à vicinis fibrillis ortâ adjuvantur. Hac autem de re ſuum cuique ſit judicium. Non diffiteor tamen teſtium cum plurimis aliis corporis partibus valde magnam eſſe Sympathiam, uti non ſemel indicat *Hippocrates ſect.* 1 *& ſect.* 5 *lib.* 2 *Epidem.* alibique, nec non *Ariſtoteles* 2 *de generatione Animalium cap.* 7 *&* 4 *particular. problem.*, ut & *Galen. lib.* 1 *de ſemine cap.* 16. Evidenter etiam id liquet ex Eunuchis quorum vox, ſi infantiæ tempore caſtrati fuerint, non tantum tenera eſt valde, ſed & nullâ, aut minimâ malas lanugine veſtiuntur, teſte *Iuvenali Satyrâ* 6.

Verum hæc teſtium, aliarumque partium ſym-

ſympathia imprimis obſervatur circa cerebrum, & nervos, monſtrat namque experientia nimiâ Venere non cerebrum tantum, ſed & nervos generaliter debilitari, quod etiam annotavit modo adſcripto loco *Galenus*. Hinc itaque primò cæcitas oritur, quia magna ſpirituum quantitas per Venerem oculis detrahitur, unde membranæ duræ admodum, rugoſæque evadunt, meatibuſque velut invicem compreſſis, tranſpiratio debita fieri nequit, fibrillæque nervorum, membranarumque oculorum craſſiores evadunt. Quin & immodicum Veneris uſum nonnunquam Arthritis, tremor, paralyſis, apoplexia, ac ſubitanea nonnunquam mors ſequitur, quâ de re vide ſis *Henr. ab Heers obſ. med.* 9 *fol. mihi* 103, ubi exemplum habet nobilis cujuſdam viri, qui inter uxoris amplexus ſubitâ correptus fuerit apoplexiâ. Memorat & ibidem de alio quodam, qui propter ſimilem abuſum in Epilepſiam inciderit.

Contigit etiam olim, ut ſtrenui hujuſmodi certatores brevem voluptatem morte abruperint; quale quid inter alios refert *Galenus lib.* 1 *de ſem. cap.* 16. *Jovinianus Pontanus in opuſc. de obedientiâ cap* 10 meminit cujuſdam *Beltrandi*, cognomine *Ferrerii* cui Barcelonæ in Hiſpania nimia Veneris gaudia mortem maturarunt.

Tradit *Plinius lib.* 7 *cap.* 53 *Hiſt: nat: Cornel. Gallum*, *Titumque Haterium* Equites Romanos

in ipſo opere fuiſſe ſuffocatos, teſte etiam *Valer: Max: lib: 9 cap 12.* Plúra ejuſmodi reperiuntur apud *Alex: Benedictum lib. 24 de curand: morb: cap*: 22. de Senatore *Vitturio*, & apud *Fulgoſum lib. 9 cap.* 12. de quodam *Giachero Geneva Salutiano.*

Tertullianus Apologetico idem *Speuſippo Platonico* contigiſſe ſcribit.

Memorabile eſt, nec ſilere poſſum, quod ſcripſit *Nicolaus Grudius* è tribus Fratribus Belgis unus Epigramma de adoleſcente quodam qui anno 1555. Bruxellæ novo mortis genere periit. Adoleſcens autem loquitur.

Ruſtica me ſtrictis nimium complexibus urgens,
(Quis credat?) collum luxat amica mihi.
Ilicet, ecce, humero incubuit caput; atque ſoluta
Cervice, ipſa ſimul ſemita clauſa cibo eſt.
Hoc quoque vix potui ſuppreſſâ voce profari,
Es mihi tu raræ, Cypria, cauſa necis.

Ad quod haud dubie alludens *Joh: Secundus Hagienſis N: Grudii* Frater hoc compoſuit Epigramma.

Inter opus medium laſcivâ morte ſolutus,
Hic ſitus eſt, & init jam Menelaus humum.

Quæ omnia gravia ſymptomata ex ſpirituum, immodico coitu nimis diſſipatorum, inopiâ provenire ſolent; unde calor corporis minuitur, circulatio ſanguinis retardatur, tranſpirationes impediuntur, ſicque cruditates, & obſtructiones multæ corpori obveniunt.

OBSERVATIO VII.

Vibriſſæ evulſæ mortis cauſa.

Viles, & exigui ſæpenumero momenti res ſunt, quæ mortem nobis feſtinant. Experientia enim docuit externam tantum punctionem ab ape, vel alio quodam inſecto factam, aut læſionem quandam à parvâ feſtucâ, vel ſpinâ piſciculi, deglutitionem pili, acini uvæ, muſcæ, culicis, ſimiliumque plurium, mortis non ſemel fuiſſe cauſas.

Sic nuper mihi per literas ſignificavit (cum plura tranſmitteret) *D. Joh. Ludov. Hannemannus Phyſ. in inclytâ Chriſt-Alberti Academiâ Chilonenſi* Profeſſor Tribuno cuidam Suecici exercitus Buxtehudæ in Comitatu Bremenſi per pilo-

pilorum tantum è naribus evulſionem primo quidem narium, mox & cerebri inflammationem, tandem vero ipſam ſuperveniſſe mortem.

IN OBSERVATIONEM VII.

HUmoribus corporis noſtri per hunc, illumve in Diæta commiſſum errorem debito temperamento deſtitutis, vel acribus exiſtentibus, levis quandoque dolor inflammationem producit, atque ita quidem exiguæ cauſæ externæ magnum afferre poſſunt corporibus detrimentum.

Certum eſt membranam naſum intus cingentem ſenſibilem admodum eſſe, magnamque cum meningibus habere ſympathiam, à quibus etiam multas, diverſaſque acquirit fibrillas præſertimque unam, quæ adeo manifeſte ibidem apparet, ut *Andr. Veſalius* inde naſi tunicam provenire credat: unde facile contingere poteſt, ut, eâdem, ſive vibriſſarum evulſione, ſive fortioribus ſternutatoriis, vel iterata vellicatione, aliave tandem acriori re irritatâ, gravia oriantur ſymptomata, imo etiam corporibus intemperatioribus ipſa superveniat mors, quamvis nullus diffitear alium præ alio membranis ſenſibilioribus uti. Acutiſſimi in hiſce membranis ſenſus exemplum exhibet *Godofredus Schubartus miſcell. med. phyſ. German. ann.* 3. *obſ.* 138. *fol.* 227. in quadam

dam virgine, & *Amatus Luſit. cent. 4. curat. 3. fol. mihi* 369. in Juvene quodam, qui nonnunquam adeo fortiter, & ſæpe ſternutarit, ut cum hominibus converſari erubeſceret.

Joh. Anthon. Lindanus Medicinæ olim in Academia Lugduno-Batava Profeſſor tradit *Med. ſuæ Phyſiol. cap.* 12. *art.* 1. §. 15. *fol.* 532. celebrem quendam ſe noviſſe Medicum, qui, cœlo ſicco, & acri, ſæpiſſime, ac vehementer ſternutaret, ita ut tali caſu naſum intus tepido lacte dulci humectare cogeretur, quo etiam modo curaſſe ſe dicit *Foreſtus lib.* 10. *obſ.* 127. ancillam vehementer admodum, ac ſæpe ſternutantem.

Conr. Victor Schneiderus lib. 5. *cap.* 1. *de catarrh. pag.* 62. *Narium*, ait, *inflammationem comitantur gravitas, dolorque capitis, arteriarum capitis pulſus citatior, ſonitus aurium, delacrymatio, narium pruritus, libidoque emungendi, jugis ſternutatio, amiſſio ſenſus odoratus, vitium vocis, tandemque fluor ipſius humoris. Sique cerebrum nimio, fortioriſve cujuſdam vini hauſtu, vel aliis modis incaleſcat, eo caſu ſanguis, aliuſve acris humor à membranis cerebri prodiens narium tunicam vellicare non deſinet.*

Non fuit itaque adeo mirum, ſi ad membranas naſi illius Tribuni evulſione primo irritatas, cujus humores forſan commiſſi in diætâ errores fecere intemperatos, humor aliquis acer per

duc-

ductum arteriarum delapſus fuerit, unde ipſæ quoque meninges, quæ magnam, uti diximus, cum naſi tunicis communionem habent, inflammatæ fuerint.

OBSERVATIO VIII.

Mirandum oculi vulnus.

INter dona illa omnia, quæ nobis largitus eſt Deus T. O. M. nullum, meo quidem judicio gratius eſt, aut nobilius viſu, hic namque non tantum hominem idoneum reddit ad victum, & amictum ſibi comparandum, ſed & reliquas Dei Creaturas dignoſcendas, diſtinguendaſque, ut eaſdem contemplatus erecto ad ſidera vultu Creatorem tanto magis ſuſpiceret: Hinc non ſine ratione cæcos vocamus miſeros, duoſque propter maximam viſus neceſſitatem omniſcius Deus homini conceſſit oculos, quorum alterutro forte amiſſo, alter homini inſerviat.

Exemplum alterutrius oculi pungente gladio amiſſi hic videre eſt in *Guilhelmo Arthon*, cujus oculi dextri canthus major


tab:1
fig:1
B
C
B
A
fig:2
D
fig:3

jor 31. Octob. an. 1674. gladio tenuiore, ita fuit læſus, ut ipſius enſis lamina ibidem fuerit rupta, ejuſque portio quædam medium longitudine excedens adulti viri digitum (qualem fig. 1. ad literas B. B. exhibet) remanſerit; hoc itaque in ſtatu *Cornelium* adiit *Solingium* Medicum, & Chirurgum Hagienſem qui illud gladii fruſtum non ſine magnâ vi, & moleſtia forcipe extraxit, nam propter magnam longitudinem forſan penetraverat ad os ſphænoides, ibidemque fixa permanſerat: extatque etiam in hunc uſque diem ipſum ſanguinis (quod notatu dignum eſt) in dicto fruſto veſtigium ad longitudinem litera C. notatam; læſus tamen remanente quidem iſtius oculi cæcitate, percuratus eſt.

IN OBSERVATIONEM VIII.

OCulorum vulnera, præſertimque orbitam ipſam penetrantia, periculoſa admodum eſſe, ita ut inde viſu non tantum quis privetur, ſed & nonnunquam paralyſis, apoplexia, memoriæ defectus, imo ipſa mors proveniat, teſtantur inter alios *Rhodius obſ. med. centur.* 1. *cap.*28. *pag.*51. *Joh. Schmidius miſcell. med. Phyſ. curioſ.* *an.*

an. 8. *obſ.* 83. *fol.* 140. *Thom. Bartholinus act. Haffn. tom.* 1. *obſ.* 78. *fol.* 68. *Marcell. Donatus de hiſt. med. mirab. lib.* 5. *cap.* 4. *fol.* 565.

Verum noſtro *Guilhelmo Arthon*, felicior fuit mendicus ille Patavinus, cujus meminit *Bartholinus obſ. centur.* 2. *hiſt.* 71. *fol. mihi* 270. Hujus oculi angulum ventilabri facto manubrio quidam ita offenderat, ut relicta in oculo fuerint ligni fruſtula, quorum quædam cum extraxiſſet induſtrius *Marchettus*, ſanatum uti apparebat, ex Noſocomio dimiſit juvenem, reverſus vero poſt aliquot menſes conquerebatur de tumore in faucibus, & palato, quo aperto durum aliquod corpus in palati tumore deprehenſum fuit, quod ligni erat fruſtum ex prioris vulneris reliquiis, huc viâ incognitâ protruſum.

Tumque ſecuriore recuperatâ valetudine lignum extractum collo ſuſpendit, urbemque circumiens miraculoſe ſe ſanatum clamitavit. Quæ Hiſtoria narratur etiam à *Petro de Marchettis obſ. Chirurg.* 23. *fol. mihi* 59.

Joh. Langius Epiſt. med. lib. 1. *Epiſt. fol. mihi* 31. Mentionem facit civis cujusdam nomine *Neudegker* ex civitate celeberrimâ Ambergenſi in palatinatu ſuperiori.

Hic debita, ait, *exacturus in quendam* pagum
„ peregrè ibat, & dum cultello oblongo rapum
„ ex agro proximo evulſum excorticaret, & ob
„ itineris lubricitatem pedibus vacillaret, pro-
„ nus cum oculo in cultellum cadens, oculum
„ ab

„ ab inferiori palpebrâ ad ſupercilium uſque per
„ medium diſſecuit. Chirurgi vero accerſiti,
„ ne putredo intra cranium ſerperet, oculum ex-
„ cidere ſtatuerant, id civis quidam citra mei ab-
„ ſentis conſilium fieri nolebat. Veſperi vero,
„ quum domum ab ægro, quem inviſeram, re-
„ diiſſem, vidi oculum ad ovi gallinacei magni-
„ tudinem intumuiſſe, quare quamprimum,
„ ne oculus ob dolorem, & humoris alluviem
„ phlegmone corriperetur, eum unguento de
„ alabaſtro illevi & album ovi, addito caphuræ,
„ momento, cum oleo, aquâ roſarum diſſolu-
„ tum, & ſpleniis exceptum, ſupra oculum
„ applicui, quibus tumor deſidebat, & tandem
„ oculi recens vulnus, citra phlegmonem, &
„ ſuppurationem conſolidavi.

Hîc jam exoritur quæſtio, an ſcilicet humor aqueus poſt inflictum vulnus egreſſus ita reſtitui poſſit, ut viſus recuperetur?

Hoc non ratio tantum docet, ſed & confirmat experientia. Quantum enim ad prius, veroſimile eſt humoris hujus aquei portionem quandam indies per membranarum oculi poros avolare, præſertimque in iis, qui continue ad ignem operari coguntur: tales autem in oculorum membranis exiſtere poros microſcopiis evidenter pateſcit.

Tradit idem *Langius* illum, de quo agit, *Neudegker*, viſum ſuum recuperaſſe, remanente tantum eo incommodo, quod ebrio ſimi-

 lis,

is, omnia conſpiceret geminata. Cujus phænomeni cauſa erat ejus pupilla infimæ palpebræ nonnihil agglutinata, inferioremque alterâ habens locum; ſi enim cryſtallinus alterius oculi humor è loco ſuo, ſive verſus ſuperiora, ſive inferiora, aliquantulum fuerit dimotus, omnia (teſte *Galeno lib. de cauſis ſymptom. cap.* 2. *fol. mihi* 14) geminata apparent. Poſtea tamen illud, ut ait *Langius*, continuâ oculi motitatione vitium evanuit, unde pupillâ ab infimâ palpebrâ ſolutâ apparentium duplicitas ceſſavit.

Ad præcavendam vero illam oculi cum palpebrâ agglutinationem, utrâque illâ parte læſâ, neceſſum erit digito nonnunquam ultro, citroque impellere. Quem etiam in finem nonnulli duplex, vel triplex aurum foliatum oculo imponunt.

Simile quid reperias apud *Benivenium de abdit, & admir. morb. & ſanat. cauſis cap.* 73. *fol. mihi* 242, de puellâ quadam quatuor annos natâ, cui, dum nodum in panno ſolvere acuto gladio niteretur, reſiliens mucro oculum dextrum percuſſit: quo perforatâ ipſius oculi tunicâ, plurimus ſtatim inde fluxit humor; quare etſi viſum prorſus amiſerit, ipſum tamen haud multo poſt rite curata recepit. Tanta enim ineſt vis tenellæ ætati, ut hunc ipſum (quod ſæpe accidit) in integrum reficere poſſit.

G. Fallopius tract. de vulneribus particul. cap. 3. *fol. mihi* 199. teſtatur ſe ejuſmodi oculorum

lorum vulnera abſque viſus privatione ſæpius percuraſſe: præcipue autem in octuagenario, cui vi depoſita fuit ſuffuſio ſeu cataracta; dum autem acus exempta fuit ex oculo, magna copia humoris aquei effluxit, cum tamen tertio die appareret oculus ipſo humore plenus, neque quidquam mali propter effluxum humoris, quantum ad viſionem, paſſus eſſet.

Nicol. Tulpius obſ. med. lib. 1. cap. 30. fol. mihi 64. ſibi etiam hujuſmodi oculi vulnus occurriſſe ſcribit, in quo non tantum aqueus humor effunderetur, ſed & membrana ſubſideret uvea, hebeſcente inde adeo viſus acie, ut ne admotæ quidem candelæ conſpicere poſſet lumen; illud tamen curavit per anodyna, & exſiccantia, remanente viſus officio naturali, at imbecilliore, ob cicatricem uveæ à vulnere relictam.

Ophthalmiſta quidam affirmabat humorem illum ſemel amiſſum reſtitui neutiquam poſſe, quia acu pertuſâ in ſuffuſione oculi tunicâ, prædictâque ſuffuſione ſolutâ, putabat ſe eandem ſuctione attracturum, verum non membranam tubulo, ſed humorem aqueum attrahebat, unde oculus flaccidior evaſit, & minor, dictuſque humor poſtea accreſcere non potuit: unde concludebat illud experimentum nunquam poſſe ſuccedere: verum, mehercle, aliter ſe habet humor aqueus in ſuffuſione, quam in recenti vulnere; ejus enim reſtitutio illo caſu impeditur, quia tunicæ uveæ glandulæ operationem

ſuam, ſive ſequeſtrationem humorum non ita recte abſolvunt, quod materiâ pituitoſâ, viſcidâque obſtructæ ſint.

Quid autem cauſæ eſt, quod oculorum alterutro læſo uterque occludendus ſit? Reſpondemus, quia moto uno, movetur & alter, unde dolor oculi læſi adaugetur, & ſanatio, quæ quietem requirit, impeditur.

Sunt qui multa gloriantur de medicamento humores ex læſis, vulneratiſque oculis egreſſos reſtituente, inter quos præcipuus quidem eſt *Franc. Joſeph. Burrhus*, qui eum in finem utebatur aquâ quâdam (uti tradit literis ad *Thom. Bartholinum an.* 1669. menſe Februarii) ſuper folia chelidonii, addito parum Camphoræ, in B. M. deſtillatâ, poſtea tamen dicit ſe meliorem inveniſſe, quæ non ſine magno labore magniſque præparari queat ſumptibus. Alii huic rei aptos exiſtimarunt humores è vivorum animalium oculis eductos.

Verum quidem eſt chelidonium, ſive hirundinariam majorem priſcis medicis ad ſananda oculorum vitia valde fuiſſe laudatam, præſertimque in ſuffuſione, ſive cataracta, ſuccus enim iſtius herbæ valde detergens eſt, & diſcutiens, ſive diſſolvens: verum an ſuccus ille tantis gaudeat viribus, ut humores è vulnere ejectos denuo poſſit ſuppeditare, ipſe equidem vix crediderim exiſtimans hujuſmodi oculorum vulnera non externis remediis, ſed novi humoris affluxu ſa-

ſanari. Si vero ejuſmodi reperiretur ars, qua humores amiſſi poſſent reſtitui, circulatio revera humorum in oculo fruſtanea eſſet, ſuperfluique eſſent ad viſum tres diſtincti humores, ſi ſola injectione viſus poſſet recuperari. Verum enim vero taliſne gloriatio Creatorem corrigere velle videtur, artemque præferre naturæ, reclamante tamen ratione, & experientia? Fieri nequit, ſcribente *Th. Bartholino act. tom.* 1. *fol.* 153. ut aquâ chelidonii majoris, vel alio quocumque liquore, ſive ſint membranæ, ſive ligamenta, ſtillatitio rupta omnia, reſarciantur.

„ Quis rerum naturæ gnarus ab aqua deſtil-
„ lando per alembicum evocatâ membranas,
„ & ligamenta ſperet? Quin etiam ne quid
„ diſſimulem, ex quo didici aquam illam *Bur-*
„ *rhianam* ophthalmicam deſtillando parari
„ (neque enim Amſtelredami viſis experimentis
„ ejus, & Epigrammate honoratis, id ſcieram)
ſtatim ita mecum; aqua illa acuit haud dubie viſum, & labra vulneris oculi ad cicatricem forſan diſponit, reſtituere tamen craſſos oculi humores, ſolius naturæ eſt. Hactenus *Bartholinus.*

Hinc quoque nihil ad accretionem, ſive reſtitutionem aquæ magis requiri quam cicatricis productionem *Tulpius* ſcribit.

Anne autem & Veteres reſtitutionem illam humorum in oculis ſciverunt? *Galenus lib.* 1 *de*

 cau-

cauſis ſymptom. cap. 2. fol. mihi 15. *Incredibile quiddam,* inquit, *nec fieri vulgo ſolitum in puero vidimus, qui ſtylo in pupillæ loco fuerat compunctus. Nam cum ſtatim effluxiſſet aquoſus humor, tum pupilla ipſa minor eſt reddita, tum tota cornea apparuit rugoſior: cæterum ſanatus, poſtea recte vidit, collecto ſcilcet paulatim eo, qui effluxerat, humore.* Verum hæc rara ſunt.

C. Plinus lib. 29. *hiſt. natural. cap.* 6. muſtelæ, inquit, virideſque lacertæ, oculis perforatis, & læſis viſum reſtituere dicuntur: indicantque porro ejuſdem rationes id abſque medicamentis ipſâ naturâ, & ſponte fieri.

Avibus, præſertimque hirundinibus, viſum amiſſum ſponte reſtitui jam olim indicavit *Corn. Celſus lib.* 6. *cap.* 6. *ſub finem fol.* 578. *Hirundinibus, inquit amiſſa ex vulnere oculorum acies interpoſito tempore reſtituitur ſenſim, jacturâ ejus humoris reparatâ.*

Idem confirmat *Ariſtoteles lib.* 6. *de hiſt.* Ani*malium.* Licet enim hirundinum lædantur acie quadam oculi, imo & effodiantur, hos tamen de novo accreſcere, viſumque iis redire tradit.

Patet itaque adductis exemplis circulationi, affluxuique ſoli humorum, non vero prædictis artificialibus aquis, vel aliis externis remediis, adſcribendam humorum in oculis reſtitutionem: idque tanto magis, quanto plura fecerunt eum in finem experimenta multi Philoſophi, Medici, Chirurgi, Anatomici, perforando tunicas corneas

neas anſerum, gallinarum, ovium, columbarum anatum, &c. phlebotomis, & acubus humores omnes digitis exprimendo; relictis enim vulneribus, ſine ullâ remediorum impoſitione, viſus, & humores ſponte fuerunt reſtituti, & quidem intra breve tempus, remanente tantum cicatrice quâdam, quæ ſucceſſu temporis minuebatur, imo etiam (teſte *Burrho*) plane evaneſcebat.

Ita etiam *Fr. Rhedi* ſe vidiſſe refert viſum iſtis animalibus intra viginti quatuor horarum ſpatium fuiſſe reſtitutum abſque ullâ remediorum externorum applicatione.

Si quis autem remedium aliquod ad arcendam inflammationem initio, cicatricemque producendam adhibere velit, non inutiliter aquâ plantag. cum bolo, album. ovi, & granis aliquot Camphoræ utetur.

Optimum vero, meo quidem judicio, remedium externum eſt, ſi oculus vulneratus, quantum fieri queat, optime operiatur, & ab aêre defendatur, ſic enim non tantum citius generabitur cicatrix, verum humores reſtituentur. Vidi aliquando unà cum aliis Medicis Dexterrimum Anatomicum noſtrum *Anthon. Nuck* tunicam utriuſque pupillæ caninæ diſſecuiſſe, ita ut omnis illico efflueret humor aqueus; poſtridie vero, deligato tantum ſimpliciter vulnere, abſque aliis remediis idem humor reſtitutus erat, cicatrice tamen valde molli, & tenerâ, quæ indies accreſcens ſolidior evaſit.

Th. Barthol. act. med. tom. 1. *cap.* 69. *fol.* 151. refert *Olaum Borrichium* virgunculam quandam ſeptennem ſanaſſe, quæ ferreum uncum improviſo ictu in medium impegerat oculum vulnere ita profundo, & amplo, ut proximo triduo non ſolum quicquid humoris aquei, ſed & quicquid vitrei eſſet, effunderetur; id quod craſſamentum cocto leviter ovi albumini ſimillimum continuè effluens clarè oſtendebat. Hiantis ergo oculi foramen ſenſim perducebat ad cicatricem ratus fore, ut ex cerebri vaſis, ſive arteriolis tunicarum ejus, paulatim tantum in vacuum pene locum diſtillaret humoris, quantum implendo oculi bulbo ſufficeret; Illum autem ipſum liquorem omni alio peregrino convenientiorem eſſe. Deſtillare autem aliquid ipſi videbatur ex eo, quod oculi in perpetuo motu, & calore verſarentur, atque adeo non poſſent non quotidie aliquid exhalando amittere, in cujus locum aliquid continuo ſuccedere neceſſe eſt, ne bulbus oculi flacceſcat, tum quod ægrotantium oculos in morbis, præſertim ardentibus, flaccidiores videamus, humore, qui ex cerebri vaſis alias ſubminiſtrari ſolet, aliò tranſlato, convaleſcentium autem, & ſanorum vividos, & humoribus ſuis refertos.

Addit & idem in præcedentium confirmationem humoris aliquid ſolo moderato preſſu ex quibuſdam bulbi oculorum bubulorum poris proſilire, obſervatore *Clariſſ. Stenonio*: Nec, inquit idem

idem, fefellit eventus; quamquam enim impotuoſus ictus omnia confuderit, & ligamentorum ciliarium appendices vel diſtorſerit, vel diſruperit, hoc eſt, certam viſui objecerit deſperationem impletus tamen bulbus eſt, & viſus non plane abolitus, ut qui ad certas Lunæ phaſes jam tum recurreret.

Contingit autem, ut vulnera oculorum lapſu, ictuve obtuſiorum quorundam inſtrumentorum facta ſæpius ſequatur cæcitas: quia inde non humor tantum aqueus plerumque effluit, ſed ſimul etiam membranæ & ligamenta, vel etiam quidam nervorum rami læduntur, cum contra in vulneribus pungendo, ſive peritâ quadam manu in brutis, ſive infortunio quodam in hominibus factis humores non niſi lente, & abſque contuſione, vel laceratione emittantur.

Sunt, qui aqueum hunc humorem partem oculi vivam, & ſeminalem appellent: alii vero excrementum tantum ex nutrimento cryſtallini humoris procedens vocant. *Realdo Columbo de re Anat. libr.* 10. *fol. mihi* 403. humor aqueus excrementum eſt, quia bis ſe vidiſſe refert poſt inflictum vulnus, eundem amiſſum fuiſſe reſtitutum, viſumque recuperatum.

Joh. Riolan. ſect. 4. *Anat. cap.* 50. *fol.* 551.
,, Si verum ſit, inquit, eum humorem ex vul-
,, nere emiſſum regenerari, oculorum acie re-
,, ſtitutâ, lubentius eorum opinionem amplec-
,, tor, qui excrementum eſſe ſtatuunt. Idem

confirmat *G. Fabrit. Hildan. Schol. obſ.* 26. *centur.* 1. *fol.* 27. dicens ipſum eſſe excrementum quoddam ex vaſis tunicæ uveæ ſanguiferis ſecretum, quæ circa humoris aquei locum terminantur, aſſeritque idem *Plempius Ophthalmographiâ ſuâ.*

Thom. Barthol. lib. 3. *cap.* 8. *de Anat. oculi fol. mihi* 350. de dicto humore ſequentem fatur in modum: „ hic humor non eſt pars animata, ſed „ tantum excrementum eſſe videtur ex nutritione „ cryſtallini; nam & in morbis abſumitur, & in „ vulneribus oculorum deperditus, reſtituitur; „ certum autem eſt omnia, quæ antea intra oculum „ deducta erant, & ex quibus producti erant humo- „ res, per circulationem ſanguinis, deficientibus „ humoribus, iterum ſuppeditari, & reſtitui.

Hinc quoque *Galenus lib: de oculo cap*: 1. alibique, ſtatuit cryſtallinum humorem, nutrimentum accipere à vitreo, hunc autem à cerebro provenire; dicitque nutritionem ſuppeditatione novi nutrimenti fieri: ita ut doctrina illa de humorum amiſſorum reſtitutione cum *Galeni* ſententiâ omnino conveniat,

Quæritur autem, anne & ipſe reſtitui poſſit humor oculi cryſtallinus?

Affirmat *Burrhus*, modo nervus opticus, ejuſque rami manſerint illæſi, tunc enim ab affluente latice nervoſo reſtituitur:

Convenit *Kerkringius, qui obſ. anat.* 100. *p. mihi* 198. non tantum cryſtallinum, ſed & reliquos

quos humores reſtitui poſſe ſtatuit, ſcribitque idem *fol.* 291. ſeſe, etiamſi humores omnes è bruti cujuſdam oculo fuerint expreſſi, medicamento tamen nobili, eumque in finem invento effecturum, ut brevi viſus reſtituatur, affirmatque ſe diſſectionem illam ter quidem in uno, eodemque cane inſtituiſſe, ſemperque curationem feliciter ſucceſſiſſe.

Thom. Barthol. act. an. 1. *cap.* 133. *fol: mihi* 265. ſe integrum humorem cryſtallinum è gallinæ cujuſdam oculo expreſſiſſe ait, quæ poſtea, occluſo oculo ſano, non quidem æque feliciter, ac ante (forſan quia nondum erat adſueta) grana collegerit, licet iis veſci non deſierit. Ut autem certior redderetur, an ipſe cryſtallinus humor regenerari poſſet, poſt octo hebdomadas gallinæ capite amputato, oculum læſum diſſecuit, & hunc pari fere felicitate, ac reliquis ſolet animalibus, renatum invenit, licet nondum ad debitam perveniſſet magnitudinem, ſano enim minor aliquanto erat. Forſan ſi gallina, inquit idem, diutius fuiſſet ſervata, cryſtallinus ille humor perfecte fuiſſet reſtitutus.

Taliſne autem cryſtallini humoris reſtitutio æque in homine ſuccederet, valde equidem ego dubitaverim, quoniam idem *Bartholinus lib.*, *& cap. eodem fol. mihi* 266. tradit purpurati cujuſdam pueri in aula Danica è nobili ſtemmate oriundi alterum oculum ita fuiſſe læſum, ut omnes humores, quâ data via, elapſi fuerint,

ad

ad quem juſſu Regis vocatus ſit *D. Burrhus* ut eâ, quam præ ſe ferebat, arte & humores & viſum ægro reſtitueret. Sed ille difficultatem ſubolens, ſubterfugium in dierum aliquot morâ venabatur, quorum prætextu ſpecioſum artis ſuæ commentum tueretur; ita ut tandem ad eum advocatus Vir celeberrimus, & in omni meliore literaturâ excellentiſſimus *D. Henricus à Moinichen*, Regis digniſſimus Medicus, poſtquam *Bartholinum* ſibi elegiſſet ſocium, nihil eorum, quæ cum ad ſanitatis reſtitutionem, tum ad artis incrementum facere videbantur, prætermiſit, ſed tantum abfuit, ut vel aqua chelidonii, vel aliis in ſubſidium vocatis reſtitui potuerit, ut etiam hodie factitium ex auro geſtet oculum. De quo uſurpandi modo ſcripſerunt *Henr: Petræus Encheirid: Chirurg. tr.* 8. *cap.*4, *Paræus lib.* 22 *Chirurg. cap.* 1, *Daniel Sennert. lib.* 1 *part:* 3 *Sect:* 2 *cap.* 40 *de oculorum defectu fol.* 319, *Schenkius fol.* 176 *aliique.*

Cryſtallinum humorem reſtitui non poſſe etiam *G. Fabrit. Hildan. centur.* 1. *obſ.* 26. *fol. mihi* 27 teſtatur, quia præcipuum, ut ait, viſionis eſt organum, propriâque arachnoide (propter ſubtilitatem ita dictâ) includitur, quâ diſruptâ, cryſtallinus humor officio ſuo amplius fungi nequit.

Notandum etiam eſſe idem ait, pupillâ læſâ, quamvis cryſtallinus humor illæſus, aqueuſque reſtitutus fuerit, viſum tamen rite reſtitui non

poſſe

oſſe, ſiquidem inevitabilis cicatrix impedit, uo minus radii ab objectis penetrare queant ad umorem cryſtallinum, quamvis *Burrhus* cica-icem temporis ſucceſſu evaneſcere dixerit.

OBSERVATIO IX.

Oculi Procidentia.

COrpora noſtra innumeris obnoxia eſſe morbis vel hinc patet, quod irca membrum minimum, oculum videlicet, olim à *Jacobo Guillemæo*, experto 1 Gallia Chirurgo centum ferè vitia, unctâ & ſanandi ratione, ſint deſcripa, quorum tamen numerus à recentioum nonnullis (præſertim *Joh. Verbrigge*) uper adauctus eſt ad centum, & treecim, inter quæ haud minimum eſt culi ex orbitâ procidentia.

Ante aliquot annos puella quædam nnorum quindecim meæ committebaur curæ, cui variolas paſſæ oculus proidit, quod malum *G. Fabrit. Hild. exphthalmiam* dicit.

Poſtea autem trigeſimo menſis May nno 1683 hic Hagæ curandam ſuſcepi puel-

puellulam quandam bimulam, cui tertiâ poſt erumpentes variolas hebdomadâ oculi etiam prolapſus ſuperveni non ſine ipſius pupillæ ulcere. Qua tamen ſymptomata (quamvis cum pupillæ jacturâ) intra tres hebdomadas ſequentibus ſublata ſunt remediis.

Primò ſcilicet ad dolorem ſedandum ſimulque inflammationem, quantum fieri poterat, avertendam, oculo ſequens applicabatur cataplaſma.

℞. *Micæ panis alb.* ℥j.
lactis dulc. q. ſ.
Coq. ad conſiſtentiam pultis,
dein adde vitell. ovor. n°. ij
Ol. roſar. ℥ij.
pulv. croci ʒß.
Camph. ℈ß.
Fiat Cataplaſma.

Hoc remedio dolor, & inflammatio intra biduum minuebantur admodum, tumorque oculi adeo ſubſidebat, ut intra eundem guttæ aliquot lactis muliebris tepidi infundi potuerint. Poſtea plumaceolis quibuſdam occludebamus ipſius oculos, ſequenti unguento delibutos,

tos, porroque præcedens impoſitum fuit cataplaſma, quod bis de die iterare juſſimus, unde tandem, ſine ulteriori pupillæ exulceratione, intra dicti temporis ſpatium ad ulteriorem pervenit ſanitatem. Unguentum vero erat hujuſmodi.

℞. *Mucilag: ſem: cydon.*
pſyllii aq: plant: extr: q. ſ:
Ung: roſar: ℥j.
M: F: Ung: molle.

IN OBSERVATIONEM IX.

QUamvis quibuſdam hominibus veluti naturalis ſit oculorum exitus, uti liquet in iis quibus oculi majores, craſſioreſque, bovinorum in morem, prominent, quibuſque nulla adhiberi ſolent remedia; animadvertimus tamen ſæpe hoc qualecumque vitium ab internis, quamvis utplurimum ab externis produci cauſis.

Interne exophthalmia à maligno quodam tumore, primo inflammationem deinde & exulcerationem producente oritur, unde venæ, & forſan etiam vaſcula lymphatica premuntur, ita ut per eorundem canales circulatio humorum rite peragi nequeat, ſed ad novos oculares meatus, non ita pridem ab expertiſſ., & indefeſſo noſtro

Anato-

Anatomico *Anth. Nuck* unà cum ducta ſalivali novo detectos, uberior exoriatur humorum ſecretio: quapropter continuo hoc humoris ad oculum affluxu, impeditoque refluxu filiolæ, quâ de loquimur, oculus indies intumuit, ac verſus exteriora propulſus eſt, ita ut palpebrâ obtegi non potuerit.

Memorat etiam *G. Fabrit. Hild.* ſe hoc quicquid eſt vitii in puello quodam *Loſannæ* habitante poſt variolas animadvertiſſe.

Similis quoque oculi prominentia à ſcirrho juxta oculum provenire poteſt. Qua de re vide *Marcell: Donatum lib. 5. cap: 4. fol. mihi* 568, *G: Fabrit: Hildan: cent: 1. obſ. 1, Job: de Muralto obſ.* 126. *miſcell. cur. German. decur.* 2. *an.* 3, *Fel. Platerum lib. 3. obſ. fol.* 719, & *Petr. Pauw obſ.* 23. *fol.* 38.

Veroſimile eſt prominentiam oculorum poſt variolas ſeſe manifeſtantem proveniſſe, vel quod nimis fregefactans aliquod collyrium inflammatis oculis tempore variolarum fuerit applicitum, vel quod laborantes nimis mature, & intempeſtive frigido ſeſe expoſuerint aeri, ita ut maligna illa materia commode nequiverit tranſpirare externo aëre frigido coagulata, & condenſata.

Contingit etiam nonnunquam, ut malum hoc ab impura lue venerea originem habeat, quo caſu partem affectam aqua, unguentove mercuriali, aliis tamen haud omiſſis, humectare præſtat.

G. Fa-

G. Fabrit. Hild. hujuſmodi oculi vitium ex furunculis natum, qui copioſe pueris orti, & intempeſtive repulſi fuerant, vidiſſe ſe ſcribit. *Nic. Tulpius obſ. med. lib.* 1. *cap.* 28. *fol. mihi* 61. exemplum habet filiæ cujuſdam, cui poſt impeditum menſtruum fluxum immenſum obvenerat ſanguinis per nares profluvium, quo citius, quam par erat, ob iracundiam ſuppreſſo, omnis illico inhibiti ſanguinis impetus in oculum dextrum converſus eſt, qui inde uſque adeo intumuit, ut ſede ſua propulſus mirum in modum puellæ faciem deformaverit, ita ut non obſtantibus multis ſaluberrimis conſiliis, auxiliiſque, malum illud curari non potuerit, ſed in carcinoma, cujus pus adeo acre eſſet, ut vitiata inde forent, exeſaque narium oſſa, degenerarit. Quapropter tali caſu (quando ſcilicet malum eo uſque nondum proſerpſit, ut vicinarum partium, ſubjectorumque oſſium corruptela fuerit ſuborta, ægri viribus etiamnum integris, totum quantum excidere utilius fuerit. Cujuſmodi exemplum, methodumque prolixe exhibet modo adductus *G. Fabrit. Hildanus obſ. cent.* 1. *cap.* 1. Caute tamen proſpiciendum eſt, ut totus auferatur oculus, ne minimâ quidem portione relicta: radice enim mali in imis oculi penetralibus ſuperſtite, provenit denuo ſubitanea, & horrenda excreſcentia, teſte eodem *Hildano cent.* 6. *obſ.* 1. *fol.* 498. ut & *Nicol. Tulpio loco adſcripto.*

Externæ procidentiæ oculi cauſæ ſunt lapſus, allifio, vulneratio, magna preſſio, flatus fortior, iteratuſque, vehemens vomitus, & laborioſus, moleſtuſque partus, colaphus, ictus pilæ, lapidis, alteriuſve duræ in oculum materiæ. Exoriuntur etiam hujuſmodi prolapſus nonnunquam poſt graves capitis contuſiones, & ictus, utut abſente vulnere, modo ſanguis intra caput extravaſatus, commodo exitu non reperto, delabatur ad oculum: quale quid ſibi viſum tradit *G. Fabrit. Hildanus centur.* 5. *obſ.* 12. *fol.* 398.

H. ab Heers obſ. med. lib. 1. *obſ.* 4. *fol.* 49. Hiſtoriam viri cujuſdam habet, cujus alter oculus ab hoſtibus cultro omnino fuerat exciſus, alter verò digitis uſque ad extremitatem naſi orbitâ expreſſus, ejuſdem & parte quadam cultro præſciſſâ, ubi pendulum illum ſuper genam reliquerant: hic vero ſatis commode tamen viſu fruens chirurgi domum adierat, qui oculum cavo ſuo, ſive orbitâ repoſitum aliquamdiu obligavit, ſanumque poſtea hominem, ac bene ſe habentem dimiſit: Sed affirmaverat idem ſeſe (quod equidem mirandum eſt) propendente oculo ambulantem viam, qua incedendum eſſet, optime vidiſſe, ſed tamen cum agitatione quadam; ſive fluctuatione, qualis in ſuperficie fluminum vento agitatorum vulgo obſervatur; quæ haud dubie orta fuit, quod oculus, nervuſque opticus, dum moveretur, inconſtantes

tes admodum receperit rerum viſibiles imagines.

Verum quærat hic quiſquam, quo pacto fieri potuerit, ut oculus ita propenderit abſque ipſius nervi optici ruptione?

Andr. Spigelius omnes corporis noſtri nervos, atque adeo & opticos, ingentem in longitudinem extendi poſſe demonſtrat. Habet & ille itidem pueri cujuſdam exemplum, cui oculum lapis jactus extra orbitam excuſſerat, ut ad medium uſque propenderet naſum, hic tamen Chirurgi dexteritate adeo lente, recteque reponebatur, ut nullum remanſerit vitium.

De ſimili etiam ſymptomate ictu baculi exorto *Joh. Baptiſt. de Lamzweerde obſ. 69. fol. 269. agit*, quem ægrum nullo ſuperſtite viſus defectu, ſequentis Cataplaſmatis beneficio perfecte ſe curaſſe refert.

℞. *Herb. malv.*
biſmalv.
rut.
Semperviv. ā mj.
Far. Hordei
lin. ā ℥ß.
Camphor.
Croci ā ʒß.
Ol roſar. ℥ iſ.
Lact. muliebr. ℥ij.
Aq. roſar, q. ſ.
fiat Cataplaſma.

Hoc autem coquendum non eſſe ait, ſed quavis vice ad uſum ſimpliciter miſcendum, ſicque tepidum imponendum. De Unguento quodam ſimul cum illo cataplaſmate adhibito videri poterit idem dicto loco.

Fr. Joſephus Burrhus epiſt. ad Thom. Bartholinum oculi prominentiam collyrio quodam adſtringente, emplaſtroque defenſivo *Vigonis* collo applicito, ſe ſuſtuliſſe ſcribit,

Nullum efficacius reperiri ad tollendam oculi procidentiam remedium cucurbitulâ quâdam magnâ ſine ſcarificatione, poſteriori capitis parti applicitâ jam olim, teſte *Joh. Rhodio obſ. med. cent.* 1. *obſ.* 84. *fol. mihi* 54. *Aldrigettis* Medicinæ Profeſſor Patavienſis docuit. Quale quid etiam aſſerit *Ætius tetrab.* 2. *ſerm.* 3. *cap.* 24. *fol.* 340. qui, inflammatione decreſcente, poſteriori capitis parti cucurbitam admovendam ait, cui adſtipulatur *Actuarius meth: med: lib:* 4. *cap:* 11. *fol. mihi* 328.

Lud: Duretus not: ad Jacob: Hollery lib: 1. *de morb: intern: cap:* 20. *fol: mihi* 152. cæcitatem nobilis cujuſdam Virginis à lapſu exortam ſimili cucurbitulâ poſteriori capitis parti adhibitâ ſubito fuiſſe depulſam tradit.

OB-

OBSERVATIO X.

Muſculorum oculi paralyſis.

TEnellos etiam infantes in ipſo matris utero, & ante nativitatem, multis obnoxios eſſe morbis poſt plures ex oculi vitiis demonſtrat infans *Henrici vander Hoeve* Cauponis Hagienſis, qui die 19. menſis Februarii an. 1683. uteri clauſtris ſolutis, in lucem prodiit non ſine gravi ſiniſtri oculi inflammatione, dextrique tremore: quam inflammationem multi admirantes dubitarunt, originemne ex errore quodam obſtetricis in partu commiſſo haberet. Parentes autem vitium illud non multum curantes lac tantum muliebre tepidum infantis oculo inſtillarunt, quo remedio necquicquam adbibito, ſecuta eſt ſex dicti oculi muſculorum paralyſis; Quamvis autem oculus hic pro arbitrio nec verſus ſuperiora, nec inferiora, nec dextrorſum, ſiniſtrorſumve moveri poſſet, palpebram tamen, vigilante infante, verſus ſuperiora evehi, dor-

miente vero demitti, atque occludi animadvertimus.

Dexter vero oculus continuè movebatur dicitur autem vitium hoc Veteribus, nec non hodiernis Medicis propter motus inconſtantiam *Hippos*, *Equus*, vel etiam *Oculus inſtabilis*; quæ denominatio proprie deſumpta eſt ab equorum oculis, qui vagi plerumque, atque inconſtantes ſunt, imprimis illis, quibus orbita oculi notabilius prominet; unde tam verſus anteriora, quam retrorſum proſpicere ſolent, ſique nullis ad latera muniantur tegumentis, expaveſcunt plerumque, pupillaſque perpetuo movent. Hujuſmodi autem equis oculi utplurimum maximi ſunt.

IN OBSERVATIONEM X.

ANnotatu dignum eſt, dum ab unâ parte ſiniſter infantis oculus omni prorſus motu carebat, dextrum contra indeſinenter fuiſſe motum, quemadmodum vero prima iſtius vitii cauſa eſt affluxus humoris cujuſdam tenacis nervos oculorum motorios obſtruentis, ita forſan alterius vitii cauſa fuit motus quidam convulſivus, quo ſpiritus irregulariter influendo inconſtan-

ſtantem producunt motum; qui minus conſtans ſpirituum influxus, tubulis quibuſdam nervorum obſtructis, oriri poteſt.

De paralyſi muſculorum oculi omnium, nullum me unquam exemplum legiſſe memini: *Celſus lib.* 6. *cap.* 6. generaliter tantum de univerſali muſculorum oculi paralyſi loquitur, ut & *Ætius tetrab*: 2. *centur*. 3. *cap*. 49. *fol*. 356. dicens: *Si vero totus oculus reſolutus fuerit, motus ad dextram, & ſiniſtram ſurſumque, ac deorſum perficere non poteſt. Et ſiquis acrius pharmacum ſublinat, non percipit morſum. Hoc autem malum ægre curabile eſt; maximeque in ætate provectis, ſi vero ex nativitate contigerit reſolutis, impoſſibile eſt hanc corrigere.*

Eodem quoque modo loquitur *Guillemæus de oculi vitiis ſect*. 3. *cap*. 3. *fol*. *mihi* 755.

Nonnulla equidem exempla quidam referunt, quibus tamen non omnes, ſed nonnulli tantum oculi muſculi paralyſi fuerunt affecti: Sic etiam *P*: *Foreſtus lib*: 10 *obſ*: 89 *fol. mihi* 429. vidiſſe ſe ſcribit quorundam oculi muſculorum è vehemente quodam in capite ictu ortam paralyſin. Tradit *L*: *Sigiſmundus Graſſius miſcell*: *med*: *phyſ*: *curioſ*: *decur*: 1 *an* 1 *obſ*: 71 *fol*: 173, de ſemet ipſo, quomodo ex equo lapſus, ac in caput volutus oculi, palpebræque alterius correptus fuerit paralyſi, ita ut quando eam digitis attolleret, pupilla dextra appareret triplo amplior, & objecta per nebulam quaſi denſiſſimam con-

fuſa cernerentur, ſiquidem pupilla magis verſus externum oculi canthum eſſet converſa, quod inde proveniebat, quia ſanus muſculus antagoniſta eò oculum deduxerat. *Philip: Salmuth: centur*: 3 *obſ*: 42. ſimile quid habet, cui itidem ex equo lapſus cauſam dederat, oculo tamen non ad latus, ſed verſus ſuperiora ducto, quod infimus muſculus paralyſi eſſet affectus.

Quantum vero ad curationem paralyſeos muſculorum oculi attinet, de ea conſuli poteſt *Guillemæus lib*: *& cap*: jam adſcriptis; Vel utendum eſt remediis, quæ caput ſpeciatim ſuperfluis liberent humoribus: Ut

℞. *Extract: cathol.* ℈ſ.
Mercur. dulc. gr: vj.
Ol: cinnam: gut: ij.
Fiant pilulæ n$_{o}$. v.

Poſteaque ſumenda ſunt, quæ craſſam, viſcoſamque materiam attenuant, & conſumant, qualia ſunt decoctum internè aſſumptum è *ſalſa parilla, guajaco, ſaſſafras, &c. additis ſub finem decoctionis neuriticis quibuſdam herbis.* Ex gr.

℞. *Rad. ſalſaparil.* ℥ij.
raſ. lign. guajaco ℥vj.
Macerentur horis xxiv *in aq. puræ* ℔iij.
poſtea f. decoct: ſub finem addendo
Herb. chamœpit.
ſalv. roſmar. āā mß.
Colatura detur uſui.

Topicum denique præſtabit ſequens.

℞. *Aq. ſtillat. fœnic.*
euphrag.
Reginæ Hungar. ā ℥ij.
Spir. ſalis ammon. gut. xxx.
Camphoræ gr. vj.
M. F. Collyrium.

Quo tangendi ſunt oculi, cujuſque portio quædam iis inſtillari poterit. Video equidem ſcriptores continui oculorum motus, cui nomen *Hippos*, non niſi perfunctorie meminiſſe, exiſtimant autem recentiores quidam non ſolum contra veterum auctoritatem, ſed & reclamante veritate, vitium hoc in palpebris locum habere, vitiatumque earum eſſe motum, quia, uti contendunt, hæ inordinato clauduntur, aperiunturque modo, ac quaſi tremere videntur; Sed vehementer hac in re falluntur, illud enim, de quo ipſi, vitium *Nictatio* dicitur.

Nec provenit *Hippos* ex malâ quadam corporis conſtitutione, aut humorum quodam ad oculum affluxu, verum connatum, & naturale quoddam non palpebrarum, ſed ipſorum oculorum malum eſt. Tradit *Riolanus* Pater ſe hoc vitii non in oculi bulbo, ſed in pupillâ tantum vidiſſe. Tremulus ille pupillæ motus haud dubie in tunicâ uveâ fuit, quid enim, quæſo, aliud tam notabiliter in oculo tremeret? Provenit autem ille ex ligamento ciliari, quod recurrens multa, eaque tenuia filamenta, ſive fibrillas in-

ſtar

ſtar tinearum quarundam nigrarum, pilis ciliorum ſimilium de ſe ſpargit, quibus pupillæ dilatatio, & contractio efficitur.

Verum quidem eſt ejuſmodi continuum motum oculo nonnunquam à flatibus oriri, eo autem caſu non diu continuatur, diciturque illa ſpecies potius palpitatio: nonnunquam & à convulſione provenit, vel etiam ex terrore, irâve: poſterioribus autem caſibus natus oculorum tremor *Hippos* dici nequit, quia *Galenus comm*: 2 *ſect*. 21 *in prognoſt. Hippocr*. vitium illud oculorum aſſimilat connato cuidam dentium ſtridori, unde non morbum quendam, ſed velut ingenitum quoddam malum eſſe patet, idque tanto magis liquet, quia nemo de mali hujus curatione quicquam nunquam in medium protulit, mentionemve fecit.

Quod ſi tamen cuipiam hujuſmodi poſt nativitatem vitium ſuboriatur, conſultum dicit *P. Ægineta libr*. 3. ut inſtrumentum aliquod oculis efformetur, quo non niſi per parvum quoddam foramen conſpiciant, ut ita cogantur recte proſpicere, quantumque fieri poteſt, immobiles, conſtanteſque maneant. Quidam vero hoc malo laborantum oculos deligandos cenſent, ita ut per temporis aliquantum occæcentur nonnunquam iterum reſolvendi.

OB-

OBSERVATIO XI.

Aranea aure contenta.

QUot, quantiſque malis humana corpora tam internis, quam externis, exiguæ quandoque premant, obruantque cauſæ, evidenter demonſtrat, quod referre aggredior.

In *Michaëlis Digbaucher* die 30 Decemb. anno 1682. ſub tecto quodam nudo capite operantis aurem aranea quædam coloris fuſci, magnitudiniſque, qualem exhibet Tab. 1. Fig. 2. ad literam A. irrepſit, quæ ipſum adeo torſit, ut non parum anxius, quò eam eximeret, omnem moveret lapidem. Trium autem Chirurgorum ope necquicquam imploratâ, tandem ad Medicum, Chirurgumque noſtrum *Cornelium Solingium* itur, qui, licet ſpeculo, ſive inſtrumento dilatatorio, cavitate auris ampliatâ, araneam conſpicere non potuit. Capitalem tamen inimicum, hominem tam miſere cruciantem, poſt quinque horarum moras, diſcedere coëgit tenui

tenui quodam, planoque, ac lapidilli in morem efformato cochleari uſus. Animadvertebatur autem circa Araneam illico poſt extractionem extinctam nonnihil ſaniei, cujus reliquiis exemtis, *Solingius* auri *Arcæi* balſamum cum Peruviano, & oleo hyperici, gummique elemmi mixtum inſtillavit, cujus virium effectus tanti fuere, ut, *Michaël* poſtridie optime ſe habens, lætuſque non ſine gratiarum actione à Medico diſceſſerit.

IN OBSERVATIONEM XI.

Contingit nonnunquam, ut viva quædam in hominum, præſertim dormientium, aures irrepant inſecta; ut vermiculi, muſcæ, culices, erucæ, çurculiones, aliaque ſimilia, quæ, ſi diu ibidem hoſpitantur, gravium admodum, ut poſt dicetur, accidentium cauſæ ſunt.

De curculione intra aurem contento loquitur *Trincavellus lib. 4. cap. 6. de ratione curandi part. hum. corp. affect.*

Andr. Cnoëffelius miſcell. med. phyſ. curioſ. decur. 1. *an.* 4. *obſ.* 50. *fol.* 44. exemplum Ruſtici cujuſdam dat, qui aliquando penes fornacem in ſcamno ſopitus gryllum in aurem ingredien-

dientem non ſenſerat, quem tamen expergefactus ex immenſo, ut dicebat, clamore, & volutatione ſtatim percipiebat. Hic autem pene ad inſaniem redactus illum neutiquam interimere, vel eximere poterat. Tandem ei *Cnoëffelius* conſultus ſuaſit, ut ſcorpionis oleum in aurem infunderet. Ille quidem paruit, at fruſtra. Juſſit itaque, ut vivum adduceret gryllum: allatum oleo olivarum merſit, unde mox interiit. Hujus olei cum duodecim fere guttæ in aurem laborantis immitterentur, paulo poſt gryllus deficere cœpit; inter moriendum tamen retrogradum quaſi motum repentis inſecti ſenſit ruſticus, & fruſtatim deinde cum multo pure gryllus ex aure prodiit, atque ille quidem convaluit.

Verum infelicior multo erat, uxor Sacerdotis cujuſdam, in cujus aurem, referente *Samuele Ledelio ephem. german. decur.* 2. *an. obſ.* 39. *fol.* 69. etiam gryllus irrepſerat, unde poſt fruſtranea multa remedia, horrendis doloribus excruciata tandem vivere deſiit.

Joh. Georg. Volkamerus miſcell. med. phyſ. curioſ. an. 3. *obſ.* 166. *fol.* 480. puellæ cujuſdam, annorum 18. mentionem facit, cui laboribus defatigatæ, ac in prato decumbenti, dormientique vermiculus rotundus medii auricularis digiti longitudine, lumbricum craſſitie adæquans, aurem ſubintraverit dextram, paulatimque rodendo in frontem aſcenderit, ibique per quatuor hebdomadas hoſpitatus incommoda puellæ

pepe-

pepererit quamplurima? Undique ergo ope, conſilioque implorato, ſine ſucceſſu tamen, tandem juſſit Pharmacopæus quidam, ut in aures puellæ, reclinato capite, oleum juniperinum immitteretur, quo aliquoties immiſſo, duo ejecti fuere vermiculi minores, ac albi, prioris haud dubie ſuboles. Poſt ulteriorem illius olei infuſionem tandem & eorum genitrix rubei coloris, enectaque comparuit, ſubſequente intolerabili circa frontem dolore, qui ſuffitu gummi ammoniaci poſt ſaniei fœtentis effluxum ſopitus fuit.

Nonnunquam etiam muſcæ, culices, aliudque inſectorum genus, uti modo dictum, intra aures ſe confert, quod motibus reciprocis magnam vim inferendo multa producit miſeris incommoda:

Narrat etiam *Volkamerus* loco eodem ad ſeſe aliquando acceſſiſſe vetulam, quæ ante annos viginti, cum incautius molem graminis capiti impoſitam geſtaſſet, feſſa linteamini iſtius ſarcinæ inſectis ſcatenti capiti ſuppoſito obdormiverat, cujuſque in aurem dextram forbicinæ interea, quas vermes auriculares, Oor-wormen, dicimus, irrepſerant, quarum una chirurgi ope fuit extracta, relictis aliis, quas elicere, vel ſolertiſſimi tunc temporis Medici nequivere. Huc-uſque immenſa earum copia cerebrum inter, & cranium commorata, indieſque immenſior reddita, ærumnoſam miſeræ vitam reddebat, ut,

hac

hac illac repentibus inſectis, dolorem tam in manuum, quam in pedum extremis ſentiret. Quod ſi caput, inquit, *Volkamerus*, hinc inde moveret, interiora capitis crepitare adſtantes non obſcure audiebant. Huic vero, utut auxilio eſſe annitebar, incaſſum tamen omnes noſtri abiere conatus. Balſamum ſulphuris therebinthinatum auribus ejus immiſi at præter unicam, ſed enectam, non potui elicere, inſectum enim ilud meatus auditorios longo ſatis tempore obvallaſſe vero admodum fuit ſimile. Fumi gum. Ammnon. crebro uſu mire delectabatur vetula, dum ad exitum accurrere forbicinas ſemper obſervaſſet: Cum igitur nullum ſupereſſe videret fæmina auxilium, ad extremum vitæ terminum tolerare hoc malum decrevit rogitans ſaltem, ut exantlatis tandem iſtis ærumnis, calvaria ejus aperiretur, ut, quæ ex tanto infeſtorum hoſpitum grege tormenta fuiſſet perpeſſa, omnibus innoteſceret.

Evenire quoque poteſt, ut vermes in ulceribus quibuſdam aurium intus creſcant, & producantur.

Ita *Valeſcus de Taranta lib.* 4. *cap.* 30. ſe vidiſſe refert tres, quatuorve vermes figurâ nucleorum pini, quamvis hiſce nonnihil majores, qui ex auribus Juvenis cujuſdam vehementiori febre afflicti prodierant, poſt quorum exitum Juvenis convaluerat.

Non diſſimile eſt, quod habet *Arnoldus de Vil-*

Villanova cap: 32. *lib*. 3. *Montanus conſil*: 39; *Solenander Conſil*: 15. *Fernelius lib*. 6. *pathol*: *cap*. 10. *Zacut*. *Luſitan*: *prax*: *admir*: *lib*: 1. *obſ*: 63. *fol*. 51. nec non *Carol*: *Raygerus miſcell*: *med*. *phyſ*: *decur*. 1. *ann*, 5. *obſ*: 5. *fol*: 7.

Henr. *à Moïnichen obſ*. 16. vidit Romæ vermes ex auribus eâ magnitudine, qua in nucibus reperiri ſolent, prodeuntes, quorum aliqui, infuſis in aurem ſpiritus vini aliquot guttis, continuo verſus exteriores ejus partes ſerpere viſi ſunt, qui volſella arrepti, cæterique aſperſo Mercurii ſublimati dulcis pulvere enecti fuere.

Anthon. *Stadlender*, *Chirurgus civitatis Thorunenſis in Boruſſiâ* è puelli cujuſdam aure vermem eduxit iis plane ſimilem, qui ex perforatis prodire ſolent nucibus, ſed nonnihil majorem, coloris valde candidi; narratque idem ſe quinque ſimiles ex alterius cujuſdam aure extraxiſſe, ſed minores paulo, qui nullis, excepto ſpiritu vini, remediis potuerint necari: refertque *Simon Schultzius miſcell*: *med*: *phyſ*: *curioſ*. *decur*: 1. *ann*: 2. *obſ*: 24. *fol*: 43. ſe eoſdem etiamnum viventes conſpexiſſe.

Chriſtoph: *Mentzelius Ephem*: *Germ*: *decur*: 2. *an*: 2. *obſ*: 57. *fol*. 95. ſe ex aure cujuſdam miſere ejulantis ruſtici dextrâ an. 1672. magna cum moleſtia octo albicantis coloris vermes extraxiſſe refert. Quod malum ruſtico illi (uti poſtea expoſuit) ab exulceratione auris dextræ provenerat, in quam muſcæ, cum ſub dio, æſtate, capite nu-

nudo, dormiret, ſua ſpermata, & fætus ejecerant.

Præter inſecta, alia etiam quandoque ſeu caſu quodam, ſive per petulantiam illabuntur in aures. Ita refert *G. Fabrit: Hildanus centur*: 1. *obſ*: 4. *fol.* 15. de globulo quodam vitreo piſi magnitudinem non excedente, cujuſmodi virguncularum conſtituunt brachialia, qui inſinuatus fuerat in concavum auris ſiniſtræ puellæ cujuſdam 10. annorum, unde gravia ſequebantur ſymptomata; dolor videlicet in capitis parte ſiniſtra, ſtupores uſque ad pollicem, & indicem progredientes ad lumbos uſque, tibiam, & pedem: imo totum latus ſiniſtrum continuis ſtuporibus languebat, ſequebanturque convulſiones, tuſſis ſicca, &c.

Qui globulus, poſtquam aliquot ibi hæſiſſet annos, quatuorque necquicquam in auxilium advocati fuiſſent diverſis temporibus Medici, ipſe tandem *Hildanus* globulum feliciter (etiamſi profundius prope tympanum ſordibus firmiſſime adhæreret) ſine ullâ violentia, inſtrumento quodam eum in finem adaptato extraxit.

Admiranda vero eſt hiſtoria illa, quam tradit *Marcellus Donatus de hiſt: med: mirabili lib.* 2. *cap.* 12. *fol.* 219. de nobili puero, qui dum aliis conſociis, quibuſcum luſus agebat, ſe jocularìæ artis peritum oſtendere vellet, arreptis ceraſorum nucleis binis, ex dextra aure ad ſiniſtram manuum dexteritate ut pervolarent, ſe

G factu-

facturum prædicabat, quod dum exequi parat ita illorum alterum in intimiorem auris partem indidit, ut nullo unquam ingenio à medicis, aſtantibuſve extrahi valuerit, qui id non ſemel pertentaſſent; non levem enim illi ceraſi nucleus noxam inferebat. Quare toto negotio naturæ derelicto, poſt multos dies plurima humiditate madente aure, is germinare coepit, germenque prodiit, quod jam conſpicuum tenaculis leviter arreptum altera nuclei pars germini adhærens inſequuta, altera vero (nam in binas ſciſſus erat) haud difficile extracta eſt.

Idem haud diſſimilem ſubnectit hiſtoriam de ſemine ex Anagyride (vulgo Venetis *Karobe*) quod cum intra *Joh. Mariæ Bonardi* aurem forte fortuna incidiſſet, ipſeque illud extrahere pertentaret, penitius impulit. Quare dolore excitato valde urgente, concitata fluxio, apoſtemaque genitum, quod per plures menſes miſellum hominem afflixit, donec tandem germinans ſemen prominente germine extractum eſſet, ſicque medicamentis opportunis rite ulcere curato convaluiſſet:

Si inſectum aliquod forte vel in aurem irrepſerit, vel intus productum fuerit, curandum quantocius eſt ut eximatur, vel ad minimum enecetur, ſiquidem *Rhaſes* dicat, ſi diu ibi permanſerit (præſertim quando ſimul maligna pollet qualitate) non atroces tantum inde exoriri dolores, inflammationes, haſque ſequentia ulcera,

cera, ſed nonnunquam & convulſiones, aliaque accidentia, qualia ex adducto *Hildani* exemplo demonſtravimus. Idem & confirmat *Hippocrates 3. prognoſt. 13. & Galenus comm*: Hujuſmodi vero ſymptomata proveniunt, quia cavum auris propter membranam circumcingentem ſenſibile eſt admodum, ac nervoſum, fibrilliſque multis nervoſis intertextum, quas à quinto pari nervorvm auditoriorum, ut & à ſecundo pari vertebrarum recipit, ita ut veriſſime dicere queamus nullam in univerſo corpore humano reperiri membranam, quæ reſpectu magnitudinis pluribus gaudeat nervis: adde, quod & auris cavitas non ad duram tantum extendatur matrem, ſed & nervum auditorium attingat, qui (juxta opinionem *Galeni in calce lib. 6. meth: med*:) à cerebro in illam cavitatem deſcendit, ità ut dubitandum non ſit, quin cerebrum, nervique ipſo queant affligi. Ideoque recte exiſtimavit *Celſus* majus eſſe circa aurium, quam oculorum vitia periculum; propter humorum enim affluxum à dolore provenientem tympanum tandem corrumpitur, unde ſurditas, nec non, accedente exulceratione, auris oſſis caries, vel alias fungus, ſive caro luxurians, & ſpuria, teſte *G. Fabrit: Hildano, centur*: 3. *obſ*: 1. *fol*: 183, naſcitur.

Inſtrumenta ad extractionem rerum in aures illapſarum apprime utilia deſcripſit *G: Fabrit: Hild: centur*: 1. *obſ*: 4, ac figuris expreſſit.

Quod vero ad vivorum inſectorum enecationes attinet, maximam partem adductis exemplis elucecſcit. Omnibus autem uſurpatis *Galenus* ſulphur calce, & melle ſubactum, ac cum aceto auri inſtillatum laudat. Extinguuntur & vermes ſucco abſynthii, centaur:, felle brutorum, fumo ſulphuris, aut gum: Ammon: per infundibulum in aurem immiſſo, nec non ſpiritu vini, ut modo dictum, quamvis *D. Du Verney part*: 3. *de auditus organo fol*: 37. omnibus præferat craſſa, & oleoſa, ſiquidem, ut ait, talia occludant inſectorum oſcula, ſicque eadem ſuffocent.

Nonnulli viva inſecta allicere conantur dulcibus externe applicitis, vel etiam in aurem immiſſis v: gr: dulci malo aſſato, calidoque, ac diſſecto impoſito, vel medullâ ejuſdem cum melle, vel ſaccharo cum melle mixto, tepidoque in aurem intruſo. Alii turundam illinunt therebinthinâ, filoque alligatam profunde in aurem, ut eidem adhæreant inſecta, injiciunt.

OBSERVATIO XII.

Spaſmus oris, cynicus perperam dictus.

QUam incaute puerperæ quædam nonnunquam frigido ſeſe exponant aeri, nec leve incurrant morborum peri-

riculum, ſæpiuſque in eoſdem incidant, experientia ſatis monſtrat. Exemplo nobis erit Uxor *N. Verboom* ſutoris Hagienſis. Hæc decimo quarto puerperii die, quamquam temere admodum, & imprudenter, initio Decembris 1683 ad templum ſeſe contulit Deo propter felicem partum gratias actura: verum brevi poſt ſpaſmo corripiebatur oris à ſiniſtra parte verſus dextram, ita ut (vitium namque erat valde moleſtum) me illico ea de re conſuluerit; ego itaque omnibus rite perpenſis, tertiâ à puerperio hebdomada lene quoddam præſcripſi purgans, partemque affectam unguento nervino ungi juſſi: cucurbitulas etiam cervici, emplaſtrumque phagedænicum pone aurem ſiniſtram admoveri præcepi: Addidi & ſternutatoria, decoctumque ex ligno guajaci, ſalſa parilla, & ſaſſafras: cui ſub finem decoct. addebantur herb. Chamæp. prim. veris, & beton., ac denique ſequenti uſa fuit remedio.

℞. *Fol: lauri:*
rutæ:
roriſm:

ma-

majoran: āā M j ß.
Flor: *ſtæchad*:
Salviæ
lavend: āā M j.
Coq: *ex aq*: *comm*: *s*: *a*: *ad* ℥iij.

Hoc gargariſmate uſa eſt, partemque affectam fovit, ad cerebrum autem cum nervis corroborandum ſequens datum fuit Electuarium.

℞. *Conſerv*: *flor*: *roſmar*:
ſalviæ ā ʒj ß.
Nuc: *moſch. conditæ*: ʒj.
Syr: *de ſtoechade q*: *s*:
M. F. Electuarium

Sicque hac Methodo, Divina favente gratia, intra tres hebdomadas iſto incommodo fuit liberata.

IN OBSERVATIONEM XII.

HIc affectus *Celſo lib.* 4. *cap.* 2. aliiſque à ſimilitudine torturæ oris *Spaſmus Cynicus* nuncupatur. Tortura autem, ſive diſtorſio oris, cum generalior ſit vox, multiplex eſt; omnibus enim illa oris diſtorſionibus convenit, etiamſi ea ut plurimum vel ex paralyſi, vel alterutrius tantum lateris oriatur ſpaſmo, teſtibus

bus *Galeno 4 de loc: aff: cap: 2 Avicenna fen: 2 tr: 3 cap. 15*, aliiſque eorum ſectatoribus : Verum *ſpaſmus Cynicus*, proprieque dictus, utriuſoris lateris ſpaſmus eſt, unde & nomen habet, utpote canino rictui ſimillimus : Hunc enim quilibet non exprimit oris ſpaſmus, quare *Felix* etiam *Platerus* illam tantum oris diſtorſionem ſpaſmum cynicum dicit, quo labra una cum buccâ utrinque diſtorquentur, expanduntur que, quale exemplum idem habet *obſ: lib: 1 pag: 130*, quo tota tremebat bucca tam ſurſum, quam deorſum tracta.

Ita ut illa diſtorſio, quæ ab alterius faciei partis muſculorum paralyſi provenit (quali affecta fuit illa, de quâ noſtra obſervatio) revera ſpaſmus Cynicus dici nequeat, ſiquidem paralyſis nequeat eſſe ſpaſmus, etiamſi hæc duo promiſcue ſæpe ſumantur.

Extitiſſe autem paralyſin muſculorum faciei ſiniſtræ partis uxoris *N: Verboom* flacciditas, mollitieſque, & doloris inſuper abſentia, nec non ſenſus in eodem latere imminutio abunde indicarunt; Hæc autem haud dubie illâ in parte ab obſtructione nervorum illac excurrentium ex pari guſtatorio orta fuit, cui viſcoſus, atque externo frigore condenſatus humor, qui cavitatem illorum nervorum opplevit, tranſitumque ſpirituum ad muſculos impedivit, cauſam dedit; unde cum ſiniſtræ partis muſculi moveri non poſſent, antagoniſtæ alterius lateris interim mu-

nus ſuum obire non ceſſantes, nullamque ab alterâ parte reſiſtentiam invenientes maxillam ita detorſere.

Huc accedebat, quod rite manducare non poſſet, labiis male junctis. Oculorum quoque alter minus recte connivebat. Dein non niſi in uno tantum latere efflare, aut exſpuere valebat ſalivam ſponte ex ore profluentem. Hanc autem functionum ceſſationem ortam crediderim, quod læſæ partes, ramis, quos à pari nervorum, Veteribus tertio, nanciſcuntur, obſtructis, adeoque denegato ſpirituum influxu, muneri obeundo impares factæ fuerint.

De eorundem muſculorum paralyſi, hancque inſequentis oris alterius partis diſtorſionis lege ſis *Hippocrat*: 2. *epidem. ſect*: 2. circa finem.

Curationem autem hujuſce mali ex catarrhis, & coryzâ oriundi *Ephemerid. Germ*: *ann*. 3 *obſ*: 332 *fol*: 544, nec non *Balthaſ*: *Timæus lib*. 1. *cap*: 39. *fol*: 72. dabunt.

OBSERVATIO XIII.

Labii Pſeudo-Cancer.

SIngulas corporis noſtri partes invadere poſſe cancrum jam olim *Galenus lib*. 2. *ad Glaucon: cap*. 10, & *lib. introd*. 16 docuit. Sæpe numero tamen contingit,

git, ut nonnulli ſe cancros ſuſtuliſſe glorientur, cum ne ſimile quidem illis malum fuiſſet. Unde non famam tantum, laudemque inter plebejos affectant, ſed & plus aliis ſapere videri volunt, ægroſque non raro decipiunt.

Muliercula quædam gravida, nec ætate provecta 22 Aprilis 1682, meum imploravit auxilium, cujus labii inferioris parvum tumorem, minoriſque fabæ magnitudinem non nihil excedentem, cæruleique coloris, ac quibuſdam cancrum habitum ſecabat Medicus, Chirurguſque *Corn. Solingius*.

In diſſectione, quæ craſſo fiebat forcipe, è tumore, præter viſcoſum, lentumque quendam humorem, nihil omnino profluere animadvertimus, qui, (ut optime notat *Job: Mekeranus obſ. med. Chirurg. cap.* 12) commordentibus labium dentibus, in læſam quandam glandulam (qualibus infimum labium, nec non aliæ oris abundant partes) juxta arteriolam quandam effuſus, commodo exitu negato, ſtagnavit, unde glandula magis, magiſque intumeſcens quicquid hoc eſt vitii (*Mekerano* belgicè een Lip-

 knoop)

knoop) produxit. Tumore itaque ſublato, Hungarico ſupprimebatur ſanguinis affluvium vitriolo, nec non lapide hæmatitide, ac poſtridie in partem affectam, ſyrupus è roſ. ſic. illinebatur, unde brevi percuratum vulnus. Scribit idem *Mekeranus* ſe veſiculas illas pituitoſas forcipe diſſectas melle roſar., ſpirituque vini exſiccaſſe, & ſanaſſe, quamvis & fateatur, non obſtante earum apertione, nec non juxta dictam methodum ſanatione, duritiem quandam nihilominus remanſiſſe, quæ alliſione dentium dolorem ſæpenumero, loquendique difficultatem ciens excidenda fuerit eo modo, quem *obſ. cap.* 12. *fol.* 108 deſcribit.

IN OBSERVATIONEM XIII.

NOn diffiteor equidem veros etiam cancros ipſis obvenire poſſe labiis, utpote fungoſâ conſtantibus, glanduloſâque, ac plurimis, obnoxiâ incommodis ſubſtantiâ, unde facilius (præſertim ſi corporum ſint minus recte temperatorum) cancer ſupervenit.

Ut autem certa ſit ejuſmodi tumorum cognitio, ſciaturque, malignine ſint, an ſecus, ſigna adſcribam diagnoſtica. Par-

Parvus quidem labii tumor, coloris cærulei, tactuque mollis, cancer dici nequit, verum ſi color iſte cæruleus ſit magis plumbeus, aterve, & tumor tactu durus, ſolidus, & renitens, malignus evadit, atque cancroſus quem eo caſu tempeſtive forcipe auferre ſatius eſt.

De extirpationibus, methodoque tumores illos excidendi conſulatur *Paræus lib. 6. cap.* 29, ut & *Corn. Solingius Operat. Manual. Chirurg. cap.* 36. *fol.* 75.

In infantum labiis alia nonnunquam exulcerationum malignarum ſpecies provenit, quæ cavæ, duræque, nec ſine dolore nigricantes, & fœtentes, ſubitoque proſerpentes à Scorbuto plerumque, adeoque à male conſtitutâ ſalivâ oriuntur, noſtratibus **Water-Kankers.** Quæ vitia ego ſæpe abſque notabili moleſtiâ, corporibus ſcilicet prius rite præparatis, hac mixturâ ſuſtuli.

℞. *Mellis roſar.* ℥j.
Ægyptiaci ʒij.
Ol: vitrioli gutt: aliquot.
Miſce.

Hoc remedio imbuto penicillo ulcera tangi juſſi, ſicque intra paucos dies ſanavi.

Deſcripſit & hoc Malum *Arnoldus Boötius obſ: Med: de omiſſis, & non deſcriptis morbis cap:* 19, vocaturqne ei *Cheilocace*, Anglis **Mouth-Kanker** / ſive **Kanker of the Mouth;**

Hoc

Hoc autem malum in Anglia, Hyberniaque graſſari admodum, ſæpiuſque inſtar luis cujuſdam epidemicæ multos ſimul infantes, intactis adultis, invadere ait. Illud autem ſi initio negligatur, nec bene curetur, malignum, ac non tantum curatu difficile, ſed & inſanabile evadit; malignitas enim proſerpens miſeros infantes lentâ quaſi tabe rapit, enecatque.

Oris cancrum, ſive ulcus *Nome* à corrodente quodam humore pueris ortum, *Ioh: Muys Prax. Chirurg: ration: decur.* 2. *obſ.* 10. *fol.* 39. ſatis feliciter hoc unguento ſe ſanaſſe refert.

℞. *Theriacæ* ℥ij ß.
Vng: Ægypt: ℥iſ.
Gum: laccæ
Spir: ſal: ammon: ā ℈ij.
Cochlear: ℥ij.
M: F: Unguentum.

Quo, cum ſpiritus vini nonnihil addidiſſet, partem exulceratam ſexies uno die abluit, poſteaque lintea carpta hoc medicamine imbuta parti laboranti admovit, atque ita brevi curationem abſolvit.

OBSERVATIO XIV.

Hydrocephalus.

QUamvis in ventre utplurimum ſeſe manifeſtat Hydrops, eum tamen in omnibus fere corporis partibus naſci poſſe experimur. Præter abdominis enim hydropem, ſive aſcitem, pectoris etiam datur hydrops, capitiſque, ac teſticulorum, tam virilium quam muliebrium, nec internis tantum, ſed & in externis corporis partibus, cujus veritatem demonſtrabo *obſ.* 28. hîc loci ſaltem acturus de hydrocephalo, quem mihi videre licuit 4. Deceembr. an. 1685. in filiolo Chirurgi cujuſdam Hagienſis bimulo, cujus caput latitudinem adulti capitis multum excedebat, hoc enim totum ambiens, à ſyncipite videlicet ad occiput, linteum tres ſpithamas, ſive ulnam longitudine æquabat.

Infans ille, ſano quamvis, & bene diſpoſito corpore in lucem editus, ſexto demum menſe quodam correptus fuit morbo, à quo uſque tempore caput

put primo increſcere, viſuſque ſenſim imminui cœpit tandem omnino ſublatus.

Delineationem hydrocephali hujus dabit Tabula 2 cujus literæ A: B: C: diſtentum denotant cranium, unà cum ſubjecto cerebro, & D: aperturam nondum occluſi cranii.

IN OBSERVATIONEM XIV.

QUemadmodum diverſus admodum eſt abdominis hydrops, ita etiam hydrocephalus; qui tam partium capitis aqua diſtentarum, quam cauſarum intuitu multiplex eſt. Collectio enim aquarum contingit, vel in toto capite vel in aliqua parte, ſiquidem nonnunquam in externis tantum advertatur partibus, inter cutem videlicet, & pericranium, vel inter pericranium, ac cranium, quandoque & internis tantum partibus inter cranium, & meninges, inter duplicaturam duræ meningis, falciſve, vel ipſas inter cerebri membranas, aut inter piam matrem, & cerebrum, imo aliquando in dimidia tantum capitis parte, interdumque ſimul tam in internis, quàm externis.

Atteſtante *Veſalio lib.* 1. *de humani corp. Fabrica cap.* 5. Ut & *Fabrit: Hildano centur.* 1. *obſ.* 10. in ipſa interdum cerebri cavitate reperi-



Tab: 2

ritur aquæ quantitas, hydrocephali ſæpius cauſa.

Dionyſ. vander Sterre tract. de partu fol. 168. ſe duos hydropes in embryonum partibus capitum exterioribus vidiſſe narrat, è quibus, aperta tantum cute, aqua profluxerit.

Similis rei mentionem facit *Carolus Piſo de morb. à ſeroſa colluvie ſect* 2. *part.* 1. *c.* 1. *fol.* 49. *Puellæ*, inquit, *cuidam frons, palpebræque ſupra admirationem tumebant adeo depreſſæ, & conniventes, ut eas tollere, oculoſve aperire nequaquam poſſet: ſed & calanticam, ſive redimiculum capitis abjicere à me juſſa, univerſum pariter caput immaniter turgidum conſpicatus, in eodem ſæpicule manu contrectato mollitiem deprehendo inſignem, & humorem ſub cute fluctuantem, qui tactum ſubterfugiens quidem, ſed mox refluens, recurrenſque evidenter ſe proderet. Hoc malum, cum ad menſtruam purgationem, hactenus omnino ſuppreßam, tum ob aſſiduam ſub Sole moram, cui ejus loci incolæ maximam vitæ in hortorum, vitiumque cultu tranſigentes vivunt obnoxii, ortum fuiſſe autumo.*

Non multum differt quod habet *Epiphan: Ferdin: hiſt.* 21. *fol.* 66. & *Joh: Baptiſt: à Lamzweerde append. obſ. ad armament. chirurg. obſ.* 33. *fol.* 253.

Henr. Regius Prax. med. cap. 13. *fol* 57. Pueri meminit trimuli, cujus caput contactum molle erat, & digitis preſſum ſubſidebat in foſſulas, radiiſque Solis, vel candelæ expoſitum pellucebat;

bat; quamvis ille judicaverit malum intus in cerebro latuiſſe, quia puer ſenſibus erat ſtupidioribus, & ſomnolentus, reliquo corpore, licet ſufficienti cibo, potuque frueretur, macilentus, pallidusque.

Credidit *Riolanus* humorem in externis hydrocephalis tranſire ad cerebri ventriculos, verum *Joh. Jacob. Wepferus exercitat. de Apoplexia fol.* 62. ſtatuit ipſum non primo externe congregari, poſteaque verſus interiora prorumpere, ſed vice verſa originem habere in cerebri ventriculis, interdumque verſus exteriora adeo expelli, ut ibidem animadverti queat.

Andr. Veſalius lib. 1. *cap.* 5. de non exiguo agens hydrocephalo humorem non niſi in cerebri ventriculis reperiri ait.

Humorem illum omnium primo in iis provenire ventriculis *G. Fabrit. Hildan. etiam cent.* 3. *obſ.* 17. ſcribit: alias enim (inquit) nonnullæ poſt mortem viæ reperirentur, per quas ille è partibus externis deductus fuiſſet ad cerebri ventriculos, quas tamen, etiamſi diligenter indagaret, reperire non potuit.

Zacutus Luſitanus prax. adm. lib. 1. *obſ.* 5. humorem invenit inter duplicaturam duræ meningis. *Theoph. Bonetus Anatom. pract. lib.* 1. *ſect.* 2. *obſ*, 45. *fol*: 112. ejuſmodi liquorem lymphaticum à Chirurgo *Baylly* non tantum inter duram meningem, & cranium, ſed & in falce, & duræ meningis duplicatura, ad quinque circiter

citer libras Medicas repertum fuiſſe refert.

Expertiſſ: Steph: Blankardus collect: phyſ: med: cent: 1. *obſ:* 73 *fol.* 65. ſe in ſeptem menſium abortu inter duram, & piam matrem magnam aquæ ſanguineæ latentem quantitatem animadvertiſſe memorat, cujus forſan cauſa, ut ait, fuerit præcedens matris lapſus: cerebrum autem ejus molle, & aquoſum erat.

Ioh. Iacob. Wepferus exercitat. de Apoplexia hiſt. 13. *fol.* 376 & *hiſt.* 14. *fol.* 398. ſe non cavitates tantum cerebri, ſed & locum illum inter duas meninges plerumque vacuum ſero repleta inveniſſe narrat.

G: Fallopius obſ. à Franciſco Michino edit. indicat ſe intra pueri cujuſdam ſexennis piam matrem, & cerebrum, ut & inter hujus gyros aquam conſpexiſſe,

Andr: Veſalius lib: 1. *de hum: corp: fabrica,* bimulæ puellæ meminit, in cujus cerebri ventriculis ſeptem menſium ſpatio novem aquæ libræ collectæ fuerint. Quamvis autem cerebrum ejus juxta verticem ita preſſum, & in ſe contractum reperiretur, ut membranam aliquam craſſiorem referret, & genuinæ cerebri membranæ ſibi adeo eſſent contiguæ, ut unum, idemque corpus viderentur, cerebellum nihilo ſecius, ejuſque baſis, & nervorum proceſſus naturaliter ſe habebant, quare puellæ ad finem uſque vitæ mens ſana fuit.

G: Fabrit: Hildanus centur: 1, *obſ:* 10. *fol:* 19.

pueri cujuſdam mentionem facit, cui caput in tantam excreverat molem, ut ejus rotunditas ulnam, & quartam ejus partem, altitudo autem ab aure ad aurem totidem æquaret longitudine, Is autem non ita natus fuerat; ſed cum ſeptimum ætatis menſem vix attigiſſet, caput mirum in modum ei tumeſcere cœperat, Intra triginta autem menſes paulatim ad dictam magnitudinem excreverat, unde puer in lethargum inciderat, nec ita diu poſt obierat. Diſſecto cranio in duobus anterioribus cerebri ventriculis aqua cryſtallo lucidior ad libras Colonienſes 18 apparuit. Hæc autem non ventriculos tantum, ſed & ſubſtantiam cerebri diſtendebat, ita ut totum cerebrum (cerebellum excipit *Hildanus*) in ſacculum extenderetur, unde circumvolutiones, gyrive cerebri, turgentibus omnibus, non apparuere. Dura, & pia matres integræ erant, atque ita dilatatæ, ut totum cerebrum cooperirent: cranium ſimiliter dilatatum erat, ſed paſſim membranoſum potius, quam oſſeum, nec reperiebantur meatus, per quos ſeroſus ille humor ad caput delatus fuerat, quamtumvis accurate diſpicerentur omnia.

Cur autem, dicet quiſpiam, hoc,quicquid eſt liquoris, in cerebri ventriculis Apoplexiam non producit?

Reſp. Quia aliquo modo eſt ſpirituoſa reſpectu aliarum aquarum, & coagulationis expers, adde quod ſenſim in cerebro colligatur, & non ſubito, ſen-

ſenſim enim ibi collecta ſenſim quoque poros, tubuloſque cerebri dilatat, & non comprimit, vel obſtruit, ut quidem fieret, ſi uno impetu fuiſſet collecta. *Idem Hildanus centur*. 4. *obſ*. 10. *fol*. 294. pueri cujusdam quintum ætatis annum nondum prætergreſſi meminit, cujus capitis circumferentia continebat pedes Geomotricos duos, cum ſeſquipede, & pollice, altitudoque eadem erat: cranium utcunque durum erat, & non niſi quibuſdam locis membranoſum: reliquæ vero corporis partes proportionem pueri ejus ætatis obſervabant, non ita, ut hydrocephalorum ſolent eſſe corpora, extenuatæ. Ingenio puer ſtupidus admodum erat, viſu, audituque, nec non loquela deſtitutus. Id vero malum ex eo provenerat, quod circa annum ætatis ſuæ primum morbo laboraſſet graviſſimo, & acuto.

N. Tulpius obſ. med. lib. 1. *cap*. 24. *fol*. 49, de puero memorat quinquenni è cujus capite poſt mortem eductæ fuerint quinque aquæ libræ, quibus effuſis omnia adeo vacua apparuerint, ut plerique Medicorum præſentium, ſed præpropere, hîc caput ſine cerebro conſpici judicaverint. Tale autem hydrocephali exemplum affert *Theod. Kerckring, obſ. Anat*. 46. *fol*. 102, & *Zacut. Luſit. prax. med. admir. lib*. 1. At oculi acie illuc penitius directâ ſatis perſpicue liquebat non defuiſſe cerebrum, ſed amiſſâ figurâ globoſâ, formam convexi fornicis induiſſe, ut inſtar membranæ craſſioris undique arcuata diſſolutorum

 oſſium

oſſium circumferentiæ adhæreſceret; quali etiam modo ſe habuiſſe puellam *Andr. Veſalii*, de quâ loco adducto, idem affirmat.

Demonſtravit Anno 1666. *D. Joh. Hornius* Anatom. Profeſſor Leydenſis hydrocephalum pueri anni unius, è quo aquæ unicæ 36. hauriebantur. *Thom. Barthol. cent.* 1. *hiſt.* 20. *fol.* 40, exemplum habet pueri quinquennis hydrocephalo laborantis, cui caput tantæ molis erat, ut tria adultorum ſuperarit, circumferentiâ ulnam æquans cum quadrante, duaſque ſpithamas altum fronte ita elevatâ, ut oculorum orbitæ mediam faciei partem occupare viderentur. Suturæ laxatæ omnes â ſummo capite ad occiput, & in utroque capitis latere. Nulla verba articulata proferre, nec ciborum quidquam manducare potuit, quia ſuperior dentium ſeries longe ab inferiori propendebat. Os perpetuo madebat ſero copioſo affatim è capite profluente. Pedes ſuſtinendo corpori impares erant. Hoc autem malum inde ortum arbitratur *Bartholin.* quod matri pauperculæ, quæ undecim ſine labe tali pepererat liberos, quum hunc utero gereret, præter conſuetum morem gravia omnia eveniſſent, uteruſque adeo intumuerit, ut prono in terram corpore progredi fuerit coacta.

Plura ejuſmodi habent *M. Aurel. Severinus de noviſſ. obſ. abſceſſ. cap.* 9. § 2. *fol. mihi* 183, *Schenck. pag.* 11 *&* 12, *Paul. Ægin. lib.* 6. *cap.* 3, *Ætius tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 1, *Philip. Ingraſſ.*

lib

lib. de tumor. præter naturam tr. 1 *cap.* 1 *fol.* 380.

Nonnunquam dimidiam tantum capitis partem occupat hic hydrops, cujus rei bina profert *N. Tulpius obſ. Med. lib.* 1 *cap.* 25 *fol.* 50. liquorum, vel in dextro, vel in ſiniſtro cerebri ventriculo hærentium, exempla: in quorum alterutro ſe ultra duas aquæ libras tam ſtricte uni iſti parti incluſas vidiſſe ait, ut altera illæſa plane eſſet, & integra.

Differunt autem Hydrocephali ratione temporis, vetuſtatis, & magnitudinis. Nonnulli ſe ante partum in utero materno manifeſtant, ſive ex imaginatione, ſive lapſu matris, aut ipſius fætus incommodo intra uterum ſitu orti, vel etiam matre nimis craſſis alimentis, aut fructibus, aliiſve refrigerantibus utente, unde ſanguis ejus nimis evadit craſſus, & tardus, vel etiam, quando illa tempore graviditatis aliis obnoxia fuit morbis.

Balduinus Ronſſæus de extract. fætus cap. 23. Goudæ anno 1562 ſe puerum quendam vidiſſe Hydrocephalo laborantem ſcribit, cui mortuo in lucem prodeunti caput toto corpore fuerit gravius; cujuſmodi plura extant apud *Helwigium obſ. Phyſ. med.* 3 *fol.* 9, *Ioh. Lechel: ephem. German. decur.* 1. *ann.* 1. *pag.* 138, nec non *Steph. Blankardum collect. med. phyſ.* ut & *de morb. pueror fol.* 208.

Nonnulli poſt nativitatem demum ſerius, citiuſve ſe manifeſtant Hydrocephali, quamvis raro,

rò, vel non adeo magni conſpiciantur in illis, quorum crania jam omnino clauſa ſunt, quia oſſa tunc ſolidiora evaſere, & per conſequens intus contento liquori non facile cedunt. Hujuſmodi autem pueri prius obirent, quam ſemel occluſa crania dehiſcerent; quamvis *G. Fabrit. Hildan. cent.* 3. *obſ.* 19 exemplum habeat juvenis cujuſdam 18 annorum, cui monſtroſum valde erat caput; rotunditas enim ejus duos pedes Geometricos, & pollices decem continebat, altitudo capitis ejuſdem erat magnitudinis; reliquum corpus, inprimis pedes (qui contorti erant, & retracti) & crura extenuata erant; cranium autem non membranoſum, ut plerumque Hydrocephalorum eſſe ſolet, ſed durum, ſolidumque. Mente non uſque adeo conſtabat: loquebatur tamen ſatis diſtincte, comedebat avide, & multum; ſed mirum in modum ipſum à morbo epileptico vexari referebant Parentes. Caput vero accreſcere inceperat tertio ætatis anno, cum morbo quodam liberatus eſſet acutiore.

P. Borellus hiſt:. & obſ. rar. centur. 1 *obſ.* 38 *fol.* 43 de puellâ quadam 12 annos natâ narrat, quæ maximo continuoque verticis, ſuturæque coronalis diu laboraverat dolore, ſine febri tamen, tumoreve, aut rubore, cuique remedia omnia utiliora incaſſum admovebantur, ita ut tandem mors finem miſeriis, & doloribus ejus impoſuerit. Aperto autem capite, abſceſſus re-

repertus fuit natibus, & infundibulo cerebri inhærens, è quo aqua clariſſima cum impetu ad libras duas exivit quaſi è fonte ſcaturiens, & in altum proſiliens: cauſa vero hujus mali fuerat, quod quinque, vel ſex ante morbum menſibus ſcabiem capitis, ſive achores paſſa à Monachis quibuſdam male curata fuiſſet remediis repellentibus, frigidiſque unguentis, unde caput refrigeratum, ſeroſitateſque in eo cumulatæ fuerint.

Zacutus vidit hydrocephalum in puero decem annos nato.

Roget quiſpiam cur magis affectus ille in infantibus quam adultis obſervetur? Ratio eſt, quia tunicæ arteriarum iis ſunt molliores, atque pori, tubulique anguſtiores, nec motus ſanguinis tam efficax. Interim quoque pori arteriarum facilius dilatantur, & particulæ craſſiores in cerebrum deponuntur.

Quæritur autem, anne & in brutis reperiantur hydrorephali? Eos in vitulis, bobus, vacciſque obſervavit *Joh. Jacob. Wepferus exercit. de Apopl. fol. mihi* 69, *& Thom. Barthol. act. Hafn. tom.* 1. *pag.* 249. indicatque idem *Wepferus*, Colonos id animadvertere poſſe in brutis, quando in pratis vertigine corripiuntur, teſtaturque ſe audiſſe apud *Subſylvanos* in Helvetia frequentem hunc boum eſſe morbum, ac ſe vertigine prodere. Addit & bubulcos eſſe, qui ipſi medeantur. Hi primo malleolo poſt cornua pul-

 ſant,

ſant, ubi ex ſono aliud vacuum ſpatium, ac vulgo ſunt in craniis bubulis, percipiunt, eumque mox perterebrant, ac foramini pennam indunt, & attracto ſpiritu veſicas hujuſmodi extrahunt. Si in ſuperficie exiſtat, prompte ſuctioni cedit, ſi autem profundior, & cerebro immerſa ſit, ſucceſſu fruſtrantur. Ac tum quidem quantocyus bos mactandus eſt.

Idem hoc modo multa animalia curata fuiſſe ait, memoratque, quum juvenca in paſcuis crebrius vertigine corriperetur, ſe mactatæ caput, in quo cauſa mali latuerat, forte fortuna obtinuiſſe, quo aperto, ac cerebro denudato, ſiniſtrum latus ſub ſyncipite tumidius, & mollius reperiſſe; quod cum durius attrectaſſet, proſiliiſſe aquam limpidiſſimam, faciemque ei conſpurcantem. Poſt quod, inquit, tumor ſubſedit. Divulſo autem cerebro ad corpus uſque calloſum, ventriculum ſiniſtrum aperuit, invenitque veſicam tenerrimam, totam anteriorem ejus partem occupantem, quam citra ulteriorem lacerationem integram extraxit, ovum gallinaceum magnitudine ſuperantem. In ventriculo, verticem verſus ſuperius, & infra, aſperitas leviuſcula, ubi veſica annata erat, apparuit, ac ſi ſeminibus papaveris albi aſperſus fuiſſet; Ventriculus autem ſiniſter duplo major erat dextro in anteriore patte: ſuperior ejus pars, & lateralis tempora verſus, propter extenſionem, tenuis vix cultelli dorſum æquavit; cætera omnia in cerebro ſana erant.

Si-

Similem, at paulo minorem veſicam idem *Wepferus* in bovino cerebro, dextri ventriculi anteriori parti undique accretam ſe inveniſſe ait, in cujus fundo mucus inſtar ſedimenti craſſioris, atque candidi lapilli, tanquam cretæ friabiles, ſubſederant.

Si quis quærat, quo pacto liquor ille in cerebri cavitates perveniat: dicendum eſt, varias circa illud phænomenon occurrere conſiderationes, litemque adhuc ſub judice eſſe.

Exiſtimant *Riolanus*, *Regiuſque* poros in dictis cavitatibus exiſtere, humoremque illum à circumferentiâ cerebri ad punctum, hoc eſt, ad cerebri cavitates tranſire, hæc tamen opinio à *Wepfero* fol. 60. refutatur.

Thom. Bartholinus lib. 3. cap. 6. anatom. reform. negat ibidem poros eſſe conſpicuos, & etiamſi darentur, facillime, utpote minimi, obſtruerentur, unde hic illic defectus in ſenſibus, aut etiam Apoplexia oriretur.

Statuunt alii malum hoc internè ex debili cerebri calore originem ducere, quia hoc valde refrigeratum, humectatumque nutrimentum ſuum debite præparare, humoreſque ab infernis partibus allapſos ſufficienter tranſpirare non poteſt.

Quidam autem arbitrantur vitium hoc externe à quadam violentiâ, lapſu, alliſione, contuſione, durâ, imperitâque obſtetricum contrectatione in partu, vel alio quodam violentiori modo provenire, unde cerebrum puerorum lædatur, rum-

panturque lymphatica vaſcula, ſicque magna tandem lymphæ colligatur copia, quâ nondum occluſum, tenerumque cranium ſenſim extendatur; unde etiam fiat (uti ajunt) ut morbus iſte in pueris magis, quam adultis reperiatur.

Nonnulli etiam, vaſis lymphaticis obſtructis, hydrocephalum produci autumant, unde lympha, ceſſante circulatione, aquoſi cauſa ſit tumoris.

Nonnulli quoque opinantur aquam illam ex arterialarum extremitatibus, vel etiam per modum tranſudationis ibidem colligi.

Hydrocephalus autem externus meo quidem judicio, quod tamen meliori nihil derogare opinioni velim, à ſuperfluo plerumque quodam humore provenit, qui ex arteriarum extremitatibus, vaſiſque lymphaticis procedit, vel propter illorum abundantiam, vel obſtructionem, vel etiam tardiorem ſanguinis intra arterias motum à viſcoſo, craſſoque humore ſanguini mixto ortum, unde hic neceſſario minori vi in vaſa lymphatica propellitur: quamvis etiam fieri poſſit, ut tenerum nec non poroſum valde infantis caput ab aere frigido non bene defenſum fuerit, unde humores in vaſculis lymphaticis facilius condenſantur, ſicque ad motum evadunt ineptiores vaſis ipſis magis, magiſque intumeſcentibus.

Hydrocephalum hujuſmodi externum provenire poſſe ab arteriarum extremitatibus vel hinc magis pateſcit, quod tales hydrocephali non tan-

tantum à violentiâ, aliâve cauſâ externâ naſcantur, ſed & quod in iiſdem limoſa quædam, vel ſanguinolenta, turbulentaque ſemper reperiatur lympha, cum tamen in internis hydrocephalis ea clara ſemper, & limpida appareat, hanc ſententiam confirmat præter alios *Epiphan. Ferdinandus hiſt.* 21. *fol.* 66.

Si vero quiſquam dubius roget, undenam contigerit, ut in cane *Richardi Loweri tract. de corde cap.* 2. *pag.* 123. ligatâ venâ jugulari, omnes ſupraſiti muſculi, & glandulæ liquido, pellucidoque repleti fuerint ſero? Id forſan contigit, quia ſanguine per ligatam venam jugularem verſus inferiora non retrograediente, ſed in ipſâ arteria manente, per poros tunicarum arteriolarum, quæ in extremitatibus non duplices, ſed ſimplices ſunt, non niſi purum ſerum tranſcolatur; illarum enim arteriolarum textura tranſcolationi tenuis ejuſmodi humoris ſatis idonea eſt.

Qantum autem ad internum attinet Hydrocephalum, lympha in cavitates cerebri, aliumve capitis locum eodem defertur modo, quo ille humor, qui in aliis cotporis partibus producit hydropem, ut in tunicis viſcera circumcingentibus, teſticulis tam virilibus, quam fæminis, peritonæo &c., in quibus ultimis partibus multoties quidem centum, & quod excedit, aquæ libræ fuere repertæ.

Veroſimile eſt hoc, quicquid eſt lymphæ, per ârteriolas in glandulas cerebri corticales delatum, ibi-

ibidemque ſeparatum per canaliculos (eodem plane modo, ac in renibus, aliiſve corporis partibus humores ſequeſtrantur) ad cerebrum deduci; eſtque hæc hydrocephali lympha ejuſdem plane naturæ, cujus eſt illa, quæ in ventriculis cerebri ſanorum hominum ſemper reperiri ſolet, quemadmodum abunde è ſapore, & colore colligitur; qui humor naturaliter ſemper à ſubſequente novo inde propelli ſolet.

Verum quorſum ille, cavitatibus cerebri irrigatis, in ſanis deferatur, an ſcilicet ad naſum, ſive oculos, aureſve, aut oris cavitatem, non adeo exploratum eſt.

Joh. Lechelius Ephem. German. decur. 2. *an.* 2. *obſ.* 178. *fol.* 363. exemplum habet pueri maſculi, cui recens nato caput hydrocephalo obſidebatur, cujuſque non multo poſt mortui tota cerebri cortex non excedebat calami ſcriptorii craſſitudinem, quo ſeparato, loco ventriculorum offendiſſe ſe ait amplam quaſi veſicam, limpidiſſimâ, & inſipidâ aquâ repletam, quantitate uncias 50. excedente, neglectâ eâ, quam ſpongiæ, & linteamina imbiberant; effuſâ autem hac, collapſi cerebri ventriculi manifeſto docuere illam in utrumque ventriculum per corticis quoſdam tubulos, à recentioribus Anatomicis paſſim deſcriptos deſtillaſſe, ac undique ſui copiâ cerebri ſubſtantiam, cranium, pericraniumque extendiſſe; atque capiti illam deformitatem produxiſſe.

Fieri

Fieri etiam poteſt, ut abſceſſus, ſive veſiculæ aquoſæ in cavitatibus cerebri tam brutorum quam hominum repertæ primò ex aliis parvis veſiculis plexui choroideo annexis conflentur: quia glandulæ illæ tunc etiam tumidæ ſunt, & induratæ; quæ ſucceſſu temporis ita accreſcunt, dum, ſuperfluus humor propter obſtructionem revehi nequit. Ita *Williſius* glandulas illius plexus ſæpe ſe vidiſſe teſtatur tumidas.

Scribit etiam *Franc: Sylvius diſp.* 4. §. 12. ſe glandulas illas in ſolis morboſis reperiſſe; forſan quia tunc temporis ſuperfluo humore tumefactæ melius conſpici potuerint.

De glandulis hiſce agit quoque *Wharton: Adenogr. cap.* 24. *fol.* 142. ut & *Theod. Kerckringius obſ.* 10 *pag.* 29 Teſtatur *D. Fred. Ruyſch. Medicus, & Anatomicus Amſtelodamenſis expertiſſimus* ſe in diſſectione cadaveris cujuſdam fæminei glandulas copioſas magnitudine ſem: milii reperiſſe plexui illi annexas. *Joh. Jacob. Wepferus pag.* 375. ſe non cerebri tantum cavitates humore plenas, ſed & ipſum plexum ſanguinis fere expertem vidiſſe ait, in quo multæ conſpectæ fuerint glandulæ, ſed albicantes, limoſæ, tactuque duræ; fol. autem 415. ſe obſervaſſe tradit varias hydatides tam in ſiniſtro, quam dextro plexu chorideo, nec non *fol.* 410: ſe varias in plexu dextro hydatides animadvertiſſe ſcribit, quarum quædam piſo majores fuerint, ut & pariter in ſiniſtro, quarum una avellanæ nucis magnitudinem exceſſerit. Quan-

Quando itaque liquor hic vaſculorum lymphaticorum præter conſuetudinem, & naturam viſcosâ quadam ſanguinis materiâ incraſſatus eſt, obſtructionemque ibidem produxit, vaſa lymphatica continuâ ſubſequentis lymphæ preſſione tandem rumpuntur, ſicque liquorem ſuum inter membranas effundunt, & receptaculum quoddam ibidem efficiunt, vel etiam inter vaſorum lymphaticorum valvulas hydatides producunt.

Contingit etiam, ut extremitates arteriarum à viſcoſo quodam humore ſint obſtructæ, vel vaſculum quoddam alicubi tumore quodam prematur, unde ſanguinis circulum ſuum per arterias abſolvere non valentis tenuis, & aquoſus liquor extra ipſas per poros tranſcolatur, qui ita hydrocephali interni cauſa eſt.

Sunt, qui dubitent, an in cerebro vaſcula dentur lymphatica, verum teſtatur epiſtolâ quadam *Steno* ſæpius ſe vaſcula quædam lymphatica circa glandulam pinealem animadvertiſſe, quæ, ut ait, totidem forſan viæ fuere lymphaticæ humectationi ventriculorum cerebri deſtinatæ. Et, ſiquidem eadem in pectore, abdomine, aliiſque externis membris reperiuntur, non ita erraverit fortean, qui nec caput ipſis deſtitui dixerit, hoc enim inſtar gazophylacei cujuſdam humorum, utpote lymphatico liquore, arteriiſque liquorem iſtum advehentibus abunde ditatur. Ita ut dubitare non liceat, quin caput æque, ac thorax, ven-

venterve, aut alia corporis exteriora membra, ſuis ſcateat vaſculis lymphaticis. Ac quamvis nulla adhuc cerebro reperta ſint hujuſmodi vaſcula, non tamen non exiſtere dicendum erit.

Sed quænam quæſo, fuit cauſa, cur infimæ corporis partes illius, de quo retuli, ut & in aliis, quæ adduxi, exemplis, adeo fuerint macilentæ?

Nos cauſam fuiſſe putamus, quod durante hydrocephali accretione, ille parco admodum, imo ſæpe nullo uſus fuerit alimento, ſolo matris lacte contentus. Accreſcente itaque capite, reliquæ corporis partes decreſcebant, quod nutrimento deſtituerentur, quemadmodum aliis partibus, nutrimento alio delato, accidit. Conferatur obſ. 49. tom. noſtri primi primi, ubi de magno liene. Sic etiam refert *Thom. Bartholin. Act. med. Haffn. volum.* 1. *obſ.* 92. Quomodo *D. Borrichius* duarum gallinarum, quas macreſcere quotidie, & ſine manifeſta cauſa, ſuppetente licet ſagina largiori, oppido attenuari videbat in conſpectum prolata viſcera ommia flaccida, & exſucca, præſertim quæ in abdomine continebantur, repererit. Solum ibi hepar præter morem imminens, adeo non videbatur imminutum ut plus, quam decuplo auctius cerneretur, &, quod accedit, pinguiſſimum: quale quid etiam obſervarunt *Joh. Læſel. renum ſcrutinio, Olauſque Rubdecq. obſ. anatom.* 18

Quod autem in gallinaceo genere vitium deprehendit, id in anſeribus delitiarum loco in cœnis antiquorum æſtimatum fuit. Hinc

Hinc *Martialis lib.* 13. *Epigram.* 58.

Adſpice quam tumeat magno jecur anſere majus,
Miratus dices, hoc, rogo, crevit ubi?

Juvenalis Satyra V.

Anſeris ante ipſum magni jecur, anſeribus par.

Certum autem eſt liquorem hydrocephali è ſucco quodammodo conſtare nutritio; idem enim ſatis lentor, qui poſt ejus evaporationem animadvertitur, demonſtrat.

Infimarum partium marcor forſitan inde quoque ortus fuit, quod ſanguis iſtarum partium craſſior plerumque, minuſque ſpirituoſus exiſtat quam ſupremarum, nec non quia ille per ſecretionem magnæ copiæ tenuis liquoris in capite aliquanto craſſior factus, obſtructione inde in vaſculis ſuborta, infernas partes tam bene nutrire nequeat, vel denique, quia tubuli nervorum aliquomodo preſſione lymphæ ſunt obſtructæ, unde ſpiritus ſatis abunde in partes, pro circulatione humorum nutrientium propaganda influere nequeunt.

Puer autem ille ſenſim viſum amiſit, quod tubuli nervorum opticorum paulatim magis, magiſque materiâ viſcoſâ intus contentâ obſtruerentur, vel etiam nimiâ ejus quantitate comprimerentur.

De

De ſignis, prognoſique hydrocephalorum legi poterunt *Paul. Ægineta lib. 6. cap. 3. D. Sennertus lib. 1. prax. part. 1. cap. 28, nec non Ambroſ. Paræus lib. 7. operat. Chirurg. cap. 1.*

Dicendum reſtat, an Hydrocephalus queat curari? Externus equidem facilius curatur, ſed internus, præſertimque locum habens in ipſis cerebri ventriculis, nullâ eſt ſanabilis arte, teſte etiam *Galeno lib. med. introduct.*

Quum etiam medicatio conſiſtat in medicamentorum internorum uſu, longoque tempore ea aſſumi debeant, difficile ad eorum aſſumptionem adducentur infantes.

Balth. Timæus lib. 5. de morb. Infant. caſ. 5. fol. 144, dicit ſe puellam bimeſtrem ſanaſſe, quæ tumore capitis inſigni, & pellucido ejuſdem undique coloris afficiebatur; tumor in altum elevatus tactui cedebat, rurſuſque aſſurgebat; compreſſus aquæ fluctuantis motum prodebat ſine dolore. Ab humore autem ſeroſo extra cranium, inter cutem, & pericranium collecto, tumorem hunc excitatum fuiſſe ſigna modo enumerata ſatis oſtendiſſe ait, ſenſim autem, & in utero materno coacervatum eſſe ſerum exindè collegit, quod mater alioquin valetudinaria, & ad hydropem diſpoſita, toto geſtationis tempore potu cereviſiæ tenuis, ſive ſecundariæ uſa, multum aquoſi, & ſeroſi humoris cumulaviſſet. Quare nutricem ſanam, & boni habitus ſubſti-

tituendam ſuaſit, cumque infanti tenello ex medicamentis internis nihil adhiberi poſſet, externis agendum eſſe cenſuit, impoſito ſequenti cataplaſmate, cujus ſolius uſu aliquandiu continuato ſenſim diſparuit tumor.

℞. *pulv. rad. cucum. Aſinini*
Iridis ā ℥ß.
Sem. cumini ℥j.
Far. fabar. ℥ij.
Mellis Anthoſ. q. ſ.
Fiat Cataplaſma capiti raſo calidè applicandum.

Laz. Riverius obſ. med. à Sam. Formio communicat. pag. 350, infantis recens in lucem editi, hydrocephaloque laborantis meminit, qui totum caput, cum magnâ ſuturarum dilatatione occupabat, dicitque ſine ullo medicamento, aut alio remedio hunc ſe curaſſe, ſolâ ſcilicet faſciâ *Guidonis* in formam cucuphæ concinnatâ, quâ totum caput obvolutum fuerit.

Hæc autem faſcia, Gallis *Capeline de Guidon*, quotidie renovabatur, & intra 15. aut 20. dies tumorem prorſus evanuiſſe tradit.

Circa hydrocephali curationem, inquit *Steph. Blankardus lib. de morb. puer. fol.* 208. optimum eſſe exiſtimo, ut caput valde calidum ſervetur, ſique infantes in cunis decumbant, calidus aliquis lapis, vel arena calida circa caput ponatur, unde obſtructiones iterum reſerantur,

tur, & lympha liberum acquirit tranſitum: ſudorifera quoque, ut cenſet ille, hoc caſu utilia ſunt. *Idem collectan: med: phyſ: cent:* 3. *obſ:* 47. *fol.* 248. exemplum habet Hydrocephali cujuſdam in ſuturâ Lambdoide ſiti, magnitudinem æquantis panis albi, quales binos argenteorum nummorum minimo noſtrates emunt, qui fotu quodam ab eodem deſcripto, præmiſſâ corporis debitâ evacuatione, ſublatus fuit. *H. Montuus Pueror. Pragmat. cap.* 8. Opifici cuidam inſtar bovini caput intumuiſſe memorat, ita ut eo tota facies, naſuſque contegeretur. Huic autem conſuluere, uti ligneum in os immitteret fruſtum, quo facilius reſpiraret. Atque ita quidem porro avertentibus â capite remediis, ſobriâque vivendi lege percuratus eſt.

De puero ſexenni ſanato vide *Ephem. Germ. ann.* 1. *pag.* 137.

Quæritur porro, an hydrocephalum, curandi gratia, incidere fas ſit?

N. Tulpius obſ. med. lib. 1. *cap.* 25. *fol.* 51. binis hydrocephalis dimidii capitis, de quibus ſupra, Chirurgum varia inuſſiſſe ulcera, cutemque non uno diſſecuiſſe loco, ſed utrumque, æque improſpere ceſſiſſe ait, exſtillante humore magis gutttatim, quam tam effuſe, ut levaret cerebrum, & exhauriret fontem vitalem calorem alioquin certo extincturum.

Deinde, etiamſi aqua majori copia ex cerebri cavitate ſimul effluxiſſet (quod tamen iſto modo

fieri nequit) alia tamen in effuſæ locum ſucceſſiſſet: adde, ſi malum diu duraverit, crania valde diſtenta, & aucta eſſe, unde poſtea collabi nequeunt. Non minus infelicem eventum habuit infans quidam, de quo *Schenk. obſ: med: lib: de monſtroſ: cap: conformat. ex Joh. Franc: phyſ: Camicenſi fol. mihi* 11.

G: Fabric: Hild: centur: 3. *obſ.* 17. *fol.* 198. exemplum habet infantis cujuſdam, cui cum tertium ætatis menſem vix abſolviſſet, caput paulatim accreſcere coëperit, ita ut infantuli caput, antequam ipſe octavum ætatis menſem attigiſſet, magnitudinem capitis cujuſvis hominis longe excederet; uſque adeo namque aquâ limpidiſſimâ extendebatur cranium, ut cutis, omneſque ſubjectæ partes pellucidæ redderentur, & poſita ex adverſa parte candela, aut ad radios ſolares collocato capite, aqua facillime conſpiceretur: Interim Chirurgum juvenem, ingenioſum tamen ſatis, in conſilium adhibuerant, qui, inciſo bregmate dextro, aquæ claræ ad libram unam circiter, primâ vice extraxit, mox turundam impoſuit, & emplaſtro quodam vulnus obturavit, ſed quia caput aqua valde turgebat, ita ut ea continue, & copioſe efflueret, vires infanti adeo fuere debilitatæ, ut intra horas 36. è vita diſceſſerit. Periculoſa itaque valde eſt cranii apertio, & aquæ evacuatio, nec ſine ratione; continetur enim, inquit ille, aqua ipſis cerebri ventriculis, ideoque ſi quis illam educere tentet meninges ſimul,

&

& ſubſtantiam cerebri incidat, neceſſe eſt: cerebrum etiam, præſertimque partes ejus internæ, liquore iſto, præcipue ſi diutius ibidem hæreat, adeo debilitantur, ut materia nutriens illuc deducta in laudabile mutari nequeat nutrimentum.

Hanc quoque ob rationem *Cæſ. Arant: lib: de tumor. cap.* ſectionem in hydrocephalis internis non admittit; ut nec *P: Ægineta lib. 6. cap.* 3. neque *M. Aurel. Severinus Chirurg effic. part. 2. fol.* 135.

Non niſi externi itaque incidendi erunt hydrocephali, necquicquam adhibitis exterioribus, interioribuſque remediis, approbante ipſomet *Galeno lib: med: introduct: cap:* 18, dum dicit hydrocephali pericranium duabus, vel tribus, prout ſcilcet id magnum fuerit, inciſionibus aperiendum eſſe; quæ tres lineæ, ſecundum *Æginetam lib. 6. cap.* 3. inſtituendæ ſunt ad figuram literæ H. Idem *Paræus* affirmat *lib. 7. cap.* 1. nec non *Epiph: Ferdin: hiſt: med:* 21. *fol.* 67, ut & *M: Aurel: Severinus, G: Placentinus, Foreſtus*, &c.

Carolus Piſo ſect. 2. part: 1. de morb: cap: ext. ab illuvie ſeroſa cap. 1, *fol. mihi* 52, ſe ejuſmodi hydrocephalum ſenis cujuſdam multis tam internis, quam externis remediis incaſſum adhibitis, fonticulo occipiti inuſto percuraſſe ſcribit.

Joh. Baptiſt. de Lamzwerde obſ. ad armament: Chirurg. obſ. 33. *fol.* 253. hydrocephalum quendam in muliere quadragenariâ curatum fuiſſe

ait, cui diu crudeli capitis dolore interno detentæ, tandem media hyeme caput extrinſecus tumore œdematoſo in tantum excrevit, ut duplo fere majus videretur, & oculi amplius aperiri non poſſent, aureſque ad pollicis craſſitiem intumeſcerent. Per quam humorum metaſtaſin internus, acutuſque dolor externus evaſit, multoque levior. In curatione autem caput variis vulnuſculis lanceolâ factis hic illic perforari ſe juſſiſſe dicit, è quibus ſeroſus liquor copioſe exſtillavit, ſicque caput paucis diebus multum detumuit; adhibitæ etiam fuere fomentationes, & cucuphæ è cephalicis calidis, ac diſcutientibus confectæ, & ſic ægram convaluiſſe affirmat. Hoc autem malum infantibus, inquit, raro, ſed adultis rariſſime accidit.

OBSERVATIO XV.

Diuturna admodum à cibo, potuque abſtinentia.

SIquidem ita comparati ſimus homunciones, ut rariora quævis, minuſque ſolita, ficta putemus, operæ pretium duxi, ſi literas quaſdam die 13. Julij an. 1683. *Diepenheymio* ab Hermanno ab Eybergen verbi divini eodem in loco præcone ad D: *Bruynſteyn* Celſiſſ. Arauſionum

num Principis Archiatrum datas his adjicerem.

VIR OBSERVANDE:

Siquidem hiſtoricam à me relationem poſtulaſti eorum, quæ apud nos hic nuper accidere circa miraculoſum puellæ cujuſdam morbum, ejuſdemque curationem, de qua apud vicinos tanta, tamque miranda prædicantur, petitioni tuæ nec volui, nec debui non ſatisfacere, ita tamen, ut non niſi ſumma rei capita ſim tacturus. Accuratius autem iſta non fuere annotata, quod exiſtimaret quilibet nihil alimenti ſumentem non diu aura vitali veſci poſſe.

Hiſce præmiſſis rem ipſam aggredior, quantumque occurrit memori, breviter exponam, illius quidem nomine, parentibuſque, ac natali ſolo indicatis.

Dicta eſt puella Adelheydis, filia *Joh. Kuyper* in pago *Helſelaer*, qui eſt Toparchiæ *Berkelo* degentis, fuitque mihi, ut & parentes, jamdiu familiaris.

Matris nomen erat *Eſſele Banninck* filia coloni cujuſdam in pago *Helſelaer*, ubi Adelheidis nata eſt tempore Autumni

 ann.

ann. 1667. & matre mortuâ die 11. Jannuarij ann. 1676. Amita, nomine *Geeſken Kuyper*, puellam hanc, quod liberis careret, domi ſuæ educavit in pago *Diepenheym*, ubi ſcholæ eandem tradidit, retinuitque ad Menſem Mayum ann. 1682. Tum vero amitæ conſenſu ſuas locavit operas uxori *Bernardi Swierinck*, Provinciæ hujus Tabellarii Swollæ habitantis; ubi ſub initium dierum canicularium corripiebatur febre quartana, qua per ſex hebdomadas afflicta domum tandem ad Amitam ſeptimâ remittebatur.

Reverſa igitur in pagum *Diepenheym* febri quidem quartana etiamnum affligebatur, ſed tamen lecto non affixa quotidie vicinos inviſebat, verbumque Dei ſemel in templo audiebat: Verum interim conſuetus ipſi minuebatur appetitus, præſertim quidem propter frequentiorem crudorum pomorum, raparumque eſum.

Elapſo itaque menſe uno, lecto tandem inhærebat ſoli, ac quævis reſpuebat alimenta, imo morbus tanta indies ſumebat incrementa, ut propinquam quivis arbitraretur mortem. Hoc-

Hocce in ſtatu decubuit illa per menſem continuum, lecto interim non immutato, ac nihil eſculenti, aut potulenti aſſumſit, nihil omnino per alvum excrevit, certo indicio ipſam nec comediſſe, nec bibiſſe, quod haud dubie alvus, urinæve manifeſtaſſent.

Hæc itaque omnia magnam illi pariebant alterationem, & anguſtias; nihil locuta, ac tanquam mox moritura tanto cum dolore obriguit, ut nec pedes commovere, nec attrahere poſſet, aut pati planum quendam laterem calefactum, linteiſque incluſum; quem amita pedibus, ut calefierent (erat enim tunc anni tempus brumale) admoverat.

Poſtquam vero tam miſero in ſtatu per menſem integrum decubuiſſet, invita grabato impoſita eſt, ut commodior ipſi eſſet decubitus, ſicque rurſus continuata dierum ſerie jacuit uſque in hebdomadam tertiam, non mutato, niſi quovis octavo, decimo, vel duodecimo die, lecto. Magnis interea ſæpius angoribus corripiebatur, deliquiiſque, quæ nos letales motus convulſivos putabamus, quibus etiam pollices manus vo-

lis

lis includebat, cum alias brachiis ſub tegmine quietis decumbere conſueviſſet. Tandem & internæ illæ convulſiones extrinſecus non ſine multa vehementia apparuere; ita ut ſe ipſam haud dubie è lecto conjeciſſet, niſi accurate fuiſſet obſervata, hoc enim non cuſtodita fecerat.

Hujuſmodi affectibus laborantem ipſemet, quæ eſt muneris mei pietas, inviſebam, ſacrâ conſolatus Scripturâ, cujus, nec non precum, avida admodum erat. Ipſe quidem quater unius horæ ſpatio vidi eam iſtis paſſionibus afflictam, manuſque ejus detinui, ſed detentionem, ac præſertim capitis, ferre neſcia ſibi relicta fuit impoſterum.

Omnes detinere volentes mordebat, imo etiam amitæ manum ſæpius apprehendebat, quæ, niſi naribus ejus ſubito occluſis, dimitti vix poterat. Speciatim ergo attendendum erat, ne ſemet ipſam lecto ejiceret, caputve læderet. Iſtâ enim paſſione obruta caput in anteriora, ac poſteriora jactitabat, quapropter etiam, quam primum gemitum daret, cavendum erat, ne agitatione capitis violenta læderetur.

Non

Nonnunquam & pulvinar in præſervationem ejus parieti admotum, dentibus arreptum canis inſtar concutiebat, quin imo vidit aliquando *Diepenheymii* Domina quaſſatione illâ pulvinar laceratum.

Siniſtro non poterat incumbere lateri, ſed non niſi dextro: nonnunquam adeò ſe contorquebat, ut mentum, genuaque conjungeret, ac tum iterum ſe explicabat, paroxyſmo autem decreſcente (erat enim tantum brevis) defeſſa admodum erat, ſudoribuſque perfuſa, apertiſque in manibus ſudor, inſtar butyri liquefacti cernebatur.

Huic malo aliud inſuper accedebat, nam per vehementem illam paſſionem palpebræ ejus ita claudebantur, pupillæque verſus interiora propellebantur, ut quaſi conſumptæ apparerent, digitiſque palpebras aperire non poſſet; quare firmiter occluſæ manſerunt.

Toto illo tempore ſæpe quidem nonnihil ad ſui refocillationem aſſumere conabatur, ſed deglutire non poterat, etiamſi liquida fuerint, ut vinum, cereviſia &c. cum enim ſummo conamine aliquid forte deglutiviſſet, præ nimiis anguſtiis quieſ-

cere

cere non poterat, antequam tuſſi, vomituque illud ejeciſſet; quapropter immenſi doloris metu nihil tandem in os ingerebat, nec quidquam offerre audebat amita.

Veſperi quidem parumper dormiebat, ceſſante mediam poſt noctem ſomno, nonnunquam tamen poſt meridiem dormiebat per horam unam, aut alteram.

Multiplicibus illis convulſionibus mentis etiam uſus videbatur imminutus ac licet nihil omnino poſſet edere, libum dulce tamen, mala, uvas paſſas, ficus, pruna, &c. petebat, optimeque conſervabat, ita ut nihil amitteretur, omnibus ſæpe numeratis.

Rogatu vero Patris, tandem ab amita die 13. Aprilis an. 1683. demiſſa fuit ad pagum *Helſelaer* horæ intervallo *Diepenheymio* diſtantem, magna quantitate placentorum, malorum, & id genus plurium, locupletata, ubi, quamquam cæca, clavos parieti argillaceo affixit, iiſdemque aſſeres impoſuit egregiam ſuppellectilem aſſervaturos non minus provida, quam cum *Diepenheymii* eſſet. In his autem numerandis (ſi taceam de

con-

conſolationibus, verbo divino, & præcibus) ſumma ejus conſiſtebat voluptas, eratque, quantum ad res iſtas, adeo avara, ut ſitum omnia apud eam contraherent, Initio quidem moleſta erat conſortii *Diepenheymici* amiſſio; tandem autem & hujus oblita eſt.

Verum enim vero quis non immenſam Dei T. O. M. ſuſpiciat miſericordiam!

Noctu inter diem 16. & 17. Aprilis imaginatur illa bibere ſe, ac videre; quapropter Patrem clamitabat, ut potum afferret, ſed ſomno ſepultum excitare non poterat. Quievit itaque parum interim obdormiens: mane patri narrabat, quid ſibi contigiſſet, à quo idcirco porrecti vini ipſa aliquantum bibit, ac retinuit.

Recuperatâ itaque, Dei gratia, deglutitione, deſiderabatur etiam ſummopere viſus reſtitutio, quem ſibi redditum etiam noctu imaginata erat.

Et ecce, una poſt aſſumptum potum hora Patri lecto adſtanti dixit: Credo, Pater, me videre poſſe, accendas, quæſo, lampadem, ut, an vera putem, expe-

periar. Petitioni ſatisfacit Pater, ac lampada, etiamſi meridiano tempore, accendit, cujus non tantum illa lumen, ſed & Patrem, omniaque feneſtrarum vitris inſcripta vidit. Palpebræ tamen nondum aperiebantur omnino, niſi digitis adjutæ. Verum non ita diu poſt abſque manuum auxilio oculos aperuit, ſtupentibus omnibus, ſiquidem per quadraginta ac ſeptem dies occluſi fuiſſent. Poſt inexſpectatum hunc eventum oculi rurſus claudebantur ad diem tertium, vel quartum, tuncque digitis ipſos aperiebat, quod per dies aliquot continuare neceſſe habuit, donec tandem naturalem ipſorum recuperaſſet motum, quo hodie feliciter fruitur.

Die 27. Aprilis, primâ demum poſt morbum vice panis nonnihil triticei cum melle comedit, eratque hic dies decimus ab eo, quo primum potaverat.

Die 28. menſis ejuſdem fruſtulum quoddam ſemicocti deglutivit lardi, & ſiquidem illud ſumme deſideraſſet, aliquid inſuper, ut ei ſatisfieret, frigendum fuit. Verum illa tanto interim lardi ferebatur appetitu, ut aſſationem expecta-

pectare non poſſet, ideoque crudum illud comedebat; ita ut credita ſit non minus quartâ libræ parte ſumpſiſſe, nihil inde mali experta.

Necdum tamen alvus reſponderat, etiamſi ſæpius bibiſſet. Die autem 4. May primâ vice reddidit urinam, ſicque porro quotidie. Sexto demum ejuſdem menſis alvum primâ vice depoſuit, porroque decimo, decimoquarto, &c.

Poſtquam lardum ſemel comediſſet, inſequentibus porro diebus eodem, ut & carne fumo induratâ delectata eſt: Haleces etiam ſalitos anni præteriti (nondum enim capti erant recentes) cum lacte frigido abſque pane ſumpſit.

Fructibus denique, tunc temporis abunde venalibus, ventriculum ita refrigeravit, ut vix quicquam aliud poſſet comedere, in tertiam hebdomadam alvi exoneratione dilatâ: Hanc enim nudiuſtertius die 30 Julii aſſumpto tuo medicamento dejecit, quod unicum internum fuit remedium, quo illa toto hoc tempore fuit uſa, excepto ante tres hebdomadas, ad roborandum ven-

ventriculum, vino quodam medicato, quod tamen bibere non perſeveravit.

Dicendum reſtat, quomodo ei reſtitutus fuerit greſſus, ut & quomodo convulſiones ceſſarint.

Viſu, Dei gratiâ, unâ cum appetitu cibi, potuſque, reſtituto, vires ſenſim accreſcebant, decreſcentibus interea convulſionibus.

Obſervaverat Pater convulſiones in pago *Helſelaer* phaſibus auſcultaſſe lunæ, nec non ipſa convaleſcente, tertium ſemper graviſſimum fuiſſe diem: Primò quidem continuabantur eodem cum impetu convulſiones, imo iiſdem durantibus aſſulam, quandam morſibus à lecti aſſere avulſit; his tamen tandem magis, magiſque ceſſantibus, robur, creſcere, vireſque redire coëperunt, quamvis initio quidem erecto ſedere corpore non poſſet, paulatim vero è lecto quaſi rependo novercam ſuam, natura non duram, ſed clementem; quæque antea multos paſſa erat morbos, uſque in hortum ſequebatur, non levi ejus gaudio, ſolatioque.

Poſtea autem ei efformabantur bina ful-

fulcra ſubalaria, quibus tam intra, quam extra domum procedere incipiebat; ſed ſedere non poterat, ambulare, vel decumbere coacta. Viribus poſt magis increſcentibus primò unum derelinquebat fulcrum, poſtea & aliud, jamque baculo quodam, quod utraque tenet manu, incedit,

Cum jam ita valida evaſiſſet, ut abſque periculo deliquii animi poſſet erecta ſedere, die 1. Auguſti templum adiit, primo in pago *Helſelaer*, deinde ejuſdem menſis die 8. apud *Diepenheymenſes* meos, Deo T. O. M. precibus pro racuperatâ ſanitate gratias actura.

Reliquum jam eſt, ut ventriculus durioribus alimentis, ut & frigido lacte, fructibuſque debilitatus ad priſtinam reducatur conſtitutionem, quod eundem Deum daturum ſpero, voveoque.

IN OBSERVATIONEM XV.

QUamvis hæc hiſtoria quibuſdam forſan minus vera videbitur reſpectu tamen tot, tamque dignorum teſtium, non niſi veritati congruam confido.

Multa olim contigêre, ac etiamnum etiam contingunt, quæ initio hominibus quidem miranda, fidemque ſuperantia videntur, at ad accuratiorem judicii revocata trutinam facile fidem inveniunt.

Prudentiæ equidem indicium crediderim non protinus negare ea, quæ minus liquido capimus, nec etiam continuo credere, quæ vano quodam, & diſſoluto ſcribendi animo tanquam miranda lectori obtruduntur.

Homo profecto creaturarum Dei excellentiſſima, maximeque admiranda eſt. Quapropter in eo magis, quam in aliis animalibus divina elucent miracula, ut pote quæ in nobiliore præſtita ſubjecto longe clariora ſunt.

Hunc tamen caſum miraculoſum ſupernaturalemve non exiſtimo, etiamſi potentiæ, providentiæque cœleſti non parum tribuendum cenſeam.

Ex hiſtoriæ itaque explicatione plurima à naturalibus proveniſſe cauſis patebit.

Veræ quidem extant de quibuſdam narrationes, qui diutius abſque alimentis vixerunt, quique abſque miraculo, propriâ temperantiâ, & ſobrietate Sanctos quoſdam jejunando ſuperarunt; illæ tamen miraculum non tollunt, nam ſæpe in uno mirandum quid fieri poteſt, quod in alio cauſas habet omnino naturales.

Priuſquam autem demonſtrationem aggrediar; primo evertere conabor, quæ à nonnul-

lis

s contra hujuſmodi à cibo , & potu abſtinen-am objiciuntur.

Hippocrates lib. de Carnibus, vel, uti qui-am volunt, de *Principiis*, dicit hominem ſine limentis vivere non poſſe ultra ſeptem dies, quod *Macrobius lib. 1. in ſomnium Scipionis cap. 6.* t & *Braſſavola*, aliique confirmant, verum an ber ille revera ab ipſo *Hippocrate* ſit conſcriptus *Valleſius*, *Mercurialiſque* dubitant.

Scriptor libri *de carnibus*, nonnullis, quan-o (ne poſt tot dierum jejunium obirent) ad co-medendum, & bibendum ſe rurſus committe-ent , alimenta deſcendere non potuiſſe ait, ſi-uidem inteſtinum jejunum intra illud tempus oäluerat, quapropter neceſſario extincti fuerint.

Hæc equidem non ſine ratione dicuntur, quæ xperientia enim multiplex ſæpius docuit. Ita radunt *Ephemerides German. decur.* 1. *an.* 3. *ol.* 328. *obſerv.* 173. *Henrici Sampſonii*, mu-ieris cujuſdam ventrem continuo jejunio ita flac-idum evaviſſe, ut ſpina dorſi, non obſtantibus nuſculis abdominis, & inteſtinis, premente nanu ſentiri facile poſſet.

Memorat *Felix Platerus centur. Poſthumâ quæſt. Med.* 32. *fol.* 58, de quodam vinculis de-ento, qui, ut morte voluntaria ſupplicium gra-vius, quod imminebat, averteret, genus mor-is, quod ipſe eo loco, & tempore facillimum eſſe cogitabat, elegit, coëpitque omni cibo, & potu, icet ſeriò à miniſtris reprehenſus ob id facinus,

& fruſtra admonitus, abſtinere, famemque: quod admirandum, citra omnem quærimoniam aut moleſtiam, quatuordecim dierum ſpatio patientiſſime pertulit, quo tempore primum pænitentiâ ſed ſerius ductus, ita ut cum cibum peteret, eum tamen reſpueret, citra gravius aliquod ſymptoma expiravit.

Scripſit equidem *Plinius* hominem ante diem ſeptimum fame non interire. Sed *lib.* 11. *cap.* 24. illud tempus ad diem extendit undecimum. Quamvis autem ita ſæpius contingat, ſeptimum tamen, undecimumve diem certum determinatumque ſtatuere tempus erroneum eſt. Atque ipſe quidem exiſtimo tempus illud diverſorum temperamentorum, regioniſque, nec non ſanitatis, ac morbi, quo quis laborat, reſpectu, valde differre: ſiquidem nonnulli ante, quidam poſt ſeptimum diem nutrimenti defectu deceſſerint.

Docuit experientia plurimis, morboque carentibus nullo alimento ultra dies ſeptem vitam fuiſſe productam.

Joh. Rhodius cent. 2. *obſ.* 54. *&* 55. varia habet exempla eorum, qui ultra undecim dies abſque alimento ſine noxa vixerint. *N. Tulpius obſ. med. lib.* 1. *obſ.* 43. *fol. mihi* 84. Septem Anglos, quos tempeſtas ſævior in altum longius egerat, quam ut portus ſperari poſſet, undecim dies abſque alimentis nullo inde ſuperſtite incommodo vixiſſe tradit.

Domi-

Dominicus Panarolus Pentecoſt. 5. *obſ. med.* 20. virginis cujuſdam meminit, quæ triſtitia, & deſperatione per dies viginti duos omni cibo, potuque abſtinuerit, ac (ne ſubita alimentorum ingeſtione quidquam pateretur incommodi) poſtea ſenſim alimentis concoctu facilibus, & humidis recreata ſervataque fuerit.

Sunt, qui religioſam quandam virginem nullo ſe amplius indigere alimento imaginatam tradunt, quod dictum ſibi crederet, fore, uti aſſidua ſacri Codicis lectione nutriretur abunde. Cum ergo per tres, quatuorve dies in imaginatione iſta perſeveraret, nulliſque uteretur alimentis, fruſtra conſanguinei eam hujuſmodi liberare errore annixi ſunt, oblata enim quævis averſata tantâ interdum rejiciebat in patinam iracundiâ ut circumſtantium veſtes contaminaret juſculo. Poſtquam itaque per duodecim dies nihil omnino comediſſet, decimo tertio ad plures abiit.

Memorabile etiam judicaverim quod libellus Gallicus, qualis ſingulis menſibus prodit, *Reipublicæ literariæ Acta* vocant, de quodam *Iſaaco Henrici Stiphont* tradit. Hic mentis parum compos, cellulæque, in quales id hominum genus intruditur, Harlemi incluſus, tandem furore percitus verum ſe Meſſiam, ejuſque ad exemplum per quadraginta dies, ac totidem noctes ſeſe jejunare velle dixit. Jejunium itaque ſexto Decembris anni 1684. inchoatum quinto decimo Februarii 1685. finivit. Tabaci equidem uſu

ſeſe pro more non abſtinuit, aquamque, ſed magis ad lavandum os, quam riganda viſcera ſumpſit; Cibo autem, potuque per omne illud tempus non fuit uſus: ſed nec aquæ nutriturum liquorem, vinive ſpiritum miſceri voluit. Hoc enim cum fieri animadverteret (caute namque quævis circumſpiciebat) protinus illam non ſine horrore rejiciebat, nec ullis, ne vel fictorum quidem angelorum, minis, promiſſiſve, ut ederet, adigi poterat. Necquicquam enim quævis offerentibus Cœleſtris Patris juſſa ſe ſequi dixit. Nihil etiam omnino, utut ejus in veſtibus cellulaque vel accuratius fuerit quæſitum, quo ſe aleret, apparuit. Sed nec quiſquam, qui ei noctu alimenti quidpiam adferret, repertus fuit, ita ut, quin minime ficta fuerit abſtinentia, excrementis quoque ſenſim minutis provenire citiſſime ceſſantibus, dubitare non liceat. Toto ilo tempore vigoris priſtini vix quicquam amiſerat, elapſis quadraginta diebus, pro conſuetudine veſci incipiens. Rem ipſam quiſquis plenius noſſe deſiderat, libellum inſpiciat. Eſt autem is, qui de Februario 1685 agit.

Cur autem ſecundum Hippocratis noſtri hypotheſin lib. de carnibus, ut ſupra memini, jejunantis inteſtina ad ſe invicem collapſa, præcluſo cibis tranſitu, firmiter non ſunt conglutinata?

Sciendum eſt homini iſti ſæpe os aqua purâ colluenti portionem forte quandam ſubinde per gu-

gulam in ventriculum, & inteſtina deſcendiſſe, quo factum, ut hæc non tam cito coadunata fuerint; Haud dubie etiam ejus inteſtina quodammodo, ut ut non ita firmiter, ac ſi nihil ſumpſiſſet liquoris, fuerunt ſibi invicem agglutinata, quæ ſententia evidenter confirmatur, quod is poſt 40. dierum abſtinentiam, pulte craſſiori ſumptâ, poſtridie intenſiſſimis ventris infeſtatus fuerit torminibus, eumque exonerare tentans magno ejulatu, gemituque nihil per alvum excernere potuerit, qui dolores in tertium perſeverarunt diem, quo ventris onus non ſine magno levamine depoſuit.

Similia legi poſſunt apud *Loſſium lib.* 1. *obſ. med.* 21. & *Caſpar. Theoph. Bierlingium adverſ. curioſ.* 43. *Henr. ab Heers obſ. med.* 27. exemplum viri cujuſdam affert, qui primis decem diebus cujuſvis menſis nihil ederit, biberitque. Tradit idem conſuetudinem illo caſu multum efficere; de cujus potentia circa jejunium plura videantur apud *Joh. Pechlinum medit. de aëris, & alimenti defectu.*

Dicent forſitan multi plurima iſtorum jejuniorum Dei eſſe miracula, vel veneficia, artesve Diabolicas, aut impoſturas denique, & fallacias.

Mihi equidem non eſt animus hic de jejunio *Eliæ* loquendi 1. *Reg.* 19. *v.* 8. aut *Moſis. Exod.* 34. *v.* 28. aliorumve ſpeciali Dei potentia ſuſtentatorum. Nec negaverim Dæmones nonnunquam circa diutinam coöperari abſtinentiam, mul-

multa enim luce meridianâ clarius demonſtrant exempla iſtos illuſiſſe hominibus, quatenus jejunantibus edulia ſuppeditaverint: quale quid *Delrius lib. 6. diſquiſit. mag. cap. 2. ſect. 3. è Proſp. Aquin. lib. de promiſſ. & prædict: cap. 6.* de puella quadam refert, cui cacodæmon obſeſſæ ſub figura avis (æmulans eatenus *Eliæ* corvum cibum afferentem) liquorem aliquem noctu clam per ſeptem dies attulit. Hanc autem ei eſſe poteſtatem *Toſtatus*, *Torreblanca*, *& Vilalpandus* autumant.

Silentio præterire nequeo hiſtoriam *Annalibus rerum Anglicarum Henrico octavo regnante*
„ *An. Chriſti* 1546.*pag*. 280. extantem. Figulus
„ ſcilicet Londinenſis *Guilh. Foxlejus* nomine,
„ nulla infirmitate præcedente, in ſomnum in-
„ cidit tam arctum, ut per totos 14. dies, noc-
„ teſque 15. expergefieri nulla ratione potuerit,
„ donec tandem die 15. ſponte ſomno ſolutus eſt,
„ adeo ſanus, & recte valens, nocte ut unâ,
„ neque amplius, ſe obdormiiſſe firmiter cre-
„ deret, donec ex muri cujuſdam ſtuctura dies
„ plurimos effluxiſſe, perſpiceret. Eundem
„ autem poſtea ſupra 40. annos, videlicet annum
„ *Di.* 1587. vixiſſe ſcriptor affirmat.

Ruſtici mentionem facit *Damaſcenus, ut & Lil. Gyraldus hiſt. Poët*, & *Medina lib*: 2. *de rect. in Deum fide*, nec non *Foreſtus lib. 7. ſcholio obſ.* 28. alterius meminit, qui per totum Autumnum, hyememque ſub magna fœni copia ob-

obdormivererit, qua conſumpta, ablataque perculſus admodum, ac veluti è mortuis ſuſcitatus ſurrexerit.

Hoſce igitur caſus, tanquam ſupranaturales, eoſque, queis impoſturæ nonnihil miſceatur, hic loci excludemus. Indagari enim nequeunt nefariorum doli, fraudeſque, queis minus aſtutos decipiunt, vel ſub divini cultus, ſanctitatiſque ſpecie multum lucri, æſtimationiſque ſibi conciliare ſtudent.

Horum numero merito adſcribendum exemplum eſt *Margaretæ Spirenſis*, quod anno 1542. in pago, cui nomen Roedt/ duabus milliaribus *Spira* diſtante contigit, teſte *Langio lib.* 2. *epiſt. cap.* 27. *fol. mihi* 604:, & *Marc*: *Donato de Med. hiſt. mirab. lib.* 7. *cap.* 1. *fol. mihi* 645. Hæc decem nata annos poſt capitis dolores, ventriſque tormina, quicquid erat cibi tandem aſpernabatur; donec eo omnino rejecto, potu tantum ſeſe per aliquot ſuſtentarit hebdomadas, quo etiam denique abſtinens citra cibi, potuſve uſum totum, ut credebatur, ſatis validâ tranſegerit triennium. *Ferdin*.^d *interea Romanor. Imp*: in hanc rem inquiſivit, diligentiuſque ſingula obſervari juſſit, ſi qua forte fraus lateret. Hæc autem longo detegi nequivit tempore; donec tandem ingenioſe pallæ ſimbriæ incluſa apparuere liba.

Huc etiam pertinet ſimulata illa abſtinentia decantatæ filiæ Moerſenſis, nomine *Evæ Flegen*, ſive *Efgen von gen End*, quæ anno 1597. vigeſi-

mo primo ætatis anno, poſt Feſtum Paſchatis in morbum incidit chronicum, cui illa non tam medicamentis, quam proprio temperamenti exemta robore quemvis averſata eſt cibum, potumque. Scribit *G. Fabrit: Hildan. fol.* 413. *obſ.* 33. *cent.* 5. Hanc puellam trigeſemo ſeptimo ætatis anno, cum ille ipſam inviſeret, jam abſque cibo, potuque per ſedecim vixiſſe annos.

Quamquam autem *D. Conradus Velthuſius* verbi divini miniſter Moerſenſis permiſſu Magiſtratus ipſam in duodecimum uſque diem retinuiſſet, ac interim ſumma, qua potuit, diligentia obſervaſſet, an doli aliquid ſubeſſet, nihil tamen ſe, nec domeſticos percipere potuiſſe ſancte aſſeveravit. Verum illa non tantum pium hunc virum, ſed & Civitatis Præfectum *Alex. Sweichel*, ut & *Fabrit: Hild*: (quem hiſtoriam hanc ſcripſiſſe poſtmodum pænituit) deceperat, ſiquidem ille poſtea ex epiſtola quadam data 24. Junii 1628. *Godtſchalko Monheymio* Pharmacopæo *Duſſeldorpienſi* prope Moerſiam intellexerit continuam iſtam inediam fucatam, ſimulatamque fuiſſe, puellamque *Efken*, quæ jam triginta annos continuos tot deceperat homines, tandem in carcerem fuiſſe detruſam. Piam, religioſamque, inquit *Fabrit: Hild*: ſemper ſe (quantum quidem conſtabat) præſtiterat, dicebatque ſe tertio quovis die circa Solis exortum ſplendido quodam lumine circumdari, eoque mirifice oblectari, deinde & ſubſtantia quadam melleâ os

ſuum,

ſuum, linguamque irrorari, & inde vires refocillari, nec non varia ſibi apparere ajebat. Præſagiebat etiam nonnulla, quæ vera fuiſſe eventus oſtendit. Hæc autem abſque dæmonis cujuſdam auxilio, aſtutiaque contigiſſe ſe equidem non credere *Fabritius* ait.

Cum hac hiſtoria convenit etiam fucata illa *Apolloniæ Schreyer* abſtinentia in pago *Gats* in Helvetia natæ, de qua idem *Fabrit. Hild. obſ.* 28. *cent.* 5. & 2. *obſ.* 40. hunc in modum loquitur: „Filia hæc an. 1595. cum 14. annos nata eſſet, „ſeptem abhinc annos, ſcilicet an. 1601. liberata „fuit à morbo quodam acuto, poſt quem ſenſim „omnia faſtidire incipiebat alimenta, ita ut ſæpe „per tres, vel quatuor, imo nunnunquam plures „dies nihil omnino aſſumeret, in quo ſtatu, (ex „relatione Parentum ejus) tranſigebat quatuor an„nos continuos, ſed poſtea omni omnino ſe abſti„nebat alimento. Hæc eadem poſtea ex Comita„tu Juliacenſi deferebatur Coloniam, ut ibidem, „tanquam aliquod miraculum, à quovis conſpi„ceretur, affirmabantque parentes eam tunc tem„poris tres annos continuos à cibo quovis abſti„nuiſſe.

Fabritius etiam *Hildanus* cum *P. Lentulo* reipubl. Bernenſis in Helvetia tunc medico (qui hiſtoriam hanc poſtea ſcriptis publicam reddidit) hanc puellam ſe vidiſſe, atque eo tempore in decimum uſque annum ſine cibo, & potu vixiſſe tradit. Licet idem ſæpius privatis colloquiis co-

ram

ram Proceribus ſuis inediam hujus puellæ in dubium ſe vocaſſe, eamque non ſolum D: *P*: *Lentulum*, ſimul & ſe ipſum, multoſque alios feſelliſſe dicat, uti poſtea eam anno 1611. pluribuſque ſeqq. ſatis vegetam, aliorumque hominum modo, corpus ſuum nutriviſſe, ſatis conſtitit.

Ipſe autem cum *G*: *Fabrit*: *Hildano Marſilio Cagnato*, *Georg*: *Hyeron*: *Velſchio*, *Schröckio Schol. ad obſ.* 73. *Joh. Helwig. fol.* 234. omnes illas de tot annorum inediis narratiunculas non immerito ſuſpectas habeo, firmiter mihi perſuadens ejuſmodi à cibo abſtinentias neutiquam naturales, nec conſuetudini cuidam jejunandi adſcribendas, ſed confictas plane, ac falſas eſſe, teſte etiam experientia: citius enim, aut ſerius fallacia detegitur; qua de re nonnulla, ut dolos caveat lector, his adjiciam.

Anthon. Panormita de impoſtore quodam *Anthon. Picæo* narrat, qui populo ſe per quatuordecim dies jejunare poſſe, Angeliſque eſſe familiarem perſuadebat: unde per totum Italiæ tractum, Siciliam, & Hiſpaniam, tanquam Sanctus, ac continentiſſimus prædicabatur. Verum poſtea patuere hominis impoſturæ, deſcripſitque *J. Jovinianus Pontanus lib. 2. de ſermone* illius fraudes hoc modo: *Cum*, inquit, *ſub Rege Alphonſo hujus Ferdinandi Patre quidam, cujus nominis non memini, diuturniora ſua jactaret jejunia, ac quam diligentiſſime quæ-*

vis

vis cibi accipiendi huic præriperetur occaſio, compertus eſt poſtea è candelis, quas hyberno tempore receperat, victum ſibi quærere; hæ namque ſaccharo, cinnamomoque, nec non gallinarum carne in minutiſſimas diſſectâ particulas, quas extrinſecus ſevum circumdabat, conſtabant.

Simile quid refert *Æneas Sylvius*, quod Romæ contigerit An. 1511. ſub Papa Nicolao.

Sic quoque olim filia quædam Veneta ſub magnæ ſanctimoniæ ſpecie (habebat enim duos ſemper ad manus libros) diu cellæ manebat incluſa abſque alimentis; ſed iſtorum librorum alter quidem erat verus ſacer codex, alter autem eundem plane in modum externe conformatus, interne vero concavus erat, qua in cavitate *Mazæ* panis (noſtratibus *Maſſæ-peyn*) continebatur quantitas (hæc autem tempore *Hippocratis*, & *Galeni* nutritia pulticula, ſive maſſa erat, componebaturque ex farina hordei toſta, oleoque, & melle, hodie vero eodem nomine delicatius ex amygdalis, ſaccharoque componitur) eâque corpus nutriebat.

Auguſtæ Vindelicorum, teſte *Aventino* quædam vixit *Anna Lamenittia* annorum 18. quæ an. 1516. per ſedecim annos nihil omnino cibi, potuſve ſumpſiſſe, ſed Dei ſpiritu, ac ſuppeditante Cœlo, nutritam ſe finxerat. Cum Deo etiam ſeſe colloqui, ſibique ab eo non ita levia exponi mentiebatur: ita ut non ignarum tantum vulgus, plebejique indocti, ſed & Theologiæ

Pro-

MEDICAL SOCIETY OF LONDON ESTABLISHED 17

Ptofeſſores ei crediderint, Sanctamque venerati fuerint. Hæc etiam malefica quotidie ad Altare, ac tanquam Dei Nuncia ad S: Sacramentum admittebatur. Illa etiam diutius Chriſtianis impoſuiſſet, ni *Chunigunda* Bavari Ducis vidua, imperatoriſque Maximil: I. ſoror, quæ illam initio humaniter admodum exceperat, dolos detexiſſet. Hæc enim obſervaturam ſingula, famulaturamque ei adjunxit filiam devotam, famulamque conſuetam arte amovit: Anna itaque quandoque data opera ſola relicta per occultam conſpiciebatur rimam; edere namque eam ſuſpicio erat, quod binos ſecum adduxiſſet ſaccos, ac ſub cubili abſcondiſſet. Compertum autem fuit horum alterum placentis, ovis admixtis, alterum pomis refertum eſſe: queis famen, ſitimque pelleret. Quapropter ſeverè admodum objurgata, *Monachiumque* deducta Imperatoris juſſu in exilium acta, poſteaque Monaſterio incluſa eſt. Verum propter diſſolutiorem vitæ modum eo ejecta *Joh. Schnizero* nupſit, quem cum impotentiæ in coitu inſimularet, quamquam negantem, ac multa ei exprobrantem turpia, non ſine maxima diſcordia vixit, multoſque admiſit adulteros, aliiſque ſeſe contaminavit ſceleribus: quare an. 1518. capite damnata aquis ſuffocata eſt.

Refert *Joh. Wierus tract. de jejuniis commentiis* ſe domi ſuæ ſimilem impoſturam detexiſſe *Barbaræ de Unna*, qnod eſt Comitatus Marchien-

chienſis partis Aquiloni obverſæ oppidulum ad Ducatus Weſtfaliæ fines. Latius autem hoc deſcribit *Wierus*, quam ut hiſce jungam, legi itaque poterit loco notato, ubi & *Barbaræ* conſpicitur effigies.

Ejuſdem plane farinæ exiſtimo alia, quæ varii referunt.

Statuent alii fieri non poſſe, ut quiſquam tam diu omni cibo, & potu ſe abſtineat, quam quidem ea, qua de obſervavi; quia ſanguis noſter continue moveri non deſinit, &, durante motu, continua humorum, & ſpirituum eſt tranſpiratio, unde corpus noſtrum ad reſtitutionem amiſſorum novo ſubinde indigeat alimento, quo deficiente hominem languere neceſſe ſit.

Hiſce ut reſpondeam, præmonebo diverſas eſſe appetitum in nobis vel imminuentes, vel omnino auferentes cauſas.

Ita ſcribit *Galenus lib. 6. de cauſis ſymptom:* ventriculum, qui alias ſenſibiles admodum recipit à cerebro nervos nonnunquam famem non ſentire, nervis enim orificii ejus relaxatis, obſtructiſve, ſenſus ſtupet, unde imminuitur, vel omnino aboletur appetitus. Talem *ἀναισθησίας* famis cauſam ex paralyſi orificii ventriculi orram *Galenus lib. 3. epidem. comm.* 1. ut & *Ætius lib. 6. de gulæ paralyſi* docte admodum deſcripſere, cujus etiam exemplum adfert, quo fibrillæ tunicæ nervoſæ obſtructæ erant, & obſeſſæ, quibus alias ſolutis, & liberis. fames excitatur, teſte

teſte *Thom. Williſio part*: 1. *Pharmaceut*: *ration*: *ſect*: 1. *cap*. 2. De Vidua quadam narrat *Joh*: *Schmidius miſcell*: *med*: *phyſ*: *carioſ*: *German*: *decur*: 1. *an*. 9. *obſ*. 154. *fol*. 139. quæ ſine prægreſſa aliqua cauſa externa cibum minus appetere incipiebat, de nullo præterea conquerens faſtidio, de nullo tædio, niſi quod nil comedere, nihil quoque bibere poſſet, erat hæc temperamenti, inquit, calidi, & humidi, habebat genas rubentes, ſatiſque obeſa erat, reſpuebat medicamenta, dicebatque ſe iis non habere opus, cum ſanam ſe ſatis ſentiret, temporis tamen tractu vires atterebantur, nec dum tamen ſentiebat appetitum. Durabat hic affectus per 17. hebdomadas, in quibus perparum, imo fere nihil biberat, multo minus, imo vix Polonicum groſſum valens, comederat. Sequuta dein eſt vehemens hæmorrhagia, quæ ſæpe recrudeſcebat, redibat quidem tandem aliquatenus appetitus, verum ſequebatur cachexia, tandemque Anaſarca, & mors.

De pharyngis ſive gulæ paralyſi paradigma dabimus obſerv: XXVII.

Imminui etiam poteſt appetitus, ſi acidum, famem naturaliter in ventriculo producens, viſcoſis, & pinguibus fuerit obtuſum, & involutum, qua propter etiam fames, hiſce aſſumptis, ad tempus ſedatur.

Tradit *Avicenna lib*: 1. *Fen*: 3. *Doctr*: 5. *cap*. 2. ſuo tempore pilulas ex refrigerantibus quibuſ-
dam

dam ſimplicibus, cum axungia, adipe, ſimilibuſque pinguibus fuiſſe formatas, quibus longum ingreſſuri iter contra famem utebantur: Idem quoque *Fen*: 3. *lib*: 1. *Doctr*: 4. *cap*: 2. quendam poſt uſum libræ unius ol. violarum, famem per decem dies toleraſſe refert.

Experientia etiam diuturnior monſtrat corroſivum remedium parti cuidam corporis impoſitum, accedente pinguedine, vim amittere.

Comperimus quoque ipſum Arſenicum parum allaturum eſſe detrimenti, ventriculo prius intus pinguedine, vel oleo oblito, qua etiam arte circumforanei vulgum decipiunt fallacibus verbis effectum illum ſuis tribuendo medicamentis, vel, ut ajunt, antidotis, cum tamen brevi poſt, ob pinguia aſſumpta, venenum rurſus evomant.

Nec pinguia tantum, & viſcoſa in ventriculum immiſſa, ad breve tempus famem ſedare valent, ſed & corporum quandoque, defectu nutrimenti, particulæ quædam diſſolvuntur, ut ſevum, adeps, medulla, pituita, aliaque, quæ liquefacta, aliiſque humoribus commixra, urgente neceſſitate, nutriunt. Quamvis enim primò in ventriculo in chylum non ſint commutata, una tamen cum ſanguine per univerſum corpus deferri, ſicque nutrimentum ad tempus præſtare queunt.

Pinguia tempore inediæ *Galenus* 6. *de uſ. part.* nec non medullam 2. *de uſ. part*: ut & viſcidam

pituitam, *comm. 2. de rat. vict. acut.* alimentum præbere poſſe manifeſtavit.

Loco hic adſcribam non alieno, quod Doctiſſimus, Celeberrimuſque Vir *Theod. Craanen*, nuper Leydenſis Profeſſor clariſſimus jam vero Curator Academiæ Duisburgenſis, Archiaterque Sereniſſ. Electoris Brandeburgici, mihi non ita pridem retulit. Quidam verbi Divini miniſter, *Tekmannus* nomine aliquando villam ſuam adiit, ibidemque canem valde obeſum & robuſtum cubiculo quodam neſcius incluſit: ubi ille permanebat ad trigeſimum primum diem, revertente tunc demum Hero. Aperta ergo janua, blandiente cauda Hero obviam ivit debilis admodum, & macilentus, ſiquidem per tantum temporis nihil omnino (niſi forſan murem unum, alterumve captum) comederat, biberatve. Neque veroſimile eſt mures ibi occurriſſe, ſiquidem hoc animalium genus loca deſerta, & alimentis vacua amare non ſolet.

Franc. Mendoza lib. 6. problem. 24. rarum affert de gallina exemplum, quæ vixiſſe reperta fuit abſque cibo, & potu (ſiquidem, uti ille canis, etiam alicubi fuiſſet incluſa) per 80. dies continuos; quod tanto magis, inquit idem, erat mirandum, quanto hoc animalium genus calidi, avidique eſt ventriculi.

Jure itaque merito ſtatuere licet pinguia non tantum appetitum retardare, ſed & obeſa corpora famem diutius tolerare poſſe, quam macilenta.

Aci-

Acidum enim pingues, molleſque partes, dum in eas agit, facile abradit, ſecumque abripit, ita ut poſtea (uti modo dictum) ſanguini commixtæ ad tempus nutrimenta ſufficiant.

Monſtravit & experientia multos nautas viatoreſque naufragium paſſos, vel aliis tempeſtatibus obrutos, deficiente cibo, & potu, tabaco ſolo aliquamdiu vitam ſuſtentaſſe.

Monachus quidam *Canadæ* Incolas famis, qua ſæpius affliguntur, tempore per hebdomadas aliquot ſolius tabaci, aquæque uſu ſeſe ſuſtentare poſſe tradit.

Nicol. Monardis, Medicus Hiſpanus refert *Hiſt. Rerum Indicarum*, *Indos* per deſerta, longeque diſſita loca profecturos, deficientibus alimentis, pilulam quandam manducare ex tabaco compoſitam, piſi magnitudine, cujus ope per quatuor dies itinerari poſſint abſque alimentis; quod petum ſtomachi ſenſum ſtupefaciat, (quod tamen nos non omnino ſtatuimus) utpote qui ramos quoſdam à ſeptimo, vel ut alii volunt, octavo nervorum è cerebro prodeuntium pari accipit, ideoque ſenſibilis eſt valde, ſedeſque famis à quibuſdam habetur; de quâ ſtupefactione vide *Neandri tabacologiam fol.* 34. nec non *Auguſtin. Thonerum obſ. medic. lib.* 2. *fol.* 104. Sive quod ſpiritus quoſdam corpori impertiat. Nonnulli enim per tabacum non tantum præſentes ſpiritus impediri, quo minus ex aliis particulis extricentur, & avolent, verum etiam reſpectu

 ſub-

ſubtilitatis fumi, novos tenues, & ſubtiles ſuppeditari ſpiritus volunt. Quæ opinio confirmatur exemplo cujuſdam ſenis olim Hagæ habitantis, quem ipſe novi. Poſtquam hic ultra centum vixiſſet annos ſumptibus tandem Eccleſiæ Gallicanæ ſuſtentabatur, ſenioque confectus continue ſtipitis inſtar jacebat in lecto immobilis abſque ulla cibi, vel potus aſſumptione, ita ut à mortuo vix licuiſſet diſcernere, niſi cum fumus tabaci (quo quidem antea abunde uſus fuerat) in nares inflabatur. Tunc enim oris attractione vitæ edebat indicia, labiaque ita aperiebat, ut fiſtula tabaci, longitudine nauticæ, inter maxillas poſſet intrudi. Atque ita quidem ille fumum ſenſim alliciens parvis, iteratiſque inſpirationibus fiſtulam tamdiu inter mandibulas detinuit, donec, quicquid ea continuiſſet, igne conſumptum eſſet.

Ioh. Chryſoſtomus exercitat. ſuis de tabaco Cocam Indicam vaporibus ſuis homines inebriare, ſomnum conciliare, ſimulque famem ſedare, ac corpus rofocillare memorat. Certum equidem eſt, fructibus illis contuſis, & cum maſſa farinacea ſubactis, piſces inebriari; ita ut aquæ ſuperficiem petant. Idem quoque *Matthiolus indicat lib. 3. epiſtol. ad Thaddæum Nemicum*, ac *Gaſpar Reyes à Franco* ſæpius ſe vidiſſe teſtatur. Vel forſan fames tabaci uſu ſiſtitur, quatenus hujus ope (uti volunt nonnulli) è capite, vaſiſve ſalivalibus, liquor quidam pituitoſus

magnâ

magna quantitate ad ventriculum delabitur, unde corpus aliquamdiu nutriri queat, teſte *Nic. Monarde*. Annotavit quoque *Cælius Rhodiginus lib.* 13. *cap.* 24. ex Græcorum obſ. famem ſedari, quando aliquid in ore detinetur, quo crudus, & viſcidus quidam liquor in illud prolicitur, ſicque ad ventriculum deſcendit.

Ita etiam animadvertimus milites longum facturos abſque alimentis iter plumbeam ore geſtare glandem, eandemque volutare, ut ita fames, ſitiſque non vexet.

Annotandum autem eſt omnibus hiſce rebus famem non admodum pelli, ſed per dies tantum aliquot ſedari, fallique. Præterea locum illa tantum in iis habent, quorum ſanguis non valde tenuis exiſtit, & ſubtilis. Neceſſum autem eſt, ut tales non multum laboris ſubeant, ſiquidem ita, poris valde apertis, magna particularum ſubtilium, & nutrientium quantitas è corpore avolat, teſte *Hippocrate ſect.* 2. *Aphoriſm.* 16. his verbis: *Ubi fames, laborandum non eſt.*

Longe autem aliter ſe habebat noſtra ægra, quæ nullis omnino ad famen ſedandam utebatur mediis. Illas autem diuturniores à cibo abſtinentias non tam ægrotis, quam quidem robuſtis, ſaniſque contigiſſe patet, cum tamen ex allata obſervatione ægram tribus laboraſſe menſibus, antequam à cibo, & potu abſtinere omnino inciperet, ſatis conſtet.

Ut ergo objectioni de humorum, ſpirituumque continuâ attenuatione, tranſpiratione, & deperditione fiat ſatis, dico primariam rationem diuturnæ iſtius inediæ fuiſſe viſcoſitatem (qua corpus ejus antea, dum in pagum *Diepenheymium* fuerat reverſa, commeſtione crudorum pomorum, & raparum (ſiquidem aliorum eduliorum non erat appetens) onuſtum fuit. Subtilibus enim ſanguinis partibus per quartanam, cui tunc per duos obnoxia fuerat menſes, aliquatenus diſcuſſis, imminutiſque, ſuperſtites crudis illis fructibus debite concoquendis non ſufficiebant, ita ut neceſſario inde crudus, & viſcidus prodierit ſanguis, qui non tantum difficulter attenuari potuit, & dividi, verum etiam præſentes ſubtiles, & volatiles ſanguinis particulas aliquatenus frenavit, unde ſpiritus non poterant notabiliter avolare conſtanter in ſangunine permanentes, ita ut parvus ille calor, viſciduſque ſuccus ſervandæ in ſtatu tam miſero puellæ abſque ulteriori alimentorum aſſumptione ſuffecerit, ſanguiſque ejus hac de cauſa multo tardiori fuerit circumactus motu. Accedit, quod ſanguis illo modo frigefactus, craſſiorque redditus fermentum ſimilis plane naturæ in ventriculum depoſuerit, quod per conſequens nervos ejus non vellicando appetitum proſtravit.

Hujus etiam ſententiæ ſunt *Albertus Magnus lib. 7. de Animalibus. Joubertus*, *Grevinus Langius*, *Citeſius*, aliique, & ex Veteribus *Avi-*

Avicenna, *qui lib.* 1. *doctr.* 6. *cap.* 1. *& lib.* 3. *Fen.* 13. *tr.* 5. *cap.* 8. pituitam, deficiente alio nutrimento, hominem aliquamdiu ſuſtentare, & nutrire poſſe docuit.

Fortunius Licetus tract. de iis, qui diu vivunt ſine alimentis illud ob æqualiter temperatum, humidumque calorem fieri ſtatuit: quando ſcilicet alter alteri non manifeſte dominatur, unde fiat, ut hiſce temperaturâ minus in ſe invicem activâ concurrentibus, calor humidum non conſumat, quapropter nihil exhauritur, humidumque tenellæ caloris operationi reſiſtere poteſt, unde non neceſſe eſt, reſtituatur. Agentis enim poteſtate patientis renixum ſuperare non valente nihil interit.

Hanc etiam propter rationem glires, taxi (de quibus vide *Jonſtonum hiſt. natural. de quadrup. cap.* 6. *fol.* 146.) Marmotæ, Crocodili, urſi, mures montani (de quibus *Ariſtot. lib.* 8. *animal. cap.* 17.) teſtudines, ſerpentes, hirundines, Turtures, ranæ, cicadæ, muſcæ, culices, pluraque alia animalia per totam hyemem in antris abſque alimentis vitam tranſigunt. Unde *Plinius lib.* 8. *cap.* 57, *& Ariſtot. modo adducto lib. & cap.* per ſomnum nutriri, & impingueſcere ajunt:

Hinc etiam *Martialis lib.* 13. *Epigr.* 59. de Glire cecinit.

Tota mihi dormitur hiems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

& alibi.

Dormitis nimium glires, vitulique marini;
Nil mirum, ſi vos craſſa Minerva premit.

Mures montani per ſex menſes continuos, & quidem tam firmiter dormire feruntur, ut ex antris eruti non expergeſiant, niſi vel ad radios ſolis, vel ignem optime calefacti. Teſtudo hyberno tempore ſe ſub terra occultat, antrumque aliquod ſibi efformat, ubi ſepulta ſub terra ad trium, quatuorve digitorum profunditatem per totam abſque cibo, & potu permanet brumam: Imo eadem (teſte *Rondeletio lib. de Amphib.*) abſque alimentis quovis tempore in vivis manere poteſt.

Hæc vero animalia ſanguine, & ſucco prædita ſunt admodum frigido, uti ipſemet ſum expertus; unde & tardus eſt illorum motus, haud dubie etiam eorum ſanguine particulæ nitroſæ abunde continentur, quæ abſque coagulatione frigus introducunt, ſicque tranſpirationem ab attenuatione oriundam facilius impediunt.

Tradit *Ariſtot. lib.* 8. *hiſt. animal. cap.* 15. ſerpentes tempore brumali ſe ſub terra occultare. *Nierenbergius lib.* 12. *hiſt. nat. cap.* 1. eoſdem narrat apud Indos per annum integrum vivere abſque alimentis poſſe. Idem teſtatur *Bellonius*, & *Plinius lib.* 8. *cap.* 39. adſtipulante etiam *Franc. Citeſio*, Medico gallico, dum ſe expertum dicit ſerpentes vitreis lagenis incluſos per annum integrum

grum

grum abſque alimentis vivos conſervari poſſe: *fol. mihi* 177. *tract. de abſtinente Confolentanea.*

Idem *Citeſius* varias profert animalium ſpecies quæ ex penu ſuo, tanquam è feraci promo, & condo alimentum attrahunt, & veluti alterum rorem in univerſam ſuam ſubſtantiam fuſum concipiunt. Quæ inter ſunt cochleæ, hæ enim cum ſitiunt, aeris atque illis de cælo nihil illiquitur, ſucco proprio victitant; unde *Plautus captivis act.* 1. *Scena* 1.

Quaſi, cum caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo ſibi ſucco vivunt, ros ſi non cadit.

Hyeme autem id contingit, quando ſub terra cochleæ terreſtres adverſus hyberni frigoris injuriam albo quodam operculo, duro, gypſique ſpeciem referente, ac teſtæ obtenſo munitæ ſolo interno redundantis humoris fomite ſuſtinentur per integrum ſemeſtre ſub terra circa fruticum radices conditæ: ut & omnia fere animalia hyemis aſperitatem variis latibulis lenire ſolita, qualia angues, ranæ, muſcæ, erucæ, &c.

Lacertæ, & hirundines, inquit *Brouwn pſeudo-doxiæ Epidemicæ cap.* 21. *fol.* 292. per aliquot menſes abſque alimento vivunt, cochleaſque per totam hyemen in vitris ſervavimus, quæ poſtea, inſtante vere, iterum comederunt.

Tradit *Plinius lib.* 9. *cap.* 51. ranas per ſex menſes

ſes continuos quaſi in pituitam, lutumque mutari, aſt appropinquante vere, quaſi regenerari, ita ut frigore quidem diſſolvantur, non conſumantur tamen. Scribit & eas in riparum antris, non tantum alimento deſtitutas, ſed & ſemimortuas jacere. *Jonſtonus autem de quadrupedibus fol. mihi* 189. *temporales, duranteſque* dari ranas, *Pliniique* locum de illis accipiendum ſcribit. Tradit idem *Ionſtonus p.* 186. *durantes* etiam hyeme ſub aquis degere occluſo, ac veluti conglutinato ore: quod ipſum & *Albertus*, uſuſque crebrior docuerunt.

Similiter muſcæ frigore torpeſcentes inter fiſſuras aſſerum, trabumque ſeſe occultant, vernalique tempore, ignive admotæ, tanquam diu ſepultæ reſurgunt. Idem fere teſtatur *Ariſtoteles lib.* 8. *de part. Animal. cap.* 14. *ut & Plinius lib.* 11. *cap.* 16. de apibus. Experimur, inquit *Swammerdammius tract. de inſectis fol.* 162. inſecta, paucis exceptis, per totam hyemem ſupereſſe; quo tamen tempore ſe non movent, ſi vero vel ex locis ſuis, quæ tanquam naturæ convenientia ſibi elegerant, deturbantur, erigere ſeſe nequeunt, ſed accedente calore manus, vel ignis, avolant, & de loco in locum motitatione alarum tamdiu transferuntur, donec frigore torpeſcentes certum ſibi denuo elegerint domicilium.

Hirundines, quarum, teſte *Ariſtotele*, variæ ſunt ſpecies, à frigore brumali ſe defendere geſtientes occultant ſeſe ad lacuum, fluminumque

que, & paludum margines, vel ad puteorum cavitates, rupeſve mari vicinas, ubi veluti amplexibus conjunctæ reperiuntur, ſe conferunt. Memorat *Agricola* piſcatores eaſdem nonnunquam ita mutuo conjunctas ex aquis extraxiſſe. Quod & tanquam veriſſimum nobis *Aldrovandus ex Ariſtotele, Plinio, Olao*, aliiſque indicavit. Teſtatur etiam *Gaſpar à Reyes Franco* certum eſſe, per dimidium annum vivere abſque alimentis hirundines poſſe.

Memorat Cromerius lib. 1. *hiſt. Poloniæ* parvas quaſdam in Polonia aves, hirundinibus, * Cypſeliſque non multum diſſimiles conglobatis miſtiſque ſimul pedibus ſub brumæ adventum ſeſe lacubus, aquiſque ſubmergere, prope veris initium inde prodituras, piſcantumque retibus quandoque per hyemem motu ſenſuque carentes educi, nec non igni, hypocauſtove admotas reviviſcere, ac avolare, frigore autem læſas illico extingui.

Diu equidem, multumque diſceptatum fuit, ubinam locorum tempore hyberno lateant ciconiæ, & unde proveniant. Sed *Baptiſta Campo Fulgoſus lib.* 1. *memorabil. fol. mihi* 169. teſtatur eas, hirundinum fere more, ſeſe ſub aquis occultare, quod & confirmare videtur *Ariſtoteles*, dum

* Κύψελος ſive Apos (quod pedibus carere dicatur) avis quædam eſt ſimilis hirundini, de qua *Ariſtot. Hiſt. animal. lib.* 9. *cap.* 30. & *Plinius lib.* 10. *cap.* 39. quæ in ſcopulis nidificare dicitur.

dum *lib.* 8. *hiſt. Animal. cap.* 16. ciconiam quoque ſe occultare ſcribit.

Verum quidem eſt ciconias in diverſis mundi tractibus certis conſpici temporibus, unde *Plinius libr.* 10. *hiſt. nat. cap.* 23. eas aves eſſe peregrinas, æſtivaſque dicit, velut etiam *Phædrus lib.* 1. *fab.* 36. ut & *Publius Syrus apud Petronium Satyr.* nec non *Varro de lib. de re ruſtica* affirmant; aut quonam poſtea tendant; quidam eas ex Africâ provenire, eoque reverti ajunt, ſed non addunt, quid ibidem agant. Quidam enim eas ibidem, velut in Europâ, nidificare, pulloſque progignere ſcribunt. At aliarum avium more ſæſe hyeme in montibus, vel paludibus occulere alii autumant, cujus opinionis etiam eſt *Martinus Schoockius tract. de ciconiis*, utpote quæ potiſſimum conveniat cum Prophetæ *Jeremiæ verbis cap.* 8. *v.* 7. ubi dicit: *Etiam ciconia in cœlo cognoſcit tempus ſuum; turturque, grus, & hirundo obſervant tempus adventus ſui.*

Notandum ergo eſt hîc loci, ciconiam dici certum tempus obſervare, quæ verba non ita convenirent, ſi aves hæ certis temporibus de loco in locum migrarent; tunc enim magis illæ certa cognoſcere loca dicendæ eſſent. Obſervandum quoque eſt ciconiam, quia *Jeremiæ* loco cum grue, turture, & hirundine conjungitur, certum eſſe eodem, quo illæ tres, tempore brumali ſeſe occulere.

Deinde etiam, ſi tempore hyberno vel in Africâ,

fricâ, vel ad Pontum Euxinum degerent ciconiæ, neceſſario per totum illud tempus iſtis, vel vicinis in locis conſpicerentur, cum tamen illarum regionum incolæ neſciant, qnonam ſeſe proripiant, poſtquam aliquamdiu ibidem permanſerint.

Notum cuivis eſt, quomodo etiam bombyx, mediâ æſtate, ad minimum per 14. dies non abſque alimentis vivat tantum, ſed inſuper magnam ſubſtantiæ portionem filis ſericis nendis impendat.

Veroſimile etiam eſt in brutis abſque alimentis diu latentibus, & plerumque dormientibus, non omnem abolitum eſſe motum, ſed eum duntaxat, qui per manifeſtam partium ſolidarum agitationem certum exhibet vitæ indicium. Supereſt videlicet ſanguinis humorumque circulatio motus, & caloris initium, à quo alius major, accreſcentibus viribus, modo à cauſis aliis non turbetur, omnino dependet.

Galenus lib. 5. de loc. affect. cap. 1. ſi, ait, *neque ſentiendi, neque movendi ab electione facultatem habuerit* „ animal, neque nutriatur, „ velut in latentibus evenit animalibus, nihilo- „ minus vivere ipſum poſſe, quoad cor manſe- „ rit illæſum, haud quaquam negandum eſt. „ Quin videmus ſæpenumero multis deinceps „ diebus alios neque intelligere, neque ſentire, „ neque etiam moveri, at nihilominus vivere.

Anne etiam multas plantas extra terram, è quâ

quâ proveniunt, per aliquot menſes ſupereſſe; nec deſinere propullulare videmus? ut cæpe, ſcylla, allium, ſempervivum, aloë, (quæ idcirco ſempervivum marinum dicta) telephium, aliæque plures ejuſmodi herbæ, quæ omnes ſuccum quendam craſſum, lentum, & viſcoſum obtinent, unde arido cœlo reſiſtere poſſunt, adeoque non multo intus calore gaudent. Quare è terra eductæ non vireſcunt tantum, ſed & germinant.

Probant hæc omnia crudam, frigidamque, ac viſcidam materiam in corpore (præſertim ſanguine antea ejuſmodi particulis onuſto) cauſam eſſe, cur corpus (quale etiam ægræ noſtræ fuit) abſque recenti nutrimento diutius ſubſiſtere queat. Idcirco etiam *Hippocrates ſect.* 1. *aph.* 13. *Senes facillime* (propter exiguum ſcilicet calorem) *jejunium ferre* dixit, *ſecundò ætate conſiſtentes.* Et *ſect.* 7. *aph.* 59. *Corporibus*, ait, *humidas carnes habentibus, famem inducere oportet, fames enim ſiccat corpora*: nec non *lib. de victus ratione in morb. acutis ſect.* 4. *fol.* 389. *Non conſuetam*, inquit, *cibi abſtinentiam facilius in totum ferunt, qui partibus ſuperioribus pituitoſi ſunt*: Quare humidioris temperamenti homines ciborum abſtinentiam melius ferunt. Forſan etiam inſuper puellæ noſtræ non ita fuerunt aperti, quam quidem aliarum, pori, ita ut minor inde ei fuerit tranſpiratio, ſecundum enim ejus proportionem augetur minuiturve ali-

alimentorum uſus. Hinc fit, ut viri, utpote poris gaudentes apertioribus, proportione habitâ, plus ciborum capiant, quam fœminæ: credibile etiam eſt, puellæ, de quâ hæc obſervatio, corpore extrinſecus frigore occluſo, cuteque propter nutrimenti defectum arefactâ, poros etiam aliquo modo magis fuiſſe occluſos. Neque dubium eſt, quin ii, qui majoribus, apertioribuſque donantur poris, famem minus tolerare poſſint, faciliuſque multo, quam alii, in animi incidant deliquium.

Hæc jam dicta ſufficiant de diuturnæ illius inediæ cauſis: deſcendamus jam ad ſymptomatum explicationem.

Primum fuit poſt tot frigidorum, crudorumque fructuum uſum tractu temporis omnino ceſſans appetitus. Hoc autem non ita mirandum eſt, audita jam ſupra explicatione.

Secundum ſyptoma convulſiones erant. Hæ autem ab humoribus, qui, exitu non invento, temporis que lapſu acriores redditi cerebri membranas nervoſque ad expulſionem irritatos vellicabant, proveniebant.

Nec novum erat convulſiones iſtas Lunæ auſcultaſſe phaſibus, ſiquidem iam olim Servatoris noſtri tempore, epileptici σεληνιαζόμενοι, ſive σεληνιακοὶ, hoc eſt, lunatici dicti fuerint. Animadvertebantur enim epileptici juxta diverſas lunæ phaſes ſpeciatim affici, ita ut Luna non tantum circa fluxus, & refluxus marium, fluminum, alia-

aliarumque aquarum, ſed & circa hominum, brutorumque humores peculiarem vim demonſtret.

Talis etiam puer quidam turbæ Jeſum ſequentis erat *Matth. cap.* 17. *vers* 14. cujus ergo pater ad Jeſum appropinquans in genua prolapſus dixit: *Domine miſerere filii mei, quoniam lunaticus eſt, & male afficitur, ſæpe enim cadit in ig- & ſæpe in aquam.* Legimus & apud *Marcum cap.* 9. *vers* 17. Quendam è turba clamantem dixiſſe: *filium ad te, magiſter adduxi, habentem ſpiritum malum, qui ubicunque corripuerit eum, lacerat, ipſe vero ſpumat, & ſtridet dentibus, & exareſcit, dixique diſcipulis veſtris, ut illum ejicerent*, ſed non potuerunt, quæ *Lucas c.* 9. *vers* 39. fere repetit.

Pueri autem illius malum *Epilepſiam* fuiſſe Parentis verba, Evangeliſtarumque abunde docent teſtimonia. Namque illum convulſum dentibus ſtridiſſe, ſæpiuſque delapſum, nec non ore ſpumanti fuiſſe fidem faciunt. Pater autem malum hoc ei à primâ uſque infantiâ adhæſiſſe queſtus fuerat.

Hinc Hippocrates lib. de aëre, aq. & loc, ut & 6. epidem, morbum hunc τήν τ͂ παιδίων νόσον, ſive *puerorum morbum* vocat, pueris autem hunc magis familiarem morbum crediderim, quod humidum maxime iis ſit cerebrum hinc *Hippocrates Aph.* 7. *ſect.* 5. *Quibus* inquit *epilepſiæ ante pubertatem contingunt, mutationem habent*

habent, (diminuto ſcilicet per ætatem humido.) Quibus vero accidit viginti quinque annos natis, plerumque commoriuntur.

Notavit quoque optime *Avicenna lib.* 1. *fen.* 1. *tract.* 5. *cap.* 10. morbum hunc, proportione habitâ, in calidioribus magis, quam frigidioribus regionibus homines affligere.

Afros *malo Herculeo* obnoxios admodum eſſe *Hippocrates* quoque *lib. de morb. ſacr.* propter calorem regionis teſtatur. Puer autem, de quo S. Script. in Galilæa, ubi etiam calet maxume, natus erat.

Certum autem eſt modo enarrata ſymptomata non ex Veterum tantum (quales ſunt *Hippocrates* quoque *lib. de morb. ſacr.* propter calorem regionis teſtatur. Puer autem, de quo S. Script. in Galibada, ubi etiam calet maxume, natus erat.

Certum autem eſt modo enarrata ſymtomata non ex Veterum tantum (quales ſunt *Hippocrates lib. de morb. ſacr.* & *Galenus* 3. *de loc. aff. cap.* 7.) ſed & recentiorum opinione morbum ſacrum plerumque comitari: quod & experientia abunde demonſtrat.

Contingit aliquando, ut morbus hic ſtatas ſervet periodos, patientemque denuo ſummâ cum vehementia invadat, cujus rei exemplum unum, & alterum adjiciam.

Thom. Bartholinus obſ. med. centur. 2. *hiſt.* 72. *Singularem*, inquit, *Lunæ cum corpore Epilep-*

tici conſenſum in Patria noſtra vidi: filia enim Sophiæ in horto Regio Fridericiburgenſe epileptica meæ curæ ſubjacta, maculas in facie habet apparentes, quæ pro variâ Lunæ phaſi, & mutatione, variæ videntur tam colore, quam magnitudine. Tantum corporibus noſtris cum cœlo commercium.

Sic etiam Joh. *Udalricus Rumlerus obſ. med.* 66. habet exemplum cujuſdam, quem morbus iſte plenilunii tempore invadebat. Plura adducit *Georg. Wolfg. Wedelius Ephem. Germ. decur.* 2. *an.* 2. *obſ.* 148. *p.* 324.

Et inter ea de nobili quadam virgine, quæ 20 an: nata novilunii tempore iſto malo fuerit afflicta. *Galenus lib. de diebus decret. cap.* 2. *fol.* 157. Luna inquit, menſtruorum ſtatum tempus mulieribus conſervat, comitialium circuitus cuſtodit, quod Solis plus, vel minus participat. Omnia ſiquidem, quæ facere nata eſt, ubi falcis figuram repræſentat, languida fiunt: valida omnia, cum plena fuerit.

Animadvertendum quoque eſt, vitium illud, Veteribus (inter quos noſter *Hippocrates*) morbum ſacrum dici, quod immediate a Deo produci crederetur, teſte *Cælio Aureliano lib.* 1. *morb. Chron. cap.* 4. vel etiam, quia Epilepticus credebatur dæmone obſeſſus, teſte *Aretæo lib.* 1. *de cauſ. Chronic. cap.* 6.

Hinc etiam morbus hic (ſiquidem utplurimum occurrebat inter Judæos) certis incanta-

men-

mentis, teſte *Buxtorfio ſynag. Jud. cap.* 33. olim mitigari credebatur.

Immediate eum à cacodæmone provenire *Serapio* voluit; hic enim non tantum illi morbo, ſed & aliis, ut tanto magis miſeros torqueret, immiſcere ſe ſolebat. *Origenes* autem olim Medicos valde objurgabat, eoſque minus credulos clamabat, & hæreticos, qui aſſerere nollent morbo iſti Diabolum ſe jungere, ſed eum à cauſis naturalibus deducerent.

Verum quidem eſt Sathanam olim (præſertim apud Judæos) talibus in morbis coöperatum fuiſſe, utpote qui lunæ effectus, diverſaſque inde provenientes mutationes optime ſciverit, ſicque homines deceperit, quatenus ſibi tunc imaginabantur malum à Luna dependere ita ut non tantum eo modo opus illud inſigne Dei hominibus redderet odioſum, ſed etiam efficeret, ut dum illud vitium lunæ tribuerent, malitia ejus minus eluceſceret. Deo equidem placuit, ut temporibus iſtis, quæ ſpiſſis ignorantiæ involvebantur tenebris, permitteretur incredulitas, impietaſque, ita ut cacodæmon tunc temporis ſingulari quodam modo potentiam ſuam in homines non tantum quod ad animam, ſed etiam quod ad corpus exercuerit; unde magnis cruciatibus in horrorem, & timorem circumſtantium afficiebantur, ut iis liqueret, quantam Sathanas poteſtatem, propter peccatum juſto Dei judicio in hominum interitum accepiſſet.

Conſiderari etiam velim, tanquam peculiare quid, leproſos, epilepticos, ac dæmone obſeſſos inter judæos nunquam majori copia repertos fuiſſe, quam quo tempore Deus *Ieſum Chriſtum* in remiſſionem peccatorum populis videndum dedit.

Num vero D. T. O. M. graves illos, & immedicabiles morbos ipſis minus ſolito, naturalive modo immiſerit, ut tanto ardentius *Meſſiam*, verum animarum Medicum, deſiderarent, occaſionemque haberent mundo demonſtrandi, quanta eſſet *Chriſti* potentia, & quomodo in mundum veniſſet ad vim Sathanæ deſtruendam, caput Serpentis conterendum, corpuſque, & animam liberanda; An vero Sathanæ conceſſerit potentiam homines eo modo propter peccata cruciandi; vel etiam an dæmon tanquam magnus Philoſophus, conſtitutioniſque corporum humanorum conſcius occaſionem arripuerit, quando corpora malis humoribus repleta maxime movebantur, ſe naturalibus cauſis immiſcendi, morboſque conturbandi, ac ſymptomata augendi, nec non huc illuc abundantes, & fermentantes humores uerſus partes propellendi, ſicque cæcitatem, ſurditatem, loquelæ amiſſionem, paralyſim, &c. producendi, dicere equidem non auſim. Haud dubie enim tunc temporis omnem movit lapidem, ut oſtenderet poteſtatem ſuam divinâ *Chriſti* eſſe majorem: ſed omnipotens omniſciuſque Deus Diaboli peſſimum pro-

propoſitum ita direxit, ut in foveam, quam fecerat, inciderit, operationeſque quibus miſeros ad ſe allicere nitebatur, ad proprium ejus interitum contulerint. *Jeſus Chriſtus* enim multos dæmones obſeſſis ejecit, ſicque Sathanæ poteſtatem diffregit, & conculcavit, ſuiſque miraculis multos ad veram pænitentiam, fidemque convertit.

Tranſeamus nunc ad ſymptoma tertium: palpebræ namque puellæ, de quâ memoravi, firmiter occluſæ ne digitis quidem attoli potuerunt, pupillæque adeo ſubſederunt, ut conſumptæ viderentur: hoc ſymptoma diuturnâ, ſæpiuſque iteratâ partium iſtarum convulſione ortum fuiſſe judicamus.

Quo minus autem tanto tempore potuerit deglutire, ſive id humidum foret, ſive ſiccum, paralyſis muſculorum pharyngis in cauſa fuit, ſicut iis caſibus ſæpius quidem contingit, teſtibus quam plurimis, quos recenſebo *obſervat.* 27. Tale quid etiam jam olim *Ioh. Langius* obſervavit *Margaretæ Spirenſi*, & *Franc: Citeſius tract. de abſtinente Conſolentanea*, *Johannæ Balam* Confluentiæ accidiſſe, quarum hæc poſt ſex demum menſes motus membrorum priſtinos recuperavit, remanente tamen degluttiendi impotentia: forſan quod tam propter febrem, quam diuturnius jejunium, pituita viſcida liquefacta, & attenuata in nervos delapſa fuerit, teſte *Citeſio d. lib. fol.* 173.

Puellam autem noſtram ideo magno affectam fuiſſe angore crediderim, quod guttâ quadam verſus inferiora delabente, non prius quieverit, quin eam tuſſi, vomituque ejeciſſet; liquidum enim quodvis licet parva quantitate, aſſumptum, ubi per æſophagum tranſitum non invenit ad ventriculum, in aſperam irruit arteriam, atque ad pulmones deſcendit. Illam autem ideo potentiam deglutiendi viſumque recuperaſſe putem, quod ſuperflui humores corporis partim magnis laboribus in convulſionibus, partim diuturnitate temporis ſenſim fuerint conſumpti, attenuati, & per poros ejecti, velut etiam talis excretio in ſudoribus ejus viſcidis, lentiſque poſt convulſiones erumpentibus obſervata eſt, qui etiam per continuos iſtos, vehementeſque membrorum motus flaveſcebant, qualem colorem vulgo in lacte ſubacto, aliiſque, quæ continuè moventur, quaſſanturque animadvertimus.

Tandem etiam recuperabatur appetitus, quia, morbi maxima cauſa ſublatâ, ſanguis regularem accepit motum, &, ſiquidem veroſimile eſt nullum laudabile fermentum, quum nihil, niſi parum vini tanto temporis ſpatio aſſumpſiſſet, ventriculo illius fuiſſe contentum, haud dubie acidum fermentum fuit progenitum, unde aliquid deſideravit, quo acorem poſſet infringere, quare non adeo mirum fuit, ſi lardum appeteret, cum quod illi remedio eſſet, tum quod ſana hiſce forſan aſſueta fuerit cibis, ſiquidem inter homi-

nes

nes habitaret, quibus hujuſmodi alimenta valde ſunt familiaria.

Hiſce majorem in certitudinem aliud de ſex hebdomadarum inediâ, hîc Hagæ aliquot ante annos in quodam mihi noto obſervatâ, ſubjungam exemplum.

Erat ſcilicet *G. B.* civis Hagienſis 48 annorum, qui renum calculo, & exulceratione internâ abdominis laborabat (exiſtimabant nempe Medici eidem *G. B.* exulceratum eſſe Meſenterium) tandemque anno 1651, circa finem menſis May, nocturno tempore in tantum incidebat animi deliquium, ut vicini (mori namque putabatur) advocarentur. Verum etiamſi aliquomodo ad ſe tandem rediret, ſequente tamen die itidem animo linquebatur, unde lecto inhærere cogebatur. Poſtquam ergo aliquamdiu decubuiſſet, ipſumque ſæpius fruſtra inviſiſſet Celeb: Med: *Guilh: Stratenus*, arceſſitus tandem fuit & Expertiſſ. *G. Libergius*, cujus etiam ope per 14. dies, vel ultra, incaſſum imploratâ, ita tandem debilitatus eſt, ut denuo animo defecerit, & ſex hebdomadas continuas ſui compos non fuerit, nullo interea vitæ indicio apparente: neque enim comedebat, nec bibebat, alvum non deponebat, non mingebat, nec ſternutabat, tuſſiebatve, aut ſuſpirabat, ſicque ſenſu, motuque carens, exceptâ leni quadam circa oculum, & humerum ſiniſtrum convulſione, mortuo decumbebat ſimilis. Deficiebat arteriarum

pulſus, nullâ reſpiratione, ne per plumam quidem ori admotam, ſpeculumve aliquod terſius adhibitum, animadverſâ, imo à mortuo non differebat, niſi quòd frigeret minus.

Parumper vero tandem ad ſe reverſo ad virium refocillationem aliquid exhibitum fuit, unde ſenſim reſtituebantur. Poſtea autem uxor, quæ quatuordecim ante ejus morbum dies fuerat imprægnata, per decem menſes continuante infirmitate, lacte ſuo eum uſque ad undecimum nutrivit menſem, tunc enim primò prodibat. Interim tempore morbi corpus ejus à capite uſque ad calcem tanquam cruſtâ quadam obductum erat, quæ raparum decocto humectata decidit. Tota poſterioris corporis partis cutis, cui per omne illud tempus incubuerat, ſeceſſionem fecit à ſupremâ parte ad imam idoneis dein emplaſtris reſtituta.

Nec ſilendum duco hunc lóngo ante morbum tempore fuiſſe canum, nivibúſque capitis amiſſis capillos novos, ac fuſci coloris, molleſque ſucceſſiſſe, eumque omnia, quæ antea non ſine perſpicillis, quæ vocant, conſpexerat, poſtea ſine ipſis, renovatâ oculorum acie, vidiſſe.

Poſt gravem hunc morbum idem per 6 annos, interno ulcere nunquam liberatus vixit: ter enim quaterve quotannis magnam per alvum excrevit puris copiam, quod certis præſenſit ſignis. Hiſce tamen non obſtantibus uxorem ſex annorum ſpatio bis imprægnavit.

Memini

Memini etiam me, initio Autumni an: 1673. arceſſitum fuiſſe ad uxorem *Joh. Schinkel*, quæ morbo quodam correpta, lectoque affixa, neque mentis compos, ultra menſis ſpatium nihil aſſumpſit, nec intra tres hebdomadas quidquam bibit, cujus rei teſtis etiam eſt Expertiſſ: Medicus noſter *D. Cock*, qui ipſam ſæpius viſit. Tandem vero illa inde fuit extincta.

P. Borellus obſ. rar. Med. phyſ. cent. 3. *obſ.* 35: *fol.* 224. de Carthuſiano quodam refert, qui per duos menſes continuos ægrotans abſque ullâ cibi aſſumptione permanſit, omnia enim ad nutritionem reſpuebat, &, ſi coactus aliquid deglutiſſet, iterum evomebat, ſicque per quatuor menſes abſque alimentis vivebat.

Unde venter adeo receſſerat, evanueratque, ut oſſium dorſi veſtigia in ventris cute impreſſa eſſent. Hinc colligendum eſt, ut ait idem, ipſum ex humore viſcoſo, & inſtar ejus, qui limacum eſt, victum ſibi comparaſſe.

OBSERVATIO XVI.

Per vomitum, & Seceſſum ejecta piceâ nigredine tincta.

QUemadmodum diverſa præternaturalia, hac vel illa mala diſpoſitione ſenſim in corporibus humanis

 col-

colliguntur, ita etiam variæ admodum viæ ſunt, quibus illa exonerantur. Sic mihi occurrerunt duo, quorum alter mas erat, altera fœmina, uterque vero tam per os, quam alvum materiam quandam ſæpe ejiciebat, picis inſtar nigram, eamque nonnunquam ſolam, nonnunquam alimentis, excrementiſque permixtam: ambo etiam dudum erant emaciati, parumque aſſumpſerant alimenti; inſtante morte, paulułum febricitabant, alteri malum illud mœror, alteri copioſior fortioris poculi uſus produxerat. Conquerebatur uterque de latere ſiniſtro, faciemque diu habuerat male coloratam.

IN OBSERVATIONEM XVI.

DIu admodum plurimi diſceptarunt, undenam nigra illa materia proveniret, mihi vero nunquam fuit dubium, quin è vaſis ſanguiferis prodiret. Ita *Galenus lib. 5. cap. 5. de loc: affect., & 6. ejuſdem cap. 1.* confirmante etiam *Hippocrate lib. 5. de morb. popularib.*, nonnunquam per vomitum ex hepate, vel liene ſanguinem ejici ſcribit.

Eſt

Eſt autem valde periculoſa hujuſmodi cruoris ejectio. Quapropter etiam *R. Dodonæus med. obſ. cap.* 26. *fol.* 64. teſtatur ſe nullum unquam vidiſſe hominem, qui hoc liberatus fuerit morbo; quamvis enim hic ſanguinis vomitus ſæpe aliquamdiu, imo nonnunquam per annum integrum, vel ultra ceſſaverit, facillime tamen revertitur, ſubitaneâque tandem morte ægri per hujuſmodi vomitum obruuntur, vel etiam in aſcitidem incidunt.

Hujus rei exempla extant apud *Marcell. Donatum hiſt. med. mirab. lib.* 4. *cap.* 9. *& apud R. Dodonæum cap.* 26. *Joh. Rhodium obſ. med. cent.* 2. *obſ.* 64. *Scultet. armament. obſ.* 73. Hinc etiam *Hippocr. lib.* 4. *aph.* 21. *Dejectiones.* inquit, *nigræ, qualis ſanguis niger, ſponte prodeuntes, & cum febre, & ſine febre, peſſimæ.* Et eodem *lib. aph.* 22. *morbis quibuſvis incipientibus, ſi bilis atra vel ſurſum, vel deorſum prodierit, letale.* Ut & *ſeqq. aph.* 23. *ejuſdem libri. Quibuſcunque ex morbis acutis, aut diuturnis, vulneribuſve, aut aliter quocunque modo extenuatis, bilis atra, vel, qualis ſanguis niger, prodierit, poſtridie moriuntur. Idem lib. eodem Aphor.* 25. *Sanguis,* ait, *quidem qualiſcunque ſit, malum. Deorſum vero, bonum, niger ſubtus ſecedens.* Ita tamen hæc pronunciat *Hippocrates*, ſi mala corporis accedat diſpoſitio, vel febris adſit, uti clarius ſemet ipſum *lib.* 7. *aph*: 37. explicat. Fieri enim poteſt

ut

ut quiſquam cætera ſanus, illæſis viſceribus internis, & impeditis ſolitis (ſcil. mulierum menſtruis, ſive virorum hæmorrhoidibus, vel alio quodam fluxu) evacuationibus, nonnunquam hujuſmodi ſanguinis vomitu ſanetur, quale exemplum vomentis puellæ ſequenti obſ. 17. adducturi ſumus.

Memorat *Thom. Bartholin. cent.* 3. *hiſt.* 36. *fol.* 76. de nobili quodam Dano annor. 60. qui 30. annos continuos ſtatis temporibus ſanguinis magnam quantitatem, ſine ullo, vel minimo ſanitatis detrimento, aut vitæ periculo evomuerit.

Verum in ſtatu minus ſano vomitus ille ſanguinis vel hepar, vel lienem, meſenteriumve læſum denotat; unde utplurimum pallidus ille triſtiſque faciei color, quem vulgo ita vomentes habent, provenit.

Lien etiam in hujuſmodi cadaveribus inſtar coagulati ſanguinis maſſæ apparuit abſque ulla ſubſtantiæ ſoliditate, quæ teſte *Dodonæo loco adducto, ut & Felice Platero lib.* 2. *obſ. pag.* 469 facile attactu ſeparabatur.

Theoph. Bonetus Med. Sept. collat. lib. 3. *ſect.* 5. *cap.* 4. *fol. mihi* 528. vocatum ſe ait ad Senatorem Neocomenſem ſexagenarium, de vertigine & cardialgia conquerentem; quam illico exceperit gravis animi defectio, & immiſſus clyſter atrum eduxerit humorem: Hic cardiacorum exhibitione recreatus fuit; circa mediam noctem imploratur ejus auxilium, quia ſyncope advenerat,

quâ

quâ exitatus balbutiebat æger, viribus ſumme proſtratis. Injecto alio clyſtere, ſanguis ater iterum cum euphoria excretus. Exactis aliquot menſibus per os ejecit humorem nigredine cum atramento certantem, & ſingulis poſtea hebdomadis redibat affectus, genio enim prò more indulgebat. Cadavere aperto vitium lienis deprehenſum fuit, qui ſumma parte catcinomate exeſus, intuſque, & extra nigricans erat, in ventriculum ſarcinâ ſe exonerans.

De via autem, per quam ſanguis iſte è partibus affectis pervenit ad ventriculum, variæ admodum occurrunt conſiderationes.

Communis Veterum, nec non recentiorum quorundam opinio eſt ſanguinem iſtum per vaſa brevia ad ventriculum tranſire,

Bauhinus, *Varolius*, *Riolanus*, & *Rolfinkius* hiſce vaſis brevibus communionem ventriculo cum liene dari ajunt. Affert etiam *Riolanus Anthrop. lib.* 2. *cap.* 17. *fol. mihi* 114. in lienoſis à vaſe brevi ſæpiſſime copioſas, & immodicas ſanguinis ſuſque deque rejectiones emanare ſe vidiſſe, & in nobili quodam Senatore, qui rejectione ſanguinis per ſuperiora, & inferiora è liene prodeuntis interierat, deprehendiſſe vas breve minimi digiti magnitudine latum, & in ventriculum adapertum.

Th. Bartholinus idem confirmat loco adſcripto, dum ſe vaſa brevia in hujuſmodi hominum diſſectis cadaveribus reperiſſe tumefacta admo-

dum

dum nec non ſanguine referta dicit. Idem teſtatur *Reald. Columbus Rer. Anatom. lib.* 15. *pag. mihi* 492, de Cardinale Cibo, qui ſanguinis vomitu, & dejectione nigra obierat; in ejus autem cadavere diſſecto, præſente *Anthon. Muſa Braſſavolo*, reperta eſt vena è liene prodiens ſupra morem tumefacta, nec non ex eadem non tantum in ventriculum, ſed & in inteſtina ejectus ſanguis. De eodem *Valverda lib. 6. cap.* 5. atque ex eodem *Adrian. Spigelius de hum. corp. fabr. lib.* 8. *cap.* 14. compreſſo liene ventriculum ſanguine, qui per vas breve derivabatur, repletum fuiſſe, ventriculo autem preſſo lienem intumuiſſe notavit.

Theoph. Bonetus Medic: Septent. collat. lib. 3. *de infimo ventre, ſect.* 7. *fol. mihi* 547. ex *Georg. Wolfg. Wedelio* de gravida quadam muliere ſanguinem vomente memorat, cujus lien maximus erat, ac tumidus, vaſque breve ſolito calamo ſcriptorio craſſius, quod è liene prodiens in ventriculum inſerebatur, ubi in diverſos dividebatur ramos, uno horum ſtylum in ventriculum admittente, reliquis in exteriorem ejus tunicam inſertis. Non procul ab hoc inferius paullo aliud adhuc vas, ſed minus, ex liene ad ventriculum tendere viſum eſt, itidem pervium.

Ventriculus alias ſatis ſanus ſanguine grumoſo ad tertias repletus obſervabatur, in vaſis vero ſanguiferis vix veſtigium exſtabat ſanguinis, exceptis aortæ, & venæ cavæ parum ſanguinis coagu-

lati

lati continentibus: unde quis inferat propter iſtam vaſorum communionem aliquid è liene in ventricum effundi poſſe. Verum non adeo certum id eſt, quamvis enim venæ per univerſum corpus undique diſperſæ ſanguinem ab arteriis advectum à quavis parte avehant, nec non valvulis refluum cohibeant ſanguinem, alia tamen venarum ventriculi eſt conſtitutio, utpote in quibus nullæ reperiuntur valvulæ, ita ut ſanguis, etiam in cadaveribus, ſuſque, deque, tam verſus ſuperiora, quam inferiora ex iiſdem exprimi poſſit. Vaſa autem hæc ventriculi venoſa quadruplicia ſunt; primo nempe *vaſa brevia* duos pollices lata, quæ ſanguinem à ventriculo in ramum ſplenicum, non tamen in lienem, & inde in venam portæ deferunt; Secundo vena in latere dextro, paulo infra inferius ventriculi orificium, dextra *gaſtro-epiploica* vocata; Tertio in ſiniſtro latere *gaſtro-epiploica* ſiniſtra, quæ ramos tam in ventriculum, quam omentum diſpergunt, & denique Quarto dextra gaſtrica, ſive *pylorica tenuis*, quæ à trunco venæ portæ prouenit, quæ omnes venæ mutuas in ventriculo anaſtomoſes habent nullis dotatæ valvulis.

Hæc omnia ita ſe habere retulit mihi Anatomicus, & Medicus Hagienſis Celebris *D. Anth. Nuck*, ut pote obſervationibus edoctus, tam per ſanguinis preſſiones, quam liquorum in iſta vaſa injectiones, ut & inflationes. Flatus enim, & liquor in vas breve immiſſi in ipſa aſcendêre vaſa gaſtrica.

An-

Anthon. de Pozzis ephem. German. ann. 4. obſ.30. fol.32. ſe in Baroniſſæ cujuſdam cadavere obſervaſſe ait vas breve ad ventriculum tendens valvulis caruiſſe. Ita ut mirum non ſit ſanguinem à ventriculo Cardinalis illius ad lienem, & vice verſâ ab hoc ad ventriculum potuiſſe premi.

Nihil autem omnino ex arteriæ cæliacæ ramis à liene ad ventriculum, vel vice verſâ, à ventriculo ad lienem tranſire ſtatuit *Richard: Lowerus tract. de corde cap. 5. fol.* 205.

Ubi, *Tertius*, ait, *arteriæ cæliacæ ramus*, *qui &*
„ omnium maximus eſt, in duas dividitur propagines, quarum Prior verſus ſiniſtram lienis
„ partem procedit, ſed ubi lieni appropinquat,
„ diffiſſa quaſi in bivium, ſurculum unum in
„ ventriculi fundum exporrigit, alium in lienem
„ reflectit. Secunda vero hujus rami propago
„ paulo ulterius provecta prope alteram lienis
„ partem ſimul in quatuor ſurculos dividitur,
„ quorum duo in lienem, reliqui in ventriculum
„ huc illuc quaquaverſum explicantur. Hoc
„ autem expertum ſe injectione atramenti vel
„ lactis, clareque, & perſpicue ſe vidiſſe liquorem, poſtquam ad commune illud bi-
„ vium, vel quadrivium perveniſſet, in lienem,
„ & ventriculum, ſimul, & ſemel deferri affirmat.

Mutuam vero duorum iſtorum corporum communionem, ſanguiniſque in ventriculum trans-

tranflationem per lienis fieri venas minus eſt veroſimile; eodem namque modo, quo arteriæ, quæ ſanguinem ad hepar, pancreas, inteſtinum duodenum, ventriculum, lienem, & omentum adferunt, omnes ex eodem proveniunt trunco; ita etiam venæ, quæ à quavis harum partium particulariter procedunt, quæque ſanguinem per arterias advectum revehunt, omnes in unum concurrentes truncum venam ſcilicet portæ terminantur, ita ut venæ inter ventriculum, & lienem brevibus ſibi mutuo ramis concurrentes, ideoque breves dictæ, rami tantum ſint venarum à fundo ventriculi deſcendentes, dum rurſus alii venarum rami à liene provenientes prioribus obviam procedunt, ac melioris deductionis ergo conjuncti in unum, vas nempe breve, concurrunt truncum, qui porro ab utraque parte refluum, nec non commixtum ſanguinem ad portæ venam defert.

Fel. Platerus obſ. lib. 3. *fol. mihi* 748. *&* 751. ut & *lib. de vomit. cauſ. cap.* 8. *fol. mihi* 648. hujuſmodi picis inſtar nigrum ſanguinem per vomitum, alvumque ejectum è vaſis meſentericis ad ventriculum excurrentibus, ac ob tetri ſanguinis illuviem in illis contentam reſeratis, provenire exiſtimat.

Fr. de le Boë Sylvius vomitum ſanguinis pancreatis vaſe quodam humore acri aperto oriri ſtatuit, quem ſanguinem ſi nec per ſuperiora, nec inferiora exoneretur, ibidem ulcus producere affirmat.

Verum modo adducta opinio (qua ſanguis ex liene per vaſa brevia, & meſenterica in ventriculi cavitatem deferri creditur) non ſuſtenſtari poſſe videtur, quod inter ventriculi tunicas quidem, ſed neutiquam ipſo terminentur ventriculo, alias enim ſanguis continuo in eundem efflueret.

Verum quidem eſt vaſa illa ſanguifera naturaliter ventriculi tunicis inſeri, ſed in temperatioribus, maleque diſpoſitis corporibus ſanguis fervidior, acriorque redditur, unde vaſa in ipſo aperiuntur ventriculo, indicante hoc ipſum *Th. Williſio de ſcorb. cap.* 2. cum dicit ſanguinem eo caſu magis ſalinum, adeoque ad orgaſmum aptiorem orificia vaſorum facilius perrumpere.

Et quid ni hic æque, ac aliis corporis in partibus, vaſa ſanguifera per diapedeſin, vel diæreſin perrumpantur, ſanguiſque minus conſueta fermentatione concitatus in ventriculum effundatur?

Ita ſæpe obſervata ſunt in hominibus ſanguinis vomitu extinctis vaſa ſanguifera majora propter orgaſmum ſanguinis plus juſto concitatiorem, fere evacuata, & in circumſtantium admirationem circa partem, ubi facta fuerat evacuatio in ventriculo admodum fuiſſe tumefacta; hæc inter alios confirmat *Aug. Thonerus lib.* 3. *obſ. pag. mihi* 140. Cum memoret, quomodo *D. M.*
„ *A. Herrenſchmid* Gymnaſy Ulm. Metaphyſ.
„ Profeſſor poſt largiorem vini hauſtum corpo-
„ riſque validiorem motum in ſanguinis vomi-

„ tum

„ tum exundantem inciderit ad mortem uſque
„ perſeverantem. Quo vita functo, & cada-
„ vere reſerato, in tota vena cava, & arteria
„ magna in lumbis recumbentibus nihil fere ſan-
„ guinis, in aliis etiam vaſis nihil, præter quaſ-
„ mucilagines tantillo cruore imbutas, ventricu-
„ li vaſis ſanguiducis valde tumefactis repertum
„ ait.

Idem quoque teſtatus eſt de gravida muliere, cujus modo memini, *Georg. Wolfg. Wedelius*, nec non *F. Platerus lib.* 2. *obſ. pag.* 472. de nobili quadam matrona.

Cauſa vero, cur vas breve venoſum, juxta ſupra adductorum teſtimonia, in iis, qui vomitu ſanguinis obierunt, uſque adeo intumuerit, nulla, meo quidem judicio, alia eſſe potuit, quam magnus aliquis ſanguinis orgaſmus atque inſuper obſtructiones quædam neceſſario in vaſis latentes gaſtricis à vena cæliaca procedentibus, & ad lienem excurrentibus. Ita ut, cum ſanguis inde tam cito per ramos venæ cæliacæ reverti nequeat, quam quidem fortiter ab arteriis appellitur, neceſſario partim extra vaſa erumpit, partim vas breve adimplet, & diſtendit.

OBSERVATIO XVII.

Menſtrua vomitu egeſta.

EXemplum quoddam menſtrui fluxus guttatim è palpebris effluentis tom. 1. obſ. 19. ejuſdemque aliud quoddam è palpillis erumpente obſ. 79. retuli; hic autem agam de menſtruis à puella quadam (quæ olim parentibus meis famulata eſt) tempore cujuſvis purgationis menſtruæ vomitu magna quantitate ejectis, quod ego ipſemet aliquoties vidi, puella autem nihil inde detrimenti ſenſit, ſana namque permanebat, & alacris.

IN OBSERVATIONEM XVII.

CAtamenia mulierum propter vaſorum ſanguiferorum circa uterum obſtructionem prodire neſcia alias ſibi vias quærunt, per quas commode exonerentur, uti *obſ.* 19. *tom. noſtri primi* aliquomodo oſtendimus, vomitu autem rarius illorum fit ejectio.

Thom. Barthol. cent. 5. *hiſt.* 32. exemplum ſuppeditat fæminæ, qui ſolitæ menſium purgationes

tiones per annum ſubſtiterant, quæque ſtatis menſium vicibus vomitum ſanguinis, ſatis ſubinde grumoſi, patiebatur, ſine ulla de liene quærimonia. Idem teſtantur *Anth. Muza Braſavolus comm. ad aph.* 32. *ſect.* 5. *Hippocratis*, nec non *R. Dodon. medicinal. obſ. cap.* 26. *Anthon. Beniveniuscap.* 41. *Amat. Luſit. cent.* 2. *curat.* 17. *Joh. Langius epiſt.* 40. *lib.* 1. *Verzaſch. obſ. med. c.* 13. *Mart. Ruland. cent.* 3. *curat.* 4. & *cent.* 4. *curat.* 67. *G. Horſtius part.* 2. *obſ. medic. lib.* 1. *obſ.* 33. *Alb. Hermannus Cummius miſcell. medic. phyſ. larioſ. decur.* 1. *anni obſ.* 95. *fol.* 224. *Decur.* 2. *an.* 2. *obſ.* 101. *fol.* 251. nec non *Celeberr. Medicus Steph. Blankardus collect. med. phyſ. cent.* 1. *obſ.* 69.

Baldaſſar Timæus caſ. med. lib. 4. *cap.* 12. *fol.* 211. exemplum habet nobilis cujuſdam Ma-
„ tronæ 40. annorum. Hæc, retento ultra
„ biennium fluxu menſtruo, ſingulis menſibus
„ circa ultimam Lunæ quadraturam copioſiſſi-
„ mum ſanguinem vomitu rejiciebat, huicque
„ à Chirurgo ſanguinem ſiſtentia, & contra vo-
„ mitum cruentum facientia, exhibita erant; à
„ quorum uſu peſſime ſe habuit. Quare *Timæi* imploravit opem, qui, re penitius perſpecta, memor *aph. Hipp.* 32. *ſect.* 5. omni conatu in id incubuit, ut ſanguinem ad uterum, tanquam huic evacuationi deſtinatum locum, revocaret, nihilque eorum, quæ ad menſium retentorum provocationem quocunque

 mo-

modo facere poterant, intermiſit; ſed cum etiam efficaciſſimis, & exquiſite comparatis remediis nihil proficeret, ipſaque vomitiones haſce menſtruas citra ullum valetudinis incommodum facile ferret, naturæ negotium committendum cenſuit. Duraverunt autem, ut inquit idem, hi vomitus uſque ad quadrageſimum octavum annum, quo ſponte deſierunt, valetudine corporis deinceps variis morbis ſubinde tentatâ, ut plerumque deficientibus per ætatem menſibus fieri ſolet.

Monitos itaque ſerio imperitiores velim, ne adſtringentia mulieribus exhibeant, quibus, obſtructis viis inferioribus, ſanguis per os viam quærit: niſi prius reſerato, quo menſtruis circuitibus ſecundum naturam fluere ſolebat ſanguis, tranſitu. Hoc enim niſi fiat, ægra mortis incurret periculum: cujus letale exemplum Celeberrimus Vir *G. Wolfg. Wedelius Opiol. lib. 2. ſect. 3. cap. 3. fol. 146.* adfert.

Joh. Rhodius obſ. med. cent. 2. obſ. 64. fol. mihi 101. An. 1625. Patavii duas vixiſſe fæminas tradit, alteram Deo dicatam, cœlibem alteram: quæ imminente fluxu menſium, pridie ſanguinem abſque incommodo rejecerint, imo vomitum præſenſerint; quem ſi medicus cohibere tentaret, varia ſuboriebantur ſymptomata ipſo vomitu ſublata.

Rod. à Caſtro lib. 1. de morb. mulier. cap. 2. fol. mihi 101. ſe illuſtrem *D. Johannam*, Comitiſſam

tiſſam Villæ francæ curaſſe refert, quæ, niſi ſingulis menſibus ſufficientem ſanguinis copiam per os rejectaret, in febrem, & graviſſima ſymptomata incidebat.

Dom. Panarolus Jatrologiſmo obſ. med. Pentec. 1- *obſ.* 6. *pag. mihi* 4. Mulieris cujuſdam 70, annorum meminit, quæ ab ipſa uſque infantia menſtrua vomitu exoneraverat. Plura ejuſmodi exempla vide ſis apud *Schenkium lib.* 4. *obſ. med.*

Quæritur autem, per quas vias menſtruus ille ſanguis ad ventriculum perveniat?

Verum quidem eſt peculiares nullas demonſtrari poſſe vias ab utero ad ventriculum tendentes, quoniam autem ſuperfluus, & menſtruus ille ſanguis vaſis retentus conſuetam, qua exeat, non invenit viam, fermentari, magnoque cum impetu ſurſum commoveri incipit, magnaque vi, modo per has, modo per illas circumfertur vias, donec aptam quandam inveniat aperturam, qua exoneretur. Neque vero diſſimile eſt hujuſmodi ſanguinis excretionem vel ex vaſis meſaraicis ad inteſtina, vel ex his ad ventriculum, vel etiam ex arteriis inter membranas tunicarum ventriculi implantatis fieri.

Hippocrates lib. 1. *de morb. Mulier. ſect.* 5. *fol. mihi* 592, hunc ſanguinis vomitum iis, quæ ſine viro ſunt, magis contingere ait. Ratio eſt, quod mulieribus ſemel, ſæpiuſve enixis vaſa ſanguifera menſtruis emittendis deſtinata ampliora

ſint multo, quam nondum imprægnatis, ad quod etiam multum faciunt lochia.

Idem Senex Cous *Aphor.* 32. *ſect.* 5. *mulieri*, ait, *ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus fit ſolutio.* Quod & confirmat *Celſus lib.* 2. *cap.* 8. Ita ut, ſanguinis vomitu à ſuppreſſione menſium orto, nullum præſtantius reperiatur conſilium, quam ut ſolitus quantocyus idoneis medicamentis reſtituatur fluxus. Quod puellæ cuidam optime ſucceſſiſſe refert *R. Dodoneus obſ. med. cap.* 26. *fol. mihi* 67. nec non *Amat. Luſit. curat. Med. cent.* 2. *curat.* 17. *fol. mihi* 148. ubi de puerpera quadam refert, cui nihil lochiorum poſt partum deceſſerit, correptæque febri, angore, cephalalgia, ſitique poſtridie ſanguis per os, nareſque magnâ copiâ effluxerit, poſt cujus fluorem capitis dolor, & ſymptomata omnia remitti coëperint. Sequenti vero die cucurbitulis feminibus admotis, & ſyr. de biſantiis ſine aceto, ſæpe ſumpto, aliiſque externè adhibitis, ſanguis diverti, & retrahi coëpit. Atque ita illa convaluit.

OBSERVATIO XVIII.

Glans plumbea deglutita, ac per vias urinarias emiſſa.

QUiſquis continuis, diriſque afflictus eſt cruciatibus, quævis interdum, queis levari ſperat, admittet, membraque

que uri, ſecari, ac nonnunquam amputari permittet, vel etiam non ingrata tantum, ac nauſeabunda, ſed & periculoſa aſſumet, modo minima miſerias evaſuro ſpes ſuperſit. Hujus rei exemplum mihi non ita pridem ſuppeditavit Vir Celeberr. *Joh. Ludov. Hannemannus Philoſophiæ in Academia Chilonenſi Profeſſor.*

Fæmina quædam paſſione colicâ affecta hortatu cujuſdam glandem deglutiverat plumbeam, quam poſtea (præviis tamen horrendis doloribus) cum urina per conſuetas vias reddidit. Hoc, inquit *Hannemannus*, bona mihi fide narravit *D. Agrippa* Medicus Hulſenſis in Holſatia.

IN OBSERVATIONEM XVIII.

QUamquam hæc hiſtoria fidem apud multos non ſit inventura, ipſe tamen eam, quod teſtimonia adſint fide digna, non rejecerim, idque tanto magis, quanto plura ſimilia aliis doctis, iiſque integerrimis viris annotata reperio.

Ita memoratur *Act. Philoſoph. Anglic. an.* 1668. *fol.* Hiſtoria quædam ex *epiſt.* à Doctore *Nathaële Fairfax* ad *H. Oldenburgium* data, „ quæ ſic habet: *G. Eliot de Mendleſham* in

„ Suffolcia, mulier pallida, mediocris ætate,
„ & corpulenta admodum, aliquot annos afflicta
„ cruciatu inteſtinorum, perſuaſa fuit à Vicino,
„ qui multum in ſimili Accidente paſſus fuerat,
„ deglutire duas idoneas glandes: & ſtatim (ut
„ ipſe ante) fruebatur quiete à doloribus: ſed
„ poſtea cruciatus magno cum foënore redibant,
„ ipſaque multum cum morbo ſpatio 15. ann.
„ conflictata ſemet commiſit curæ cujuſdam
„ Apothecarii, qui ipſi præſcripſit pulverem,
„ poſt cujus uſum proximo mane, dum mingebat,
„ cum urina excrevit, quod cum clangore
„ ad latus matulæ elapſum maxime illam attonuit
„ ignaram, quid eſſet; & urinâ caute effuſâ,
„ reliquus erat gravis, & (ſecundum apparentiam)
„ calculoſus lapis, colore dubio inter flavum,
„ & rubrum, fere magnitudine extremitatem
„ pollicis æquans. Sed ubi malleo decuſſerant
„ exteriorem partem cruſtæ ejus, invenerunt
„ globum medio incluſum colore æreo: qui tamen
„ cultello paululum reſectus comperiebatur
„ eſſe plumbeus.

Quamnam autem quæſo per viam glans illa in veſicam tranſiit?

Nonnulli viam eligunt per vaſa quædam lactea ad renes tendentia, non quæ cum chylo ad mammas tendunt, verum quæ breviori curſu, ſcilicet per rivulos aliquot lacteos, ex cyſterna chyli in venas inſeruntur emulgentes, de quibus vide *Thom. Barthol. lib. 6. de lact. thorac., & cap. 8.*

de

de venis lact. Sed iter illud *Thomæ Warthono Adenogr. cap.* 15. *fol.* 91. propter rationes adjectas non arridet. Alii eum in finem vaſa quædam lymphatica adducunt, ſed hæc liquorem quendam magis à renibus ad chyli receptaculum auferunt; quam aliquid ad renes adferunt.

Alii autem de tubulis quibuſdam in inteſtino cæco capite trunci hominis repertis, & communionem cum renibus habentibus loquuntur. Hoc autem haud dubie inſolitum quid fuit, luſuſque quidam naturæ, quapropter in aliis corporibus locum habere nequit.

Ne tamen explicationem iſtius phænomeni ſicco plane pede prætercam, ac conjecturas potius circa rem adeo obſcuram proponam, veroſimile mihi ſit hujuſmodi caſu omnia fieri præternaturaliter, corporaque illa dura non per vias communes, ſed facta laceratione, vel penetratione partium, ſenſim in veſicam ingredi.

Neque adeo abſonum eſt dicere glandem iſtam primo fibras inteſtini ilei, ubi circa os pubis deſcenſu ſuo fundum attingit veſicæ, ſicque etiam tandem ipſius veſicæ fibras per detritionis modum penetraſſe, exitumque ſibi per viam urinariam aperuiſſe : quam opinionem ego libentius amplector, quia exemplum ſimile reperio apud *Bernardinum Cabiſium Cæſar. Claudin. reſponſ. med.* 40. *fol. mihi* 147. ubi puelli cujuſdam Hebræi, annorum 7. vel 8, mentio fit.

„ Hic

„ Hic, inquit, acum capitatam duorum di-
„ gitorum tranſverſorum longitudinem exce-
„ dentem ludo cuidam indulgens deglutivit,
„ primoque & altero anno (quinque enim
„ annos acus intra corpus delituit) renum, &
„ veſicæ dolores paſſus fuit, arenulas, lapides,
„ & lumbricos oblongos, rotundos, & vivos,
„ nec non materiam fœtentem, & nigricantem,
„ poſt aquarum thermalium uſum minxit: do-
„ nec tandem magnâ urinæ difficultate, & fere
„ ſuppreſſione captus urinam magno conatu ex-
„ cernere tentans acum jam in foramine glandis
„ acumine ſuo apparentem, è virga ſibi extraxit
„ puer, cui adhærebat undique, & præſertim
„ circa medium materia quædam gypſea, & la-
„ pidea ſatis multa, cinericeo colore prædita,
„ & figura magnæ olivæ nucleum repræſentans.
„ Hanc autem fœtentem materiam, vermeſque
„ neque in renibus, neque in veſica genitos fuiſ-
„ ſe conſtat, cum nullus ante utriuſque exitum
„ præceſſerit lumborum dolor gravis, ſed
„ abſque ulla moleſtia unà cum aqua thermali
„ exierint. quare memoratus *B. Cabiſius* hujus
„ ſententiæ ſe fuiſſe dicit, ut ab acu factum fuerit
„ foramen ab inteſtinis ad veſicam, per quod
„ materia illa fœtens, & lumbrici ad eandem
„ pervenire potuerint. Si quis vero quærat, in-
„ quit, quonam in inteſtino, & in quanam ejus
„ parte, & in qua parte etiam veſicæ ab acu fuerit
„ facta perforatio? Reſpondetur, factam fuiſſe
„ vel

„ vel in inteſtino ileo, & in ejus parte, qua ad
„ os pubis deſcendens fundum viſicæ pertingere
„ poteſt, in quo proculdubio facta fuit perfora-
„ tio, vel in inteſtino colo, & in illius parte, ubi
„ ſub veſica oſſis ſacri, & coccygis ſtratum fun-
„ dum veſicæ, ſaltem in parte poſteriori, tan-
„ gere poteſt.

„ Si quis porro objiciat, dum perforatio fie-
„ bat ab acu, neceſſario puerum dolorem ingen-
„ tem perſenſiſſe: Reſpondendum inquit ſolu-
„ tionem continui, quæ ſenſim fit, nullum pa-
„ rere dolorem, & partem acus capitatam facile
„ potuiſſe tractu temporis permeare per foramen
„ à parte ejuſdem acus mucronata factum: nam
„ quotidie videmus etiam pilas plumbeas ab in-
„ ſtrumentis bellicis intra aliquam corporis par-
„ tem immiſſas, retentasque, & per aliam par-
„ tem ſpatio temporis expulſas.

„ Si quis vero inſtet, ait, vulnera tenuium in-
„ teſtinorum, & veſicæ penetrantia letalia eſſe,
„ regerendum ei putem perforationem iſtam hoc
„ caſu ita ſenſim factam eſſe, ut nullam vim in-
„ tulerit naturæ, neque ſenſationem, & prop-
„ terea inter diſciſiones, de quibus intelligunt
„ *Hippocrates*, & *Galenus aphor.* 18. & 24.
„ *ſect.* 6. non fuiſſe connumerandam.

Libellus Gallicus, qui *Rei pul. literariæ Acta menſis Januarii* 1668. continet, pag. 44. & ſeqq. aciculæ meminit, quæ ureteri dextro tartareæ cujuſdam materiæ annexa glutine poſt diſ-

ſec-

ſectum cadaver inhærebat; ubi ex abſceſſu, quem produxerat, inciſo pus per abdomen effluxerat, ita ut poſt menſes aliquot decederet laborans. Hoc autem ipſe non aliter fieri potuiſſe crediderim, quam ſi acicula, tenuium inteſtinorum quodam, ut & peritonæi duplicaturâ, quâ ureter tegitur perforatis, ureterem, cui incubuit, tandem terebrârit.

De ſimili inteſtini cum aliis ventris partibus; ut peritonæo, unione, eamque ſequente fœcum per umbilicum excretione, locuti fuimus *obſ.* 58. *tom.* 1. ejuſdemque cum rene coaliti, nec non inſequentis fæcum per lumbos ejectionis mentionem fecimus *obſ.* 69. *ejuſdem tomi.*

Thiermairius lib. 1. *cap.* 15. *pag.* 190. ex *Wepfero* memorat, quomodo ima inteſtini recti portio viro cuidam erudito ob ulcus profunde coaluerit, ut nullo ingenio ſolvi potuerit, rectum igitur inteſtinum fæcibus diſtentum veſicæ agglutinatum fuit arctiſſime; ut tandem fæces continuo impulſu inteſtinum, & veſicam perruperint, ac miſer homo longo tempore fæces cum urina per urethram, ſæpe maximis cum cruciatibus, excreverit. Si forte fæces duriores evadebant, dolores non abſimiles iis, quibus calculus in veſica eſt, patiebatur, ut non raro injectionibus emolliri debuerint.

Ut vero commodiorem acus illius in veſicam tranſitum ſubjungam inter diverſos veſicæ poros quoſdam exiſtere foras intus ſpectantes, ita ut com-

commodius quid veſicam penetrare poſſit foris intus, quam intus foras; hi autem quaſi valvulis clauduntur, quod vel inde patet, quia veſica è bruto quodam vivo recens extracta, inverſa, & inflata flatum non contineat. Scribit etiam *P. Borellus obſ. microſcop.* 75. *fol. mihi* 36.
„ Si quando urina adhuc calens è veſica expri-
„ matur, & denuo in hanc inverſam infundatur
„ liquorem infuſum non retineri.

Ratio eſt, quod valvulæ pororum (quas, tam in veſica quam in venis, microſcopio conſpici poſſe ait) liquores continere poſſint, ſi in ſitu quem à natura obtinuerunt, remaneant: ſin minus, liquor effluet.

Veritas hujus rei vel hinc etiam manifeſta eſt; quod alumen, ſi in veſicam ad efformandum aluminis magiſterium injiciatur, ut habet *Mantiſſæ Hermetica Pharmacopeæ Auguſtanæ fol. mihi* 779.) etiamſi veſicæ vacuæ, & ſuperne firmiter adſtrictæ fuerit inditum, nihilominus, illa in aquam calidam ita immiſſa, diſſolvatur.

Tradunt *Tranſacta Anglica tom.* 4. *n.* 65. *pag. mihi* 436. 30. *Octob.* 1670. *ut & Jan.* 1671. *fol.* 537. Quendam profeſſione Medicum, ut urinæ in animalibus ductum inveſtigaret, canem, ut magnam aquæ quantitatem biberet, adegiſſe, & è veſtigio ureteres bene circumligaſſe, veſicam vacuam, nec ureteres ſupra ligaturam tumentes inveniſſe. Hoc demiratus experimentum in alio cane ſic denuo inſtituit. In utroque latere aper-

aperturam exiguam, qua ureteres inveniri, & ligari, nec non urina ex veſica manu exprimi poſſet, fieri curavit, hoc peracto aperturas illas reſarſit, & canem magna aquæ copia bene potum in ſitu quantum per ligaturas licebat, commodiſſimo, per tres fere horas dereliquit, poſtea utroque aperto foramine, & veſica manu compreſſa, haud modica urinæ quantitas ex ea profluebat, videbanturque ureteres aliquantum tumentes ſupra ligaturam.

De ſimili glandis cujuſdam exemplo (quamvis illa externe per dictas vias in veſicam intruſa, adeoque propter magnam violentiam majus introduxerit periculum) *Segerus Thuronenſis epiſt. ad Thom. Barthol. an.* 1661. agit; Meminit quippe robuſti cujuſdam, ac proceri 40. an. hominis, quem expertior quidam lithotomus manuali opera calculo liberare incaſſum tentaverat, quod hic veſicæ lateri firmius adhæreret; quare ceſſante iſta ſpe, ipſe poſt immanes dolores interiit. In Calculo autem è cadavere educto glans reperta fuit plumbea, ac immobilis, nulla in membranacea veſicæ ſubſtantia cicatrice reperta, quæ tamen in inguine poſtea parvula apparuit. Ipſe enim juvenis militaverat, amiciſque ſæpius ſe ibidem vulneratum fuiſſe dixerat glande, cujus nullum poſtea innotuerit veſtigium. Ita ut credibile ſit, ut pergit idem, illam in carneam veſicæ urina repletæ ſubſtantiam fuiſſe ingreſſam, ubi per viginti annos latens tandem materia gypſea,

lea, ſive tartarea fuerit obducta, inguiniſque, ac veſicæ vulnus coaluerit. Calculus autem hic duas uncias, totidemque appendebat ſcrupulos.

Haud abſimilem hiſtoriam refert *Joh. Sigiſm. Elſholt. ephem. Germ. an.* 9. *obſ.* 15. *fol.* 222. de Capitaneo quodam cujus latus dextrum ſclopeti globo erat percuſſum in veſicæ cavitatem penetrante, & ibidem per aliquod tempus quieſcente, vulnere interim coëunte, & ſenſu quodam gravitatis circa pubem remanente. Tandem obortâ & urinæ difficultate, cæteriſque quaſi calculi veſicæ ſymptomatis, per penem cum urina excernebatur globulus, magnitudine piſum majus hortenſe æquans; convaluit autem, nihilque mali poſtea ſenſit.

De fragmine ferreo tormento bellico exploſo, quo Succus miles abdomen in Hafniæ obſidione perforatus, ac longe poſt cum urinâ reddito percuratus fuerit, *notis ad obſerv.* 26. *tom. noſtr. prim. fol.* 113, *ex hiſt.* 99. *centur. Bartholini ſextæ monuimus.* Idem hoc loco occultas corporis ambages quærere naturam ſcribit, ubi manifeſtæ deſunt, idque ita prudenter moderari eam, ne ulli parti nocumentum afferatur.

Chriſtian. Fromman. de faſcinat: lib. 3. *part.* 6. *cap.* 16. §. 9. *fol. mihi* 846. hac, de re ita loquitur: „ Natura, inquit, rei ratione inſitæ „ gravitatis progreſſum molienti vias quando-

„ que extraordinarias concedit, vel ipſa per in-
„ ſolitas vias, ſi per ordinarias commode non li-
„ cet; rem moleſtam expellit, ſed, cum ſit con-
„ ſervatrix ſui ſtudioſiſſima, res tranſeuntes arcte
„ ambit, ne laudabilis liquoris fiat profuſio;
„ eaſdem ſenſim, & lente movet, ne ſubitâ
„ continui ſolutione partis inflammatio oriatur.
„ Ut pars vero ipſa continui ſolutionem paſſa
„ ſenſim interea reſtituatur, curat.

De aliis etiam duris, ſolidiſque corporibus caſu deglutitis, poſteaque per urinarias vias excretis legimus: ut de oſſiculis avium una cum alimentis forte illapſis, quæ ex ulcerato inteſtino recto per collum veſicæ inter mingendum fuerunt excreta, teſte *Fel. Platero, de mictione cap. 6. fol.* 835.

Barthol. epiſt. quadam Hafniæ Vratiſlaviam miſſa (teſtantibus *Ephem. German. obſ.* 73. *an.* 2. *fol.* 4.) ſe oſſiculum vidiſſe ſcribit ab homine quodam unà cum lotio redditum.

Agit & *idem act. Haffn. volum.* 5. *cap.* 105. *fol.* 276. de oſſiculo pruni Damaſceni magna copia tartari obducto, at ſimul cum lotio copioſiore excreto.

Memorat *Olaus Borrichius Ephem. Germ. decur.* 1. *ann.* 2. *obſ.* 168. *fol.* 266. *Claudium Sohn* virum quadragenario proximum poſtquam in nephriticos incidiſſet dolores, cum urina per urethram, parvulam, aſt plumbeam juſtæ magnitudinis glandem, nec non calculum quendam

dam reddidiſſe, ac dixiſſe ſe ante triduum quaſdam comediſſe aviculas ejuſmodi glandibus interfectas, ac proinde coqui incuriâ relictum in avibus plumbum ſe haud dubie in gulam intruſiſſe.

Parvi cujuſdam clavi forte deglutiti, poſteaque calculo obducti, atque ita è veſica extracti meminit *Ioh. Matth. Heſſus hiſt. rarior cap.* 1. & *Diemerbroekius Anatom. lib.* 1. *fol.* 170.; &c. De acu comatoria per ſomnum deglutita, poſtque decem menſium moras cum urina excreta, *ex Alex. Bened. tom. noſtr. prim. obſ.* 26. *fol.* 112; mentionem fecimus. *Idem* etiam *lib.* 3. *Anatom. cap*: 6, acûs tres digitos longæ, ac caſu quodam deglutitæ, & poſt mortem in veſica repertæ meminit.

De acu in calculi meditullio reperta vide *Amb. Paræum lib*: 24. *cap*: 9. *pag*: 567. De alia inter ſuendum deglutitâ, perque annum integrum in corpore abſcondita, ac denique è muliebribus prodeunte, vide *ephemerid. German. decur.* 1. *obſ.* 3. *fol.* 4.

Decem hujuſmodi acuum Patavii à puella quadam deglutitarum, ac per urinarias vias excretarum *Bartholinus* meminit *act*: *Hafn*: *volum*: 5. *cap*: 105. *fol*: 276. ut & *Laurent*: *Scholtz*: *M*: *S*: *collect.*

De quinque acubus ex improviſo à puello quadam deglutitis, ac poſt triduum cum urina ejectis narrat *Langius lib*: 2. *epiſt*: 40. *fol*: *mihi* 676. Plura de acubus apud alios extant.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON ESTABLISHED 1773

D: Yſbrandus de Diemerbroek olim in Academ: Ultraject: Profeſſ: lib. Anatom. cap. 173. Uxorem ſuam aciculam mediocrem triduo ante deglutitam cum urina reddidiſſe, nec quicquam mali, quamdiu in corpore hæſerit, eam perſenſiſſe teſtatur, cujus exempli *obſ.* 35. *tom.* 1. *fol.* 143. etiam mentionem feci.

De aciculâ æneâ, glandeque plumbeâ minore *Thom: Barth: act: Hafn. volum:* 2. *fol.* 158, De acicula per urethram excreta narrant *Ephem: Germ: decur.* 2. *an.* 1. *obſ.* 168. *fol:* 267. De aliâ è ſcroto prodeunte refert *Heurnius*; cujuſmodi plura in *obſ.* 26. *tom.* 1. adduximus.

Præter ſolida iſta, & dura corpora, alia nonnunquam molliora ad veſicam pervenerunt immutata cum urina tandem excreta; quale quid admirandum profectò, & inauditum habet *Joh. Baptiſta Scaramuccius ephem. Germ: decur:* 2. *ann:* 1. *obſ:* 142. *fol:* 345.

„ Duobus abhinc, ait, menſibus ſeſe obtulit
„ curandus dyſuria, & ſtranguria detentus *Fra-*
„ *ter Joſeph* ex Turre vulgo dictâ Ceccona Co-
„ mitatus Tuderti, Laicus Capucinus, cum-
„ que in pejus rueret ex iis, quæ lixivioſas uri-
„ næ particulas edulcorare, ſalino-ſulphurea-
„ rumque portionum exaltationem compeſcere
„ valerent, atque ex eo, quod renum gravi-
„ tate, ſimulque ureteris dextri dolore paulo
„ antea fuerat detentus, incongruum conjicere
„ haud fuit, patientem lithiaſi laborare. Unde

„ Chi-

,, Chirurgus factâ exploratione per catheterem,
,, haud dubie lapidem adeſſe autumavit, qua-
,, propter ſectionis opus aggrediebatur, & in
,, actum deducebat. Cum ergo lithotomus ve-
,, ſicæ collum reſcinderet, atque illius latebras
,, ſcrutaretur, non niſi materia quædam arenulis
,, circumvoluta, & inſtar funiculi efformata ſub
,, conſpectum extrahebatur, quæ vino abluta
,, deprehendebatur eſſe funiculus; Chirurgus
,, admiratione captus eum funiculum diſſolvere
,, incipiens videbat verum eſſe flabri funiculum
,, craſſitudine digiti minoris; Examine facto,
,, an unquam deglutiviſſet patiens, recordaba-
,, tur tantum ſe ante quinque fere menſes inſatia-
,, bili quadam bibendi licentiâ tam avide matu-
,, tinis horis aquam è puteo hauſtam ore hiante
,, in ſitula perpotaſſe, ut aliquid moleſtum
,, cum aqua hauſiſſe, non ſine periculoſa de-
,, glutiendi difficultate, viſum ei fuerit.

Jul. Alexandrinus annot. ad cap. 14. *libr. de ſubſt. facult. natural.* fruſtula radic. apii pridie comeſtæ per vias urinarias excerni obſervavit.

Nicol. Florentin. ſerm. 9, *tract.* 4. *cap.* 29. meminit cujuſdam, qui non ſatis manſorum fungorum haud ita parva cum urinis excreverit fruſta.

Plutarchus lib. 8. *ſympoſ. problem.* 9. *fol. mihi* 295. *Quidam*, inquit, *cum diu laboraſſet urinæ difficultate, tandem culmum hordeaceum geniculatum excrevit.*

De fruſtulo pulmonis cum lotio ejecto vide

G. Fabrit. Hildan. centur. 2. *obſ.* 30. Quomodo vero hujuſmodi corpora, & imprimis iſte funiculus, ad veſicam pervenerint, Anatomiæ peritioribus examinandum relinquo; neque enim veroſimile eſt illa per vaſa lactea ad chyli receptaculum tranſire, & inde ad ductum thoracicum, venaſque ſubclavias, ſicque porro ad venam cavam, dextrum cordis ventriculum, venam arterioſam, ſive arteriam pulmonalem, per arteriam venoſam, ſive venam pulmonalem ad ſiniſtrum cordis ventriculum, per aortam deſcendentem tandem, ad venas emulgentes, reneſque, & veſicam.

Sed neque me uſpiam legiſſe memini unquam ab Anatomicis, aciculas, aliave dura, & ſolida deglutita corpora in vena cava, cordis ventriculis, pulmonibus, vel aortâ cadaverum reperta fuiſſe.

Quæri autem poteſt, licitumne ſit torminibus ventris, volvulo, ſive Iliaco morbo afflictis glandem, vel etiam Mercurium exhibere vivum?

Felicis glandium in caſu magnæ miſeriæ, quam *miſerere mei* dicunt, ſucceſſus exempla habet *Zacutus Luſitanus prax. admir. lib.* 2. *obſ.* 27. *fol.* 154. Quidam, ait, ex caſtanearum crudarum ingluvie multâ in omnimodam incidit fæcum re-
,, tentionem, ita ut ventris tumore, doloreque
,, immani oppreſſus circa umbilicum globulum,
,, veluti ſphæram habere videretur, ab implici-
,, tis, & circumvolutis (chordarum modo) in-
,, teſti-

,, teſtinis enatam. Hic cùm in agone eſſet, &
,, frigido ſudore madidus ſtercus per os ejiceret,
,, variaque interna, & externa, licet incaſſum,
,, expertus eſſet auxilia: poſtquam ad emollien-
,, das fæces, leniendumque dolorem in balneum
,, oleagineum ductus eſſet, nullum levamen ſen-
,, ſit. Quare duodecim parvas pilulas plumbeas,
,, quibus Sclopetarii ad enecandos paſſeres utun-
,, tur devorandas ipſi dedi, quibus dolor aliquan-
,, tiſper conquievit; cumque iterum 18. pilu-
,, las propinarem, fæces reddidit.

Meminit etiam *Ambroſ. Paræus lib.* 16. *cap.* 58. utilitatis glandium plumbearum, mercurio vivo oblitarum.

Georg. Hieron. Velſchius Hecatoſt. 2. *obſ. phyſ. Med.* 33. *fol.* 19. mentionem facit mulieris, quæ ex Omphalocele Ileo laborans intra 12. horas tribus globulis deglutitis è plumbo, non liquatis; ſed torno affabre concinnatis, quorum maximus dragmam pendebat, curata fuit, omphalocele eâdem operà mox ceſſante. Hic ultimo deglutitus primus alvo rejectus eſt. Sequuti demum duo minores, qui prius aſſumti erant: quod pondere factum nemo non intelligit: inanis igitur, inquit, metus eſt, & pueris, quam viris dignior ſcrupuloſitas; ejuſmodi remediis pondus ſuum detrahere. Unciam (ita pergit) aut ſaltem ſemunciam orbiculi iliaci pendant, neceſſe eſt; nec abs re fuerit hydrargyrum iiſdem junxiſſe.

Verum hoc qualecunque glandium remedium

non uſque adeo certum eſt: ſiquidem nonnunquam ſiſtuntur in viis, & non tantum per dies aliquot in corpore permanent, uti ex *Ephem. German. an.* 3. *obſ.* 315. *fol.* 533. patet, ſed & ſæpe per totam vitam ibidem hærent, malaque producunt haud levia, uti ſatis abunde noſtra probat obſervatio.

Mea fert opinio glandem iſtis morbis laborantibus aſſumptam maxime uſui eſſe, quando inteſtina tenuia hoc, vel illo loco fuere complicata, & contorta, vel quando una inteſtini tenuis pars alteram fuit ingreſſa, hocque caſu neceſſum eſt, ut implicatio illa ab inferioribus ſurſum fiat, non contra. Cuiuſmodi mutui ingreſſus exempla videre licet apud *Realdum Columbum lib.* 15. *de rar. in Anatom. fol. mihi* 487. *Franc de le Boë Sylvium idea pr. med. lib.* 1. *cap.* 15. *C. Peyerum de gland. inteſtin. fol.* 81. & 82. Tradit *G. Blaſius obſ. medic. part.* 2. *obſ.* 3. *fol.* 37. bis ſibi in praxi hujuſmodi occurriſſe involutionem, alteram à ſuperioribus deorſum, contrariam alteram in puero 14. annorum. Teſtatur etiam *H. ab Heers, obſ.* 24. *fol.* 214. ſe in fine Ilei quinque inteſtini complicationes inveniſſe maximas, ita ut ad longitudinem digiti in qualibet complicationum ileum convolutum inveniret, quodque peſſimum erat, hîc inferne ſurſum repebat; alibi ſuperne deorſum implicabatur. *Laz. etiam Riverius centur.* 3. *obſ.* 26. *fol.* 227. idem cuiquam tribus diverſis locis accidiſſe ſcribit. Quod & ipſe nuper

per in pueri cujuſdam inteſtino Ileo obſervavi.

Olaus Borrichius epiſt. quadam ad Th. Bartholinum refert Medicum quendam ex Jamaica reverſum narraſſe illud quicquid eſt mali iſtis in locis ſæpius occurrere, ibidemque, ut endemium morbum valde graſſari, quemadmodum ex cadaverum diſſectione animadverterat.

Nonnulli eundem in finem, loco glandis plumbeæ, auream admiſerunt, alii quandam ex Regulo Antimonii efformatam, quæ etiam ſimul alvum exonerat, & purgat, operationeque peractâ rejicitur, ac abluta eidem rurſus inſervire poteſt uſui.

Mercurius autem vivus plurimum ad hujus mali curationem facere dicitur. *Nicol. Fontanus reſp. & curation. Med. l. 1. f. 85.* exemplum habet militis cujuſdam ſtrenui, qui poſt fruſtraneum trium glandium uſum, Mercurium vivum optimo cum ſucceſſu ejuſmodi caſu aſſumpſerat.

Zacut. Luſit. lib. 2. obſ. 28. fol. 155. refert de Duce ſtrenuiſſimo, qui, cum poſt ludum parvæ pilæ corpus exercitio maceraſſet, & ſudore madidus, ſitique oppreſſus aquæ nimium nive infrigiditatæ calice ebibiſſet, ejus potu illico in ſublimioribus inteſtinorum partibus torſionem ſenſerit, unde non multo poſt juxta umbilicum tumor involutæ chordæ inſtar rotundus, & durus apparuit, quumque infeſtiſſimo cruciaretur dolore, multaque jam tentaſſet incaſſum efficaciſſima auxilia, tandem ſuperveniente volvulo,

nullo alio præſidio, quam libræ hydrargyri potu levari potuerit.

De Senatore quodam Veneto ope Mercurii vivi reſtituto memorat *Henr. à Moinichen obſ.* 6. *Johann. Rhodius obſ. med. centur.* 2. *obſ.* 80. *fol.* 111. exemplum cujuſdam habet, qui aſſumptione quatuor Mercurii vivi unciarum, cum melle roſar. ſolut. itidem malo iſto liberatus fuerit.

Simile quid narrat *Georg. Hieron. Velſchius Epiſagm.* 43. *fol.* 27. *Ambroſ. Paræus, lib.* 20. *de Venen. cap.* 38. *fol.* 453. tradit *Marianum Sanctum Barolitanum* multos cognoviſſe, qui in deſperato ſtercoris vomitu tres Mercurii vivi libras cum aqua pura aſſumpſerint, ſicque ſemet morte liberaverint.

Quamvis autem ipſe glandium uſum in morbo illo non repudiem, Mercurium tamen vivum, ſed rite purgatum præferrem; quia inteſtinum, quod morbo iſto velut occluditur, non tantum gravitate ſua glandes æque, ac fæces deprimit, ac inteſtina diſtendit, verum etiam humiditate, & particularum ſubtilitate, per anguſtiorem viam facilius penetrat, initiumque facit apertionis. Verum præſertim Mercurium exhiberem poſt aſſumptionem pinguium, vel etiam ipſis junctum, ne videlicet alicubi ſubſtantiæ inteſtinorum mucoſæ adhæreat, ut alias propter humorem quendam acerrimum nonnunquam latentem, facile contingere poteſt.

Præ-

Præſtat etiam Mercurium majori exhibere copiâ: Acidum enim, vel ſalſum, quod in inteſtinis ſæpe eſt, à parva Mercurii imbibitur quantitate, unde corroſiva evadit, contra quam copioſiori continget Mercurio.

Certum eſt Mercurium, modo vivus ſit, & rite præparatus, hoc eſt, pinguedine mortificatus, vel in parvas particulas diſcerptus, non eſſe venenatum, nec corpori nocere, quia fluiditate ſua, & gravitate facillime deſcendit, eademque facilitate abſque ſui diminutione ejicitur, qua fuit aſſumptus. Illud autem ipſe demonſtrat uſus: meminit enim *H. ab Heers obſ. med. pag.* 38. *Centurionis*, cui cum Princeps comeſſabundus in media compotatione riſum captans ſelibram argenti vivi capaci poculo vino pleno propinandam curaſſet, ipſe, obducto amyſtide vaſe, præſentibus omnibus, nec enim adhuc fere bibens fugere poterat, atque in cachinnos effuſis, largiſſime, & cum fænore pridianæ cænæ, per anum innoxie reddidit, ultraque triginta annos ſanus vixit dicens, cum inter pocula rideretur, ſe clyſteris compendium feciſſe.

Mercurium vivum innoxium eſſe ipſi etiam docent ſervi cinnabarim nativam in mineris quæritantes; nonnunquam, enim furtim pondera aliquot deglutiunt; Ideoque inſpectores jubere vulgo ſolent, ut, ex minera aſcendentes, alvum deponant furta manifeſtaturam.

Agreſtem novit *Prævotius*, qui ad deturbandam

dam alvi ſarcinam argenti vivi binas uncias quovis die ſumebat, quas rejectas, & probe lotas iterum conſueto more uſurpabat.

Mercurius itidem vivus Patavii verminantibus exhibetur pueris, teſte *Joh. Rhodio obſ. med. centur.* 3. *obſ.* 85. *fol. mihi* 195. qui etiam narrat hydrargyrum nullo artificio immutatum citra noxam incolis inſulæ cujuſdam prope Moluccas, tam ad conſervandam ſanitatem, quam ad propellendos morbos uſurpari.

OBSERVATIO XIX.

Delirium, aliaque ſymptomata aſſumptionem ſanguinis menſtrui ſequentia.

Diverſis equidem, miriſque modis artes ſuas in mundo exercet Diabolus, ut per eaſdem hoc, vel illo modo miſeros decipiat, atque irretiat. Illius rei exemplum aliquod ipſe ego vidi 14. *Aprilis ann.* 1684. cui ſimile mihi nunquam huc uſque in Praxi conſpicere licuit.

Centurio quidam, ætate jam ad ſenium vergente, & extra Hollandiæ fines degens, uxore mortuâ, domeſticas curas Gubernatrici cuidam commiſerat. Hæc autem, poſtquam aliquamdiu cum

eo vixiſſet, omnem movit lapidem, non tantum, ut curæ, ſolertiæque intuitu Domino placeret, verum etiam, ut eum face mutuâ torreret. Eventu tamen conatibus, votiſque non conveniente, ac incaſſum adhibitâ quavis diligentia, modeſtiâ, ac candore, tandem ad illicitas, & deteſtandas ſe convertit artes, ut eum ad amorem incitaret divitiarum haud dubie cupida, quibus, mortuo eo, juniorem ad ſe alliceret.

Contigit ergo aliquando, ut ille menſe *Martio* multo mane, peregre profecturus Gubernatricem juberet vini nonnihil cum vitellis ovorum, ſaccharo, & aromatis præparare: in hunc autem potum portionem quandam proprii ſanguinis menſtrui infudit, quo ita colorabatur, ut ipſe Herus coloris rubicundioris cauſam rogaret. Sed illa aſtute reſpondit addita fuiſſe Anatum ova, quorum vitelli, præſertim iſto anni tempore, tanquam adhuc immaturi, ſint rubicundiores, quâ ratione ipſe tum quidem contentus erat. Verum ille circa veſperam reverſus magno corripiebatur angore, cujus cauſam neſciens ſanguinem nari-

naribus, ore, auribuſque emittebat; qui fluxus (non tamen ſemper eâdem vehementia) per tres ſeptimanas continuas quotidie durabat. Ille autem non tantum de capitis dolore conquerebatur, ſed & de vertigine, & appetitu proſtrato. Tandem autem decocto ſalſaparillæ, & ſaſſafras, cui ſub finem decocti herbæ quædam cephalicæ addebantur, nec non conſervis ex iiſdem herbis confectis, cucuphiſque percuratus eſt.

IN OBSERVATIONEM XIX.

Circa hunc caſum perpendenda occurrit quæſtio, an mulier ſive per menſtrua propria, ſive alia philtra, ſic perverſe nuncupata, quenquam in ſui amorem allicere poſſit?

Jam olim equidem, ac ante plura ſecula, alia, exceptis incantamentis, fuiſſe remedia, quibus quiſquam in alicujus impelli poſſet amorem, veteres multi confirmant, quos inter *Cæſar M. Aurelius Epiſt. ad Antigonum*, de herba quadam *Flavia* dicta, ac in *Arcadia* (ut fertur) creſcente.

Acoſta Indicæ cujuſdam herbæ meminit, quæ herba viva dicitur; *Albertus Magnus* lapidis *Ætitis* meminit, *Andr. Matthiolus* de *fungo cervi-*

cervino agit: alii de *Hippomane* fabulantur, quo nomine nonnulli intelligunt carunculam recens nati pulli equini circa linguam conſpicuam. Hæc autem in philtris efficax eſſe, ignique mandata amorem abolere credebatur, quo refer illud *Virgilii lib. Æneid.* 4.

Quæritur & naſcentis equi de fronte revulſus,
Et matri præreptus amor.

Apud *Ovidium de arte amandi* idem præparatum fuit philtrum. At Hippomanes aliud quid ſignificat, luridum ſcilicet liquorem ſeminalem equæ libidinoſæ, ipſâ vocis denominatione ſatis clamante. Hippomanes enim idem eſt, ac τῦ ἵππου Μανία, hoc eſt: *equæ inſania*, nam defluente iſto liquore equa coitum deſiderat furibunda.

Ita etiam *Ariſtoteles lib.* 5. *hiſt. cap.* 18. *Juvenal. Sat.* 6. *Columna de re Ruſtica lib.* 5. *cap.* 27. *Plinius lib.* 28. *cap.* 11. (utut *lib.* 8. *cap.* 42. Hippomanes vocet carunculam iſtam, de qua ſupra, unde illorum errores, qui perperam Hippomanes ita interpretantur) ut & *Virgilius* verbo *Hippomanis* iſtum indicarunt liquorem, ut *lib.* 3. *Georg.* patet:

Hinc demum Hippomanes vero quod nomine dicunt
Paſtores; lentum deſtillat ab inguine virus.

Reſpon-

Reſpondemus autem ad præmiſſam quæſtionem, nullum potum, nulla medicata pocula (qualiacunque demum fuerint) quenquam certi cujuſdam hominis amore corripere, vel ad actum venereum concitare poſſe. Magis enim eſt, ut inſania oriatur, ſicut accidit & illi, cujus memini. Cerebrum enim ei non tantum menſtruo ſanguine perturbatum, ſed ſanguis etiam ejus ad peculiarem quendam orgaſmum deductus fuit.

Tradit etiam *H. ab Heers obſ. med. lib.* 1. *obſ.* 13. *fol.* 126. de juvene quodam, cui poſtquam juvencula quædam amatorium, in cereviſia exhibuiſſet pulverem, magna obvenerit narium hæmorrhagia, quique poſtea, per os thrombos ovo majores, ut per omnia momenta ſuffocandus videretur, ſcreaverit, nec multo poſt per urinarium alvinumque ſeceſſum, ſanguinem tantâ emiſerit copia, ut non modo aliquot matulas, ſed & ſitulem capacem impleverit.

Delirium, & amentiam ex hujuſmodi philtris fuiſſe ortam *C. Suetonius Tranquillus* etiam teſtatur *lib.* 4. Ubi narrat Cæſoniam marito ſuo Caligulæ amatorium propinaſſe medicamentum, quod in furorem verterit. Ejus rei Juvenalis etiam *Satyr.* 6. aliique meminere.

Fertur *Lucila T. Lucretii Cari* uxor ſuſpicione furtivi amoris marito ſanguinem propinaſſe menſtruum, unde ad tantam redigebatur inſaniam, ut violentas ſibi intulerit manus; hinc de eo olim *Politianus*: *Hic*

Hic qui philtra bibit, nimioque inſanus amore,
Mox ferro occubuit, ſic mentem amiſerat omnem.

Petr. Borell. Hiſt. & obſ. rar. med. phyſ. cent. 1. *obſ.* 65. *fol. mihi* 63. Theologi cujuſdam meminit prope urbem Caſtrenſem, qui, philtro menſtruorum muliebrium cum leporino ſanguine in condimento ſumpto, tanto correptus fuerit furore, ut Patrem occiderit.

Tradit & ibidem ſæpius à puellis hujuſmodi philtra eodem cum eventu fuiſſe propinata. *Ioh. Freitag noct. Med. cap.* 16. *fol. mihi* 7. ex *Ioh. Hagio* narrat, quomodo *P. Lotichius* Philoſophus, Medicus, & Poëta celeberrimus, ſumpto philtro, in dementiam inciderit, quæ poſtea in morbum degenerarit chronicum, vitæque finem fecerit.

Philtris autem neminem contra voluntatem ad puellam quandam, ſed potius ad inſaniam compelli, jam olim ſcivit ingenioſiſſimus *Naſo*, *qui lib.* 2. *de Arte amandi* ita ſcripſit.

Nec data profuerint pallentia philtra puellis;
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.

Idem libro eodem:

Fallitur Æmonias ſi quis decurrit ad artes,
Datque, quod à teneri fronte revellit equi.
Non facient, ut vincat amor, Medeides herbæ,
Mixtaque cum Magicis Marſa venena ſonis.

Dan. Beckerus Spagyr. Microcoſm. lib. 1. pag. 14. hac de re, *Sunt*, ait, *qui philtra è ſanguine menſtruo parant, verum tantum abeſt, ut malè feriati voti compotes fiant, ut potius eo ad inſaniam homines redigant, variiſque tormentis exponant.* Præſcribit & ibidem remedia quædam eo caſu perutilia.

Vera autem, ac ſincera puellarum philtra ſunt forma, pudor, linguæ, morumque gratia. Optime itaque, vetus ille Comicus *Afranius* apud *Andr. Turnebum adverſ. lib.* 17. *cap.* 21.

Ætas, & forma tenera, & morigeratio
Hæc ſunt venena formoſarum mulierum.

Tradit *Plutarchus uxorem Philippi Macedonis*, ſparſis de furtivo mariti, puellæque cujusdam amore, cujus cauſa philtrum eſſet, rumoribus, puellam accerſi juſſiſſe, formæque venuſtate conſpectâ, continuo dixiſſe:

Abeant calumniæ, tu in te ipſa veneficium habes: Ea-

Eadem etiam fere verba pronunciaſſe fertur Regis *Demetrii* uxor, accerſitâ enim *Lamiâ*, pulchrâ mariti concubinâ falſo exhibiti philtri accuſatâ:

Valeant, inquit, *Calumniæ*, *tu in te philtra habes.*

Quamvis autem quorundam exempla memorentur, qui mulieris, cujus menſtruum ſanguinem forte bibiſſent, perpetuo mentionem fecerint, id ideo contigiſſe putem, quod delirantium mentibus nota dudum occurrerit imago; iis enim de rebus plerumque loquuntur, quas præ aliis antea dilexerunt.

Quæri itaque poteſt, ſitne hujuſmodi ſanguis venenatus, utpote qui tam dira producat ſymptomata?

Quidam id affirmare videntur, quos & inter reperiuntur *Plinius lib. 7. hiſt. natural. cap. 15. Plutarchus, Columella*, aliique Veteres *Plinium* ſequentes, e quo forſan eadem hauſerunt; Statuit enim ille *nihil reperiri mulierum profluvio magis monſtrificum. Aceſcunt*, inquit, *ſuperventu muſta, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus inſidere, decidunt; ſpeculorum fulgor aſpectu ipſo hebetatur, acies ferri præſtringitur, eboriſque nitor: alvei apum emoriuntur: aes etiam, ac ferrum rubigo protinus corripit,*

ripit, odorque dirus æra: & in rabiem aguntur guſtato eo canes, atque inſanabili veneno morſus inficitur, &c.

Illa autem opinio parum firmo nitens fundamento ſuperſtitione non caret. Mulierculæ enim eo in ſtatu a fictitiis parum differrent Baſiliſcis, multumque incommodi tori conſortibus adferrent.

Certum vero eſt ſanguinem menſtruum naturalem non eſſe venenatum, ſed peregrinâ infici fermentatione; hinc enim paſſio hyſterica, ventris, lumborumque dolor, deliquium, vertigo, oſcitationes, expanſiones, faciei tumor, ac ſimilia oriuntur, quod ſanguis iſte obſtructus malignior evadat, nec non pravi quidam humores ex corpore ad uterum deſcendentes ei miſceantur.

Neutiquam tamen diffiteor præternaturale quid utplurimum in illo reperiri; tunc enim temporis inſolitus quidam motus, ac fermentatio ſanguinis exiſtit, quam peregrinus certarum Lunæ phaſium æther producit, quâque mares (quamvis pauciſſimos iſti fluxui obnoxios *obſ.* 80. *tom.* 1. diximus) nec non viragines quædam carent, quia naturalis earum, ſolitaque ſanguinis fermentatio major eſt, quam ut ab illo vincatur æthere, illique poris donantur apertioribus.

Certum etiam eſt parum menſtrui ſanguinis mulieribus (quamvis fætidum ſit, & deteſtandum remedium) contra menſium obſtructionem ſumptum, multum pollere, ſiquidem ille ex ar-
teriis

teriis uteri immmediate proveniat, nec non plus minus volatilis, fermentantiſque ſalis contineat, unde fervidior, & tenuior catameniorum fluxum promovere aptus eſt.

Scribit Celeberrimus vir *Georg. Wolfg. Wedelius phyſiolog. med. ſect.* 3. *cap.* 29. §. 2. *fol.* 210. ſe obſervaſſe Virgini, cui ad promovendos menſes propinatum fuerat infuſum laciniarum primo ſanguine menſtruo tinctarum, & exſiccatarum, angores, inſtantem lipothymiam, caloremque præter naturam, & alia ſymptomata ſuperveniſſe, eaque ſe unius Tincturæ Bezoardicæ ope ſuſtuliſſe.

Narravit mihi nuper conſanguineorum aliquis famulam quandam hic Hagæ menſtrui Heræ ſanguinis infuſum ex vino bibiſſe, unde non ita poſt, quamvis non abſque magna corporis perturbatione, felix prodierit effectus. Ego tamen nulli qualecunque hoc obtulerim remedium, cum quod deteſtandum ſit, tum quod periculo non careat, aliaque eundem producant effectum.

Nec dubium eſt, quin ſanguis ille à muliere aſſumptus, quantum ad operationes, varie admodum differat, ſiquidem hæc ſanior, illa natura frigidior ſit. Meo inſuper judicio major neceſſario adeſt motus, majorve fermentandi vis in iis, quæ virum quendam amant ardentius, earumque ſanguis propinatus plura, vehementioraque producet ſymptomata, quam alterius

cujuſdam mulieris, cujus ſanguis non ita vehementi agitabatur fermentatione.

Nec mirum cuipiam ſit parvam hujuſce liquoris quantitatem tantum poſſe: experientia enim quotidiana monſtrat minimam quoque fermenti copiam brevi magnam farinaceam maſſam fermentare, & in ſui naturam commutare poſſe. Talem autem fermentationis virtutem in ſanguine mulierum juniorum ſecundum diverſas lunæ phaſes provenire ſupra annotavimus. Cur enim alias tam accurate, ſtatoque ſemper circuitus lunæ tempore fluxus ille oriretur.

Quid ni æque id in microcoſmo præſtet luna, ac in macrocoſmo, ubi maria, & flumina turgere facit, præſertim, quando ex mulieribus fermentum aliquod ſalinum uteri ſubſtantia contentum, & ex ſanguine ſenſim ibidem collectum accedit? Nullus tamen ad fluxum hunc majorem ſanguinis requiri quantitatem inficior, quam quidem hujuſmodi mulieres ad corpora ſuſtentanda indigent. Experimur tamen nonnullas etiamſi magna careant ſanguinis quantitate, inſuperque parum alimenti propter triſtitiam, aliamve cauſam aſſumant, accurate in conſueta Lunæ phaſi fluxui iſti obnoxias eſſe.

Ariſtot. 7. hiſt. animal. cap. 2., & 2. de generat. animal. cap. 10. Lunæ hunc adſcribit fluxum, nec non *Galenus lib. 3. de dieb. decret. cap. 2. fol.* 157. qui lunæ, & aliarum ſtellarum poteſtatem in corpora ſublunaria maximam eſſe,

con-

contendunt, quod non tantum Aſtrologorum, olitorum, nauclerorumque probant teſtimoniis, ſed & *Galenus lib. ejuſdem cap.* 2. & 4. Solem Regem quempiam maximum, lunam vero Hyparchum non exiguum vocat, quam etiam *Ariſtoteles* propter magnam virtutem parvum dixit Solem.

Nec tamen homines brutis ſimiles habere credar, ſi in opinionis noſtræ confirmationem exemplum ex hiſce proferam. Quis non concedat quorundam brutorum, quo tempore in amoris furorem feruntur, ſanguini ſolitâ majorem fermentationem, vel (ſi mavis) motum ineſſe, unde non magnus tantum circa genitalia ardor animadvertitur, ſed & ipſa tumeſcunt, caudâque huc illuc motâ ſæpius micturiunt, atque inquieta ſine lege vagantur, nec non quandoque ob ingentem pruritum vulvam arboribus, aliiſve obviis affricant. Liquorem etiam quendam equæ tunc emittunt, qui propter ardorem furoremque olim *Hippomanes* dicebatur, philtrumque Ethnicis, & impiis hominibus præſtabat, uti ſupra annotavimus; De eo enim *Virgilius Maro Georg.* 3.

Hippomanes, quod ſæpe malæ legere novercæ.

Quis, inquam, non concedet in animalibus peregrino quodam æthere illud fieri?

Sic *Ariſtotel. lib.* 1. *meteor. cap.* 4. multo igne miſceri aëra dixit.

Docet etiam *Hippocrates lib. de principiis*; in terra, & circa terram ignem plurimum remanſiſſe, quantum nempe fuit neceſſarium, ad varias quæ in terra, & circa terram fiunt fermentationes, & generationes nec non *Galenus in librum de decretis Hippocrates & Platonis*, ut & ipſe *Plato*, at obſcurius, ac tandem *Carteſius*, at clarius, & apertius indicavit

Docet etiam uſus plethoram nonnunquam ſolitum impedire menſtruorum curſum, qui ſæpe non promovetur, niſi per venæſectionem quadam ſanguinis emiſſa quantitate: hoc autem in praxi non ſemel expertus fui.

Si vero mulieres ſanguinem illum quovis menſe propter plethoram emitterent, cauſa demonſtranda eſſet, cur per uterum magis quam per aliam corporis partem ejiceretur. Si enim ſanguis abundans vaſa diſtendit, eorumque aperit oſtiola, debiliora certe vaſa, apertis illis, ante omnia ſanguinem effunderent. Quoniam ergo vaſa ſanguifera narium, pulmonum, aliarumque partium (ut nonnunquam fit) citius aperiuntur, quam uteri, neceſſum eſt, ut præter plethoram alia quædam quæratur fluxus menſtrui cauſa, quæ eſt fermentatio, motuſque ſanguinis major, quem aër lunæ peregrinus (ut modo dictum) producit. Hoc enim violentiori ſanguinis, ſpirituumque motu uterus, poris apertioribus redditis, magis incaleſcit: ita ut ejus ſubſtantia circa id temporis poroſior evadat, magiſque

giſque intumeſcat, mulieresque ardorem quendam ſentiant circa dorſi ſpinam, ut & in abdomine circa uteri locum, nec non tenſio quædam in partibus vicinis animadvertatur, quæ nonnunquam ad coxendices extenditur, accedente interdum laſſitudine quadam, quod ſanguis prima preſſione mox per arterias moveri non pergat.

Sed ſi hæc vera ſunt, unde, quæſo, fit, ut non uno, eodemque tempore quotquot ſunt mulieres menſtruum ſentiant fluxum?

Cauſa eſt, quia non omnia fermentantur ab omnibus, nec mulieris ſanguis ab uno, eodemque, ſed diverſo pro diverſis lunæ phaſibus aëre ad fermentationem perducatur.

Cauſa etiam nonnunquam in ipſo latet ſanguine, quæ impediat, quo minus hic tam cito inſueto Lunæ aëri auſcultet, quod poſt aliquot demum dies permittit. Multum etiam huc facit diætæ diverſitas, aërisque temperamentum, ætas, &c. ita ut fluxus iſte in eadem citius, ſerius animadvertatur muliere.

Sed quam, quæſo, ob cauſam prægnantes menſtruo plerumque non laborant fluxu?

Ratio eſt, quia non imprægnatæ majorem colligunt ſanguinis copiam, quam quidem ad corporum requiritur ſuſtentationem, quod in viris non obtinet, utpote qui calidioris ſunt temperamenti, poriſque gaudent amplioribus, unde major iis tranſpiratio.

Majorem ſanguinis copiam, neceſſum eſt, ut colligant, ut fætui ſuppeditetur alimentum. Nec tamen ſtatuo matrem, fætumve ſanguine nutriri, ſed chylo, è quo plurimæ ſanguinis partes conſiſtunt, & è quo non Mater tantum, ſed & fætus nutrimentum accipiunt.

Quid autem de vaccis, equabus, ovibus, aliiſque fæmineis brutis eodem, quo mulieres, modo concipientibus, fætuſque in utero nutrientibus, nec tamen menſtrua expertis dicendum eſt?

Sciendum hæc bruta aëre à lunari diverſo affici, quo etiam juxta qualitatum diverſitatem certis anni temporibus in venerem concitantur, quando & celerior motus, ac fermentatio eorum in ſanguine exoritur, unde ſolito major producitur in partibus genitalibus ardor. Tunc etiam vaccæ, equæ, canes, &c. parum emittunt liquoris, cum mulieres contra, nec non ſimiæ quædam quovis menſe non ita exiguam ejiciant ſanguinis copiam.

Menſtrua autem imprægnatis ut plurimum non fluunt, quod alia fermentationis vis in earum ſanguinem ope ſpiritus ſeminis maſculini introducta ſit, lunarem ætherem ſuperans, unde non amplius fermentatio ſanguinis huic auſcultat, nulla enim mulier unquam imprægnabitur, quamdiu ſpiritus ſeminis maſculini tam potens non eſt, ut peregrinum aërem, qui antea ſanguinem fermentabat, ſuperet.

Quam

Quam potens autem ſit ſeminis maſculini aër, non ſolum in proprio genere (uti patet ex animalium non caſtratorum carnibus) ſed præſertim quando uterus ipſo perfuſus, & imbutus eſt, denotat ſatis mira illa mutatio, quam ſexus fœmineus inde ſubit; quale quid etiam indicat *Regnerus de Graaf lib. de viror. org. generat. dicatis, pag. mihi* 126. ubi de fele memorat, quæ è pinguiſſimæ canis mammis per aliquot annos lac exſuxerat tam copioſum, ut inde fere nutriretur, cum canis nunquam generaſſet, nec quod magis eſt, coiviſſet. Illam enim toto tempore, quo coitum appetere animadvertebant, diligenter cuſtodiebant: nihilominus tandem aliquando canis aliquis domum intrans cum illa coïvit, & ab illo tempore felis nunquam lac, ut ante, è mammis ob mutationem haud dubie, quam ſeminalis aura in canis corpore effecerat, ſugere voluit.

OBSERVATIO XX.

Fila pilæ in modum ipſo in ventriculo conglobata.

QUemadmodum in quorundam animalium ventriculis globi nonnunquam piloſi fuere reperti, qui viventibus graviſſimi fuerant, & de quibus ruſti-

ruſtici perverſum vulgo ferunt judicium exiſtimantes armenta fuiſſe faſcinata, cum tamen phænomenon illud à naturali dependeat cauſa: ita etiam contingere poteſt, ut homines peregrino quodam appetitu concitati quædam nonnunquam deglutiant, quæ digeri in ventriculo nequeunt, ideoque ibidem permanentia efficiunt, (niſi mature tollantur) ut poſt magnos, diuturnoſque dolores illi miſere intereant.

Memini me ante quadriennium ſimile quid animadvertiſſe in filia Theologi cujuſdam Hagienſis octo annos nata, quæ, cum recepto puellis more crepundiis luderet, ſæpius linea quædam fila perverſo forſan quodam appetitu ducta, vel etiam incautior deglutiverat, quæ cum digeri, ac conſumi nequirent, ſenſim ita invicem convolvebantur, pituitaque in globum uniebantur, ut non levem produxerint angorem. Tandem tamen violentiore vomitu ejecta ſunt magnitudine juglandem excedentia.

IN OBSERVATIONEM XX.

NOtum eſt in diverſorum quadrupedum, ut boum, vaccarum, vitulorum, equorum, arietum, caprarum, cervorum, ſuum, &c. ventriculis globos piloſos diverſæ magnitudinis, figuræ, & indolis nonnunquam reperiri, unde illa ſpiritum difficulter admodum trahunt, magnoque angore emaciata tandem extinguuntur.

Memorat Clariſſ. *Steph. Blanckardus tom.* 1. *collect. med. phyſ. ann.* 1680. *cap.* 97. de bove quodam *Weſopiæ* mactato, cujus in omaſo varii globi reperti fuerint magnitudine, & duritie ſolitarum pilarum luſoriarum. Illi autem ſuturis carentes intus pilis pleni conſpiciebantur, exterior vero cortex inſtar corii vituli marini erat, hi autem, ut idem teſtatur, in hunc uſque diem in curia Weſopienſi à curioſis conſpiciendi aſſervantur. Conferantur *ejuſdem collect. med. phyſ. cent.* 5. *obſ.* 64. *fol.* 66.

De ſimili globo, ſive pila vitulina mole ſua facile caput infantis recens nati, ac pondere uncias quatuor cum duabus dragmis æquante, vide *Henr. Vollgnad. Ephem. Germ. decur.* 1. *an.* 2. *obſ.* 110. *fol.* 398.

De globis iſtis piloſis è juvencis extractis jam olim ſcripſit *Plinius lib.* 11. *cap.* 37. *fol.* 232. ubi eos inſtar pilæ rotundos eſſe, corticemque habere nigrum, nec non magnum mulieribus tempo-

re

re partus difficilioris remedium ſuppeditare ſcribit.

Thom. Barthol. cent. 2. *hiſt.* 21. *pag.* 188. ſe habere ait globulos crinitos aliquot juglandis magnitudine, teſtâ durâ, glabrâ, & nigrâ, quales 50. numero in ventriculo vervecis in Iſlandia à mercatore repertos memorat.

Refert *Ol. Vormius Muſæi cap.* 8. *fol. mihi* 60. hujuſmodi pilos in Norwegia ex ovium ventriculis eductos.

Similes etiam globos in cervis reperiri confirmat *Georg. Wolfg. Wedelius Ephem. Germ. decur.* 1. *ann.* 9. *obſ.* 169. *fol.* 374. & *decur* 2. *ann.* 1. *obſ.* 159. *fol.* 384.

Retulit mihi Feliciſſ. Med. Doctor *W. Liebergius* ſe non diſſimilem globum è Sue exſciſſum vidiſſe.

Th. Kerckringius, obſ. 84. *p. mihi* 164. in cane quodam inveniſſe ſe ait ventriculum, non uno loco crinibus obſeſſum, qui variis in locis ita adhæſerant parietibus, ut vix avelli, niſi ipſâ ſubſtantia læſâ, potuerint.

Hic autem notandum duco in quadrupedibus duplex dari piloſorum globorum genus, alterum, ſcilicet omnino piloſum, quod plerumque in vaccis, & vitulis tantum reperitur. Hi autem globi è minima pilorum congerie primum provenientes ſenſim vorticis in modum circumvolutis magis, magiſque accreſcunt pilis, donec tandem in apice ita artificioſè conjungantur, ut vinci hu-

mana


fig:1
tab:3
A
fig:2
B

mana ars videatur, atque induſtria. Hi autem rotundi ſunt, manuumque preſſioni non magis cedunt, quam pila luſoria, interdum quoque intus ita duri ſunt, ut ne cuneo quidem ſeparari queant, unde ſatis liquet interiores partes, corticemque exteriorem eodem modo ſeſe habere.

Monſtravit mihi *D. Franſiſc. Sevenhuſius* Hagienſis olim Senator hujuſmodi pilam e vitulo eductam magnitudinis, figuræque, qualem exhibet tab. 3. ubi litera A. totum globum piloſum, B. vero per medium diſſectum monſtrat. Ille autem duas uncias cum ſex dragmis appendebat.

Horum autem globorum cauſa eſt, quod vaccæ ſcabrâ linguæ ſuperficie prurientem cutem ſæpe lingant, dentibuſve ſcalpant, ſicque magnam pilorum quantitatem temporis proceſſu deglutiant, qui cum in ventriculis conſumi nequeant, viſcoſitate quâdam ſenſim concreſcunt, atque in unam maſſam, tandemque in globum, initio quidem exiguum, poſtea vero, accedente in dies pilorum copiâ, majorem rediguntur.

Wierus de maleficio affectis lib. 4. & 12. fol. mihi 318. de his ita ſcribit.

Vituli, inquit, *adhuc lacte viventes materno, ſi quando alimonia deſtituti, vel alioqui petulca ætate inſolentes ad parentem, vel aliam accurrunt vaccam, ejus ſuras, vel quemcunque ore contigerint locum hirtum, maxime poſteriorum coxarum, tam exugunt avide, ut etiam depilem reddant, pilique valido, crebroque ſuctu in ven-*

ventriculum attracti. & frequenti motu, ſuctuque laſcivo paulatim conglomerati, plerumque lacte, vel chylo, aut pituitoſo ſucco lento obvolvuntur: qui temporis ſucceſſu tenacior redditus membranæ induit faciem: quemadmodum ſubſtantiâ limoſâ albidâ ſtatim à ſectione, viſa eſt primum obducta hæc pilarum pellicula. Quæ deinde exſiccata pedetentim corio tincto etiam nigritie aſſimilabatur, quâ unâ in parte cultro nonnihil exciſâ ejuſmodi uniformes pili molles (quales in illis pecorum locis inveniri cernimus) admodum compacti apparuerunt. Unde animalia illa, quoniam hi pili facultati non obediunt, paulatim langueſcunt, & niſi tempeſtive mactentur, tandem moriuntur.

Teſtatur & idem hoſce globos quandoque in inteſtinis vitulorum reperiri, quemadmodum ipſe fuit expertus. De his etiam vide ſis *Comment. Joh. Fabri Lincei in hiſt. animal. nec non Nard. Anthon. Recchum fol.* 624.

Secundum genus eorundem globorum è filis, intertextis hic illic herbarum, plantarumque quibuſdam fibrillis conſtat, qui plerumque in Rupicapris victum in Alpinis montibus, alibique quæritantibus reperiuntur. Quamvis nonnunquam in aliis inveniantur animalibus; interdum & in cervis, ut ſupra dictum. De hujusmodi globo è pilis, filiſque conflato peculiarem conſcripſit tractatum *H. Velſchius titulo Ægagropili.*

Poſterioris hujus generis delineatio videri poteſt

teſt *Ephem. German. decur.* 2. *an.* 1. *obſ.* 159. *fol.* 383. ubi duo proponuntur oblongi rotundi, quorum alter paulo plus, paulo minus alter duas dragmas pendebat, nigricabat autem uterque.

Globi autem illi haud dubie eodem modo in vitulis, quo in vaccis producuntur, qui jam ex noſtris Wierique verbis patet.

Cauſam vero, quod plantarum fibrillæ, quæ pilis non omnino ſunt diſſimiles, in capris, cerviſque cum pilis miſceantur, iiſque multos per cincinnos involvantur, ſic tradit *Celeberrimus Wedelius*: quia ſcilicet Capræ in aridis, montaniſque degunt locis, unde fiat, ut materiam, è qua pili proveniunt, parum diluat humoris, dum interea à glandulofis ventriculi papillis ſerum effluit coagulans, quod ſenſim cruſtam producit, quæ quo diutius in ventriculo permanet eo durior evadit. Quapropter etiam piloſi globi è vitulis, vel aliis junioribus animalibus exemti externâ, multoque magis nigricante carent cruſtâ, qualis quidem ſemper adultiorum animalium pilos veſtit.

Atque hæc quidem de piloſis brutorum globis ſufficiant. Similes autem in hominibus fuiſſe repertos nuſpiam me legiſſe, nec audiviſſe memini: ſi tamen exceperis *collect. med. phyſ. Steph. Blankardii centur. cap.* 22. *fol.* 30. ubi magni globi piloſi è ventriculo nautæ cujuſdam Hafniæ exſciſſi meminit; cujus pili vaccinis ſimiles admodum, nec non pileorum maxime piloſorum more valde

impliciti erant: hujus tamen globi cauſa ibidem non profertur, niſi forſan, quod ſuos comediſſet pilos, uti de alio quodam, iiſdem *collect. med. phyſ. centur. 6. obſ. 92. fol.* 193. *Joh. à Deuren* teſtatur.

Inſtitutum noſtrum non eſt hîc loci de nexibus iſtis piloſis, quos quidam cum aliis rebus minus conſuetis, v. g. clavis, aciculis, vitro, &c. evomuerunt, agere. Iſthæc enim â cauſis naturalibus proficiſci non exiſtimo, nimiſque hic forem prolixus, ſi vel quædam eo pertinentia, quo decet modo, attingerem.

OBSERVATIO XXI.

Maxilla Paſſeris (piſcis) deglutita.

REperias equidem, nonnullos adeo gulosos, ac tam incaute quævis in avidum ingerentes ventriculum, ut vix alimenta dentibus comminuant, linquaque circumvolutent. Inter hoſce nobis exemplo erit *Cornelius Henrici*, quem, cum anno 1683, menſe Febr. à Medico *Joh. Weiningo*, Chirurgoque *Guilhelmo Bourgognie* hic Hagæ advocarer, intellexi An. 1684. circa finem menſis May Pentecoſtes feſto, nundi-

na-

narum tempore, Scheveringæ paſſeres comedentem ſenſiſſe os quoddam œſophago inhærens, quod tamen poſt ingentem angorem in ventriculum deſcendit, nec niſi prope finem Decembris an. 1684. ſeſe in inteſtino recto, poſt ſeptem videlicet menſium moras, manifeſtavit. Intra quod tempus nullos ſe paſſeres comediſſe retulit ille. Eo igitur loci poſt acutum, immenſumque dolorem abſceſſus quidam ortus fuit, quo diſrupto puris quædam ex inteſtino recto prodiit quantitas, nec ita diu poſt alius etiam ad ani latus animadverſus eſt tumor, quo per Chirurgum aperto paſſeris maxilla una cum pure extracta eſt, magnitudinis & figuræ, qualem videre dat tab. 1. Fig. 3. litera D. Poſtea vero latius proſerpſit hoc ulcus, novuſque conſpectus fuit in perinæo abſceſſus, quo aperto multum puris diu effluxit. Ille autem, præterlapſis aliquot menſibus, convaluit.

IN OBSERVATIONEM XXI.

CОntingit interdum, ut corpora quædam dura, præſertim tamen anguloſa, & acuta, diu in inteſtinis hæreant, cujus rei exemplum dedi *obſ.* 64. *tom.* 1. *fol.* 273. Tradit inſuper *Zodiacus med. Gall. an.* 2. *fol.* 88. quomodo puellus 10. annorum intra 12. vel 14. dies ultra 50. aciculas per anum ejecerit, quas ante quatuor, vel quinque annos incautus deglutiverat.

In Obſervationis noſtræ confirmationem, deglutitarum maxillarum paſſerum, non tamen ita diu inteſtinis inhærentium, quædam proferam exempla.

De maxilla quadam paſſeris, ſed noſtrâ majore, inter comedendum deglutitâ, poſtque octiduum (non tamen abſque præviis continuis, vehementibuſque doloribus) ex infimâ inteſtini recti parte digitis extractâ, quæ non tranſverſim tantum ibidem hærebat, ſed & firmiter admodum tunicæ laterali illius inteſtini erat infixa, exemplum affert Expertiſſ. ille ſuo tempore Chirurg. *Jobus Mekeranus cap.* 32. *pag.* 199.

Similis etiam deglutitæ mandibulæ jam olim mentionem fecit *Arnold. Tholinx*, quam ſemet ipſum ex inteſtino recto, ſupra rugas videlicet exorto ulcere, prominentem, acutamque vidiſſe ait, quam Chirurgus forcipe per medium inciſam, volſellâque apprehenſam fruſtulatim extraxit,

traxit, poſteaque ulcus, nullo ſuperſtite incommodo, ad cicatricem perduxit. *R. Bernhardus* Chirurgus quondam Amſtelodamenſis ſimile quoddam, teſte *Mekerano fol.* 203. maxillæ deglutitæ vidit exemplum, ipſeque etiam ægro opem tulit. Illud os autem poſt infandos dolores poſterius e lumbis, ſuppuratione factâ, prodiit.

Non inconſultum duxi etiam rarum quendam addere caſum, quem mihi nuper retulit Expertiſſ, noſter Medicus, & Anatomicus *Anth. Nuck* de ſubitaneâ quadam fruſtuli oſſei deglutitione, nec non ejuſdem rara exoneratione:

Nono ſcilicet Januarii An. hujus 1686. cum haſce obſervationes belgico ederem ſermone, contigit, ut *Joh. de la Coſte* annorum 32. miles hic Hagæ domum aliquando veniret eſuriens admodum, ſubitoque juſculum quoddam, in quo fruſtum aliquod oſſeum latitabat, ſumeret, quod nimiâ feſtinatione cum juſculo in Oeſophagum irruit, ubi propter notabilem magnitudinem ſiſtebatur. Perturbatus autem ille digitum gulæ immiſit eâ cum ſpe, ut vomitu os ejiceret, verum necquicquam tentavit. Quapropter multum hauſit olei, cum ut os evomeret, tum ut vias redderet glabras, ſed & hæc incaſſum fiebant: quin etiam os propter Oeſophagi ex oleo glabritiem deſcendebat inſuper latitudine trium digitorum transverſorum, unde laborans, multum intumeſcente facie, (ſiquidem os non tantum

majuſculum, ſed & anguloſum eſſet, acutumque) maximo correptus fuit angore, atque dolore, ita ut Chirurgi opem implorare cogeretur, ſed nihil hic adferre poterat auxilii, deficientibus, ad os extrahendum inſtrumentis.

Cum ille itaque uſque adeo anxius per integram ferme permanſiſſet horam, nec, niſi certam, ac ſubitaneam, modo ſuffocationis, expectaret mortem, ipſemet tandem Chirurgo interim aliis inſtrumentis efformandis occupato, filum quoddam ferreum, quali noſtrates focum circumferunt ſuppedaneum, diffregit, atque ita curvavit, ut concurrerent extremitates in medio ſui curvæ, flexæque, ſuperiore in parte rotundo quodam, oblongoque remanente foramine, ita ut commode inſtrumentum illud in Oeſophagum profundius immitti, atque hærens os arripere poſſet. Poſtquam itaque quater, quinquieſve fruſtrà tentaſſet, tandem oſſis extremitatem ita arripuit, atque obvolvit, ut Chirurgus, niſi nimis fuiſſet meticuloſus, illud apte extrahere potuiſſet. Æger itaque ſummis in anguſtiis manus admovit operi, fruſtumque oſſeum, poſtquam ibidem per quinque horæ quadrantes latuiſſet, feliciter, non tamen abſque laceratione quadam, vomituque liquoris bilioſi, nec ſine quantitate ſanguinis erumpentis, tanta cum violentia extraxit, ut maximo impetu in terram projecerit. Tunc autem quivis oſſis magnitudinem, inæqualitatemque admirabatur. Illud

lud etiam pendebat circumcirca ſeſquidragmam, alteriuſque extremitatis craſſities duorum ſtraminum, alterius autem unius latitudinem æquabat.

Idem miles non ita diu poſt domi meæ fuit, fruſtumque illud cum filo ferreo mihi monſtravit, portio oſſis omoplatæ videbaturque nobis eſſe, ejus autem figuræ erat, quam vides tab. 14. fig. 3. ad obſervat. XLIV.

OBSERVATIO XXII.

Araneæ comeſæ.

NOvum quid, aut mirandum adeo non eſt, ſi prægnantibus mulieribus inſoliti quandoque oriantur appetitus: mares autem, nec non fæminas non imprægnatas, pueroſque horrenda, inutiliaque, ac venenata appetere, iiſque abſque ſanitatis detrimento uti poſſe, jure merito quivis miretur. Eſt enim hæc ſingularis quædam proprietas, cujus non adeo manifeſta eſt cauſa.

Celeberrimus *D. Joh. Ludov. Hannemannus* in illuſtri Chilonenſi Academia Profeſſor literis an. 1683. Baronem quendam in Friſia orientali araneas quam

avidiſſime comediſſe, nec uxorem unquam imprægnaſſe mihi ſignificavit. Retulit & idem puerum quendam Rigæ in Livonia araneas, muſcas, ſimiliaque inſecta ſine ullo ſanitatis detrimento, niſi quod facie eſſet pallidâ ediſſe, quod à Livonico ſibi memoratum ſtudioſo teſtabatur.

IN OBSERVATIONEM XXII.

VIderunt eruditorum quamplurimi, audiveruntque rariora hominum exempla, qui ab ipſa juventute ſeſe quorumvis ſordidiorum eſui, & quidem tanto cum appetitu, ac ſapore, ut poſtea iiſdem ſe abſtinere non potuerint, aſſuefecerant.

S: *Scholzius Miſcell*: *med*: *phyſ*: *curioſ. an*: 2. *obſ*: 10. *fol*: 29, ſe juvenem quendam Scotum Lugduni Batavotum noviſſe ait, qui paſſim in ædium angulis araneas conquirebat, ſibique ſuaviſſimum cibum eſſe affirmabat, quique tamen, utut palleſcente, nec non circa oculos parum intumeſcente facie, ſatis bene ſe habebat.

Vidit *Offredus*, teſte *Joh*: *Rhodio centur*: *med*. 3. *obſ*: 91. *fol*: 20, Aureliæ Mendicum quendam, qui araneas, fædioraque animalcula, illæſa valetudine vorabat. Tradit & *Rhodius* ibidem

dem ſe etiamnum adoleſcentem Patavii vidiſſe quendam fatuum, qui citra noxam Scorpios, araneaſque ingurgitaverit, ſed tamen peſtilentia paſſim per Italiam graſſante Anno 1631. fuerit ſublatus.

Hujus etiam rei meminit *Gaſpar Reyes à Franco quæſt. 63. fol. mihi* 484. Idem quoque de puella trimula memorat *H. Cardanus. D. Sennertus lib. 6. part. 5. cap.* 1. ſe civem quendam hujuſmodi inſecta abſque noxa, & cum delectamento aſſumentem vidiſſe ſcribit.

Adducit expertiſſ. *Steph. Blankardus collect. med. phyſ. centur. 5. obſ.43. fol.* 52. exemplum, quoddam ex epiſt: *Joh. à Deuren*, de viro quodam conſpicuo, qui maximas, quas acquirere poterat, araneas, minime infracta valetudine, comederit. Idem quoque *cent.* 1. *obſ.* 50. *fol.* 46. Chirurgum quendam Leovardiæ, ſe preſente, in horto quodam erucas cum ſale, ac pipere abſque ullo incommodo ediſſe affirmat.

Memorantur & virgines quædam liventes facie, peregriniſque ductæ appetitibus non araneas tantum, ſed & alia inſecta, conſtante ſanitate, comediſſe. Perhibet *Albert: Magnus lib. 7. de animal. tr. 2. cap. 5.* ſe puellam quandam Coloniæ Agrippinæ vidiſſe, quæ tanta ducta fuerit voluptate araneas comedendi, ut muros quidem aſcenderit ad iſtas captandas, vid: etiam *Lud. Cæl. Rhodiginum lib.* 11. *cap.* 13. *fol. mihi* 409.

Meminit & *P. Borellus hiſt., & obſ. rar.*

med. phyſ. centur. 3. *obſ.* 19. *fol.* 212. nobilis cujuſdem Matronæ Anglicæ, quæ inter alia etiam araneas valde deſiderabat. *Confer. Mouffet. lib.* 2. *cap.* 15. *fol.* 237.

Virginis cujuſdam mentionem facit *Ariſtoteles*, quæ initio ita aranearum, aliarumque rerum venenatarum ſeſe aſſueverate ſui, ut fortiſſima tandem toleraret venena haud aliter, quam ſanus quiſpiam ſolitis veſcitur alimentis. Verum enimvero ipſa inde uſque adeo evaſit venenata, ut ſola ſaliva, aliove corporis liquore appropinquantes mox interimere poſſet. Forſan hæc eadem fuit, quam *Plutarchus*, aliique inter alia rariora ad *Alexandrum Magnum* à Rege quodam Indo tranſmiſſam, donoque datam tradunt eum præſertim in finem, ut Macedo amore captus cum illa decumberet, ſicque certo interiret: verum *Ariſtoteles* ſuſpicione motus Regi conſuluit, ut primo aulicum quendam ei adjungeret: quod ita contigit. Quamprimum enim ipſam impudicè attigiſſet, veneno infectus interiit.

Huc referendum exemplum eſt, quod *D. Simon Vireſius ſecundâ magni Theatri Hiſt. parte pag. mihi* 98. *ex Sligtenhorſtii additamentis Pontani Hiſtor. Gelriæ lib.* 7. *n.* 23. *fol.* 136. habet.

Vixit ſcilicet olim Italus, cujus fama, propter rara, quæ calluit, artificia, per totum erat diffuſa orbem, quique etiam nonnullis Dei Propheta, aliis Antichriſtus habebatur. Hic virtu-

tes

tes herbarum noſcere, atque experiri avidus ſemper fuerat quam maxime. Unde à prima uſque infantia ita venenatarum herbarum ſe aſſuefecerat eſui, ut iis tanquam alimento, uteretur. Ejus autem halitus tantam quidem afferre poterat aliis noxam, quantam iſta, de qua retuli, attactu fæmina. Quotquot enim ei appropinquabant, vel animo linquebantur, vel humi procumbebant exanimes; Adeoque qui, ut eum caperent, accedebant, mutatâ, capiebantur, ſorte. Illud autem diutius fuit continuatum, donec à quibuſdam, quibus antidotorum clypeo probe munitis hoc datum erat negotii, tandem captus, ac in carcere ſtrangulatus ſit.

Tantum diuturnior valet uſus etiam in malis, & non naturalibus rebus. Sic *Auguſtinus lib.* 2. *de moribus Manichæorum* memorat illuſtrem quandam mulierem Athenienſem venenis ita ſe adſueviſſe, ut ob delictum quoddam capite damnata venenis, quibus necanda eſſet, extingui non potuerit.

Scribit *Galenus lib.* 3. *ſimpl. medic. cap.* 18. vetulam Athenienſem Napelli herbæ primò parum, mox plus aſſumere dicidiſſe, donec nihil inde detrimenti timuerit.

Mithridatis Ponti Regis (à quo antidotum noſtrum Mithridatium nomen accepit, centum quidem ante Chriſti ortum annos) ſatis innotuit hiſtoria. Ipſe enim antidotis munitus primò parvam, deinde majorem veneni quantitatem aſſu-

aſſumere conſueverat, ut poſtea venenis cum alimentis mixtis interimi non poſſet; imo cum à Pompejo victus, ne in Triumpho circumduceretur, metueret, veneni portione duplici necquicquam mortem accelerare geſtiit, poſtea tamen à Tribuno *Bititio* precibus exorato, teſte *App: Alexandrino cap.* 15. *lib.* 4. *de bellis Regis Mithridatis*, gladio perfoſſus eſt. *Aulus* tamen *Gellius lib.* 17. *cap.* 16. *fol.* 544. illam ob cauſam eum ſibi violentas intuliſſe manus tradit.

In hunc Regem ita cecinit *Martialis lib.* 5. *Epigram.* 78.

Profecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

OBSERVATIO XXIII.

Nimius raparum eſus funeſtus.

APpetitus, de quo jam acturi ſumus, honeſtior multo eſt, quam ille, cujus modo facta mentio. Neminem tamen fugit vel optimum nimia ſumptum copia tandem nocere alimentum. Retulit mihi ante annos aliquot expertus Chirurgus *Aime de Foix* ſe cohortis equitum Ducem) quem ob ſingularem

larem raparum appetitum *Raparium* dicebant familiares) vulneratum gladio, qui ipſum diaphragma, ac pericardium ad cordis uſque conum penetraverat, percuraſſe. Hic autem, valetudine reſtaurata, à rapis neutiquam abſtinere potuit, ac, biennio fere poſt acceptum vulnus elapſo, tantam raparum comedit copiam, ut nullos omnino emitere flatus, nec alvum deponere poſſet: Unde (quemadmodum poſt apparuit) tandem deceſſit. Aperto à Chirurgo *de Foix* cadavere, in corde, ubi vulnus fuefuerat inflictum, callus quidam longitudine primi articuli digiti minimi, qui cum pericardio coaluerat, quod tamen nonnnihil lymphæ continebat, repertus eſt.

Obſervavit præterea (quod notatu dignum) Chirurgus portionem quandam tenuium inteſtinorum duplicatim per foramen diaphragmatis gladio factum tranſiiſſe, ibidemque fibrillis quibuſdam coaluiſſe, ita ut chylus, fæceſque abdominis tenuiores poſt acceptum vulnus per thoracem iter fecerint.

Tale

Tale quid memorat *Joh. Muſius Prax. Chirurg. ration. dec. 5. obſ. 2. fol.* 263. de quodam, cujus ventriculus per diaphragma gladio læſum tranſierit. Nec non de alio, cui colon poſt acceptum vulnus uſque in thoracem aſcenderit. Uterque tamen diu poſtea ſuperfuere.

IN OBSERVATIONEM XXIII.

QUamvis rapæ coctæ, beneque præparatæ alimentum concoctu facile præſtent, nec non corpori humano modice aſſumptæ utiles ſint admodum, hominibus tamen (uti quævis flatus concitantia, crudaque) nimiâ quantitate comeſæ, quod flatulentæ ſint, multum nocere valent, præſertim ſi crudæ ſumantur.

Quemadmodum autem, de quo egi, Equitum Dux maxime fuit raparum appetens, ſic etiam eaſdem quammaxime deſideraſſe dicitur *Romulus* urbis conditor, utpote quem nonnulli in cœlo etiam rapas comedere ſcribunt, teſte *L. A. Seneca Apocolocyntheſi*, nec non *Martiale lib.* 13. *epigram.* 16. quod hujuſmodi eſt:

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa,
Quæ damus, in cœlo Romulus eſſe ſolet.

Fidem faciunt Annales Romanum Ducem *Ma-*

Manium Curium rapás vehementer cupiiſſe; dona enim, quæ Legati Samnitici aliquando ipſi rapas ad focum torrenti offerebant, recuſavit ſibi minime auro opus eſſe, quamdiu hujuſmodi edulia palato placerent, dictitans.

Certum autem eſt flatus, præſertim craſſos, non in ventriculo tantum, & inteſtinis, ſed & in omnibus corporis cavitatibus, imo in quavis fere parte (uti loquitur *Galenus* 2. *de art. cur. ad Glauc. cap.* 6. *&* 14. *meth. med. cap.* 70.) diſtenſione, & expanſione magnos producere dolores.

Anthon. Benivenius de abdit. morb. cauſis, cap. 81. *fol. mihi* 294. vidiſſe ſe teſtatur Ludovicum Nicolinum generoſi equitis Othonis filium, ſolo vento viſcera, & ſtomachum impetente, adeo in Monoculo afflictum fuiſſe, ut, dum pars parte premeretur, exitu hinc inde negato, non ſolum viſcera, & pectus, ſed ſcapulæ etiam incredibili extenderentur dolore, & ſpiritus magna, ac miſerabilis fieret anguſtia, ita ut tertio die, nihil conferentibus auxiliis, è vita migraverit. Inciſo autem cadavere, viſcera omnia vento plena conſpecta ſunt, inventuſque in ſiniſtro cordis ventriculo fuit callus obduratus, qui nucis magnitudinem æquabat. Quare, ut illum, hoc eſt, ventum, inquit idem, mortis ipſius, ita hunc, ſcilicet callum, adverſæ hominis valetudinis cauſam fuiſſe arbitrati ſumus,

Rembertus Dodonæus obſ. med. cap. 38. *fol. mihi*

hi 96. refert de quodam Monacho, cui, poſtquam longo tempore, imo aliquot annis circa umbilicum torſiones cum ſonitu, ac ſtrepitu admodum moleſtas ſenſiſſet, quæ nullis remediis ſuperari unquam potuerant, venter ſubito admodum intumuerit, enematibus, & potionibus nihil proficientibus, nullâque ſuccedente alvi expurgatione. Unde magnis doloribus confectus tandem vitam cum morte commutaverit.

Simile exemplum ibidem refert de coriario quodam, cujus venter ſubito inſtar tympani diſtendebatur, ſonumque edebat pulſatus. Mingendi etiam, & dejiciendi potentia huic preſſione adeo minuebatur, ut nullâ ſanabile arte malum eſſet.

Idem cap. 29. *fol. mihi* 193. virum quendam ſe noviſſe teſtatur, quem dolor in pleniore inteſtino exortus adeo cruciaret, ut, nullo ſpiritu erumpente, medium hominem disjectum iri putaſſes: cumque fruſtra multa adhiberentur, & non tantum clyſteria in alvum demiſſa non immutata prorſus ejicerentur, ſed & medicamenta tam nihil ex ipſa alvo deponerent, ut iter hinc inde clauſum crediſſet. Tandem cucurbitulâ umbilico affixâ (ſolet enim hujuſmodi malum tali præſidio nonnunquam minui, & levari) ſoluta eſt umbilici ipſius unitas, indeque ſpiritus craſſior erumpens cucurbitulam ipſam diſiecit, & hominem, omni amoto dolore, priſtinæ ſanitati reſtituit. Talis umbilici ruptio nonnunquam con-

contingit in Aſcite, dum venter amplius diſtendi nequit. Liquor enim internus exitum quærens umbilicum diſrumpit, exomphalique cauſa eſt, cujus aliquot exempla extant apud *Schenkium fol. mihi* 483. *&c.*

Simon Schulzius miſcell. med. phyſ. decur. 1. *an* 3. *fol.* 272 cujuſdam plures, quam ſeptuaginta, annos habentis mentionem facit, qui, dum cuidam nonnulla aromata venderet, flatus alvinos cum fæcibus diu retinuit, è qua retentione in conſtipationem alvi incidit, quam colici dolores exquiſitiſſimi conſecuti ſunt, quorum neque hi vel anodynis, vel carminativis, tam interne, quam externè adhibitis ſedari, neque illa purgantibus aliquoties diverſâ formâ aſſumptis, enematibuſve fortiſſimis ſolvi potuerunt, donec tandem potiuncula amara, & conſtipationem, & dolores unà ſuſtulit, quæ talis fuit:

℞. *Pulpæ Colocynth. in petia ligati* ℈ ij. *ß.*
Flor. chamæm.
Centaurii minor.
Veronicæ ā *pug.* j.
Cap. Papav. No. j.
Cinnam. el. ʒ j. *ß.*
Sem. aniſi. ʒ *ß.*
Decoct. in ſ. q. aq. chamæm.
colat. ℥ ij. *ß. admiſce*
Ol. amygd. dulc. rec. expr. ℥ j.
Mannæ Calabr. ℥ *ß.*
Miſce fiat potio.

Ioh. Fernelius pathol. lib. 6. cap. 10. fol. mihi 159. *Cohibendi*, inquit, *flatus conſuetudine non paucos diſſectione animadvertimus, quibus dilatatum colon inteſtinum brachii amplitudinem adæquabat.*

Liquet etiam ex hac obſervatione, omnia cordis vulnera non omnino eſſe letalia, quamvis veterum plurimi, ut *Hippocrates ſect. 6. aph.* 18. *Galenus in comm. ad eundem*, & *lib. 5. de loc. affect. cap.* 1. *Avicenna lib.* 4. *canon. fen.* 4, *tract. cap.* 2. *Ariſtoteles* 3 *part. animal. cap.* 4. *Celſus lib.* 5. *cap.* 26. nec non recentiorum multi contrarium tam de hominibus, quam brutis ſentiant. Revera ſe teſtari poſſe ſcribit, *Ioh. Muſius prax. chir. rat. dec.* 5. *obſ.* 2. *fol.* 263. Judæum Arnhemienſem, ipſâ cordis ſubſtantia vulneratâ, nihilominus per ſex dies quotidie bis de die pedibus ſe ad ædes ſuas, ut vulnus obligaretur, antequam moreretur, contuliſſe.

Hæc tamen vulnerum cordis eſt differentia. Vulnere nempe ventriculos, præſertim autem ſiniſtrum non penetrante, laborans ſive homo, ſive brutum, læſo corde, non tantum per aliquot dies ſupereſſe, ſed & percurari poterit.

Non tamen deſunt exempla eorum, qui, corde vulnerato, aliquot ſupervixerint dies.

Nic. Tulpius obſ. med. lib. 2. *cap.* 18. *fol. mihi* 132. refert *Nic. Mullerum* virum ſibi notiſſimum, fideque dignum, vidiſſe cum plagâ ventriculi dextri, vitam cuidam prorogari ſine internecione

ultra diem quintum decimum. Quod tamen miraculo, quam vero propius videretur, niſi viri integerrimi auctoritatem confirmaret teſtimonium publicum, inſertum operibus chirurgicis *Dan. Sennerti lib. 5. part. 4. cap. 111.*

H. ab Heers obſ. med. lib. 1. cap. 11. fol. 115. exemplum habet cujuſdam, qui, corde medio quatuor glandibus perfoſſo, ſuperſtes ad quintum decimum uſque diem fuerit.

De milite quodam poſt vulnus in cordis ventriculo per novem dies vivente, memorat *Ioh. Rhod. obſ. med. cent. 2. c. 39. f. 871.* nec non *Thom. Bartholin. centur. 1. hiſt. 77. fol. 115.* de quodam, qui per quinque poſt inflictum vulnus dies vixerit.

OBSERVATIO XXIV.

Glandula per alvum ejecta.

QUemadmodum mortalium nemo, etiamſi vel accuratiſſime optimas obſervet diætæ leges, vivit, quin aliquando hoc, vel illo corripiatur morbo, aut ſymptomate; ita nec ipſi malorum immunes ſunt Medici, à quibus, utpote hominibus, humani nihil alienum putandum eſt.

Contigit mihi, cum non ita diu manus aliis admoviſſem medicas, ut poſt

continuos aliquot dierum dolores, ventriſque tormina non ſine animi deliquiis lene quoddam aſſumpſerim purgans,quo, alvo aliquoties dejectâ, tandem & glandulam quandam excluſi Nucis Moſchatæ minoris magnitudine, a quo tempore tormina, & dolores evanuere. Ipſe autem circa ablutam glandulam, cum accuratius perſpicerem, varia mirabundus reperi ſanguifera vaſcula; de quibus non ita promptum mihi tum temporis, & diu poſt, fuit judicium. Neque enim ſatis videbam, unde glandula, quâ ejectâ convalueram, proveniſſet, donec tandem in ipſis etiam inteſtinis reperiri glandulas animadverti.

IN OBSERVATIONEM XXIV.

GLandulas in hominum inteſtinis latere jam olim, ſed obſcurius *Hippocrates* docuit, ut patet lib. περὶ ἀδένων, ſive *de glandulis*, quamvis eum nonnulli hoc loco de meſenterii glandulis agere ſtatuant. Idem autem *ſect.* 4. *aph.* 26. Si, inquit, *à dyſenteria detento velut carunculæ ſeceſſerint, letale eſt.*

Noſtro ſeculo *Th. Williſius tract. de medicam. operat.*

operat. part. 1. *ſect.* 1. *cap.* 2. *fol.* 13. *&c.* omnium (quantum quidem ego ſciam) primus quam apertiſſime inteſtinorum glandulas demonſtravit, ubi & eaſdem in inteſtinorum tunica interiori, ſive velamine bombycino exiſtere ſcribit. De iiſdem vero glandulis *Joh. Jacob. Wepferus lib. de cicut. aquat*, præſertim *cap.* 11. poſtea etiam egit.

Tandem & peculiarem de inteſtinorum glandulis edidit tractatum *Joh. Conradus Peyerus*, quo eaſdem non in brutorum tantum, ſed & hominum inteſtinis reperiri ſtatuit, illico, ſi fruſtum quoddam inteſtini, qua in longum patet, diſſectum ad lucem detineatur, apparituras. Tradit & eaſdem extremitatibus ſuis papillularum inſtar ad velamentum bombycinum tendere, poriſque donari parvis, qui digitis preſſi viſcidum quendam emittunt humorem, quem non tantum ad inteſtinorum interiorem tunicam oblinendam, defendendamque, ſed & propter diſſolvendi vim chylificationi admodum inſervire ait.

Glandulas in inteſtinis miliares dari non ita pridem dicitur demonſtraſſe celeberrimus Regis Galliæ Anatomicus D. Vernæus, è quibus exiguam ſeri portionem è ſanguinis maſſa eò advectam ad diluendas alvi fæces ſtatuit, quæ ſi alio transferatur (ut ſputatoribus ſudatoribus, aliiſque obſervare licet) alvum adſtrictam reddi, maximam autem ſeri partem in renibus ſegregari ait.

De Harum glandularum uſu jam non diſputabo, in confirmationem noſtræ obſervationis, glandularumque inteſtinalium exiſtentiam caſus quoſdam non multum diſſimiles allaturus.

Ioh. Rudolph. Burcardus Med. Profeſſ. In Academ. Baſilienſi, referente *Peyero cap. 12. fol. mihi 94. de gland. Inteſtin*: olim Medicinam ſe feciſſe faſſus eſt puero cuidam, qui præviis alvi torminibus *carunculam ſubrubentem*, & vaſis ſanguiferis inſtructam, figura phaſeoli, & magnitudine nucis moſchatæ, per anum excreverit, ſicque integram ſanitatem recuperaverit. *Quid*, „ inquit, *Peyerus*, hæc caruncula aliud erat, „ quam ejuſmodi *glandula* ob ſerum in ea coa-„ gulatum, atque temporis tractu in carneam „ aliquam maſſam compactum, præter natura-„ li magnitudine affecta? Hæc enim mole ſua in „ cavitatem inteſtini protuberans cum viæ re-„ moram non parvam interponeret, factum, ut „ ab excrementis vi pertranſeuntibus ſenſim ve-„ lut ex arbore pomum decuteretur, à qua „ vellicatione *tormina* imprimis nata videntur. „ Tandem vero *glandula iſta* torminum pro-„ creatrice penitus avulſâ, ac excretâ puellum „ convaluiſſe idem *Burcardus* refert.

Braſſavolus comm. ad Aph. 26. lib. 4. Hipp. ſe quoſdam ſanaſſe ſcribit, quibus carunculæ, ſive fruſta carnea receſſerint. *Ephem. nat. curioſ. Germ. decur. 1. an. 2. obſ. 246. pag. 346.* mentionem faciunt obſervationis à *D. Ehrnfrid. Hagen-*

gendorn profectæ de juvene, febre epidemicè tunc graſſante, cum hæmorrhagia narium, dyſpnæa, lipothymia creberrima, &c. correpto; cui datum poſt Bezoardica laxativum ex alvo diu obſtructa *glandulas* XII. inſtar nucis myriſticæ catenatim ſibi connexas deturbavit valetudini poſtmodum integræ reſtituto.

De decem hujuſmodi glandulis parvorum avium ovorum magnitudine per alvum poſt dyſenteriam à puero quodam egeſtis vide *Joh. Jacob. Wagner. ephem. decur.* 2. *an.* 3. *fol.* 367. *obſ.* 187.

Tale quid habet *Th. Kerkringius obſ. anat.* 56. *fol.* 116. de magna quadam, & oblonga ſubſtantia glanduloſa à muliere per ſeceſſum poſt intolerabiles dolores ejecta; vide etiam *L. Schröckium ſchol. ad obſ.* 187. *decur.* 2. *an.* 3. *ephem. carioſ. pag.* 368.

Meminit *Th. Bartholinus epiſt. med. cent.* 4. *epiſt.* 86. *fol. mihi* 490. Mercatoris cujuſdam, qui poſt Icterum, variaſque febris ὑποστροφὰς in tabem fere deductus veſicas, & cyſtides ſibi invicem connexas, concatenataſque, ac humore quodam pultaceo repletas, nec non ovi columbini magnitudinem æquantes majores, minoreſque tanta per alvum excreverit copia, ut implendæ pelvi ſufficere potuiſſent, quibus excretis Ictero, febriumque ſubinde recurrentium inſultibus, ut & febre lenta, quâ ſenſim conficiebatur, liber evaſit.

Monſtravit mihi non ita pridem *D. Joh. Ægidius Euth.* Ducis Saxoniæ Archiater ſubſtantiam quandam per alvum, poſt magna ventris tormina, à muliere quinquagenaria excretam juglandis magnitudine; eaque primo intuitu mihi tanquam corpus aliquod ex innumeris glandulis conſtans apparebat, quæ omnes ab uno pedunculo uvarum in morem dependebant. Illam autem accuratius perſpectam ipſe, aliique fimbriam quandam eſſe adipoſam ſtatuimus, quales hic illic plerumque inteſtinum colon producit. Ipſa etiam pinguedinis omenti inſtar, ut & obſervat *Malpighius*, ex parvis veſiculis adipoſis componebatur: quamvis hoc corpus naturæ quodam, quem vocant, luſu, alio quodam modo intus creverit.

OBSERVATIO XXV.

Inteſtini Coli vulnus.

QUam periculoſa ſint inteſtinorum, præſertimque tenuium, vulnera, ſatis ſuperque docet *Hippocrates ſect.* 6. *Aphor.* 18. & 24.

Exemplum quoddam vulneris craſſi inteſtini vidi cum Med. Chirurgo *Cornelio Solingio Anno* 1683. die 11. Junii in

Cor-

Cornelio Joppen nauta Scheveringæ ha-habitante, cui incauto dextrum latus nundinarum tempore ibidem â protervis quibuſdam in poſteriore corporis parte immediate ſupra os coxendicis ad latus vertebrarum dorſalium vulneratum erat, cultro ad inteſtinum uſque colon penetrante, per quod vulnus indies magnam tenuis, fætentiſque admodum ſtercoris excrevit quantitatem: quod advertebamus magis, quando ipſi olus viride comedendum tradideramus; illud enim non ita diu poſt è vulnere prodibat. Primus ille diebus febricitabat: ſiquidem autem vulnus factum erat infernè ſurſum, conſultum duximus aperturam illam majorem reddere ſurſum ad finem uſque vulneris, ut ita non tantum commode cannula plumbea ad puris, fæcumque excretionem immititi poſſet, ſed & decoctum aliquod e centaur. min. cum hord. & vino, poſteaque mel roſatum cum ſpiritu vini mixtum injicipoſſet. Unde vulnus non mundabatur tantum, verum etiam quinto die ſeparatio membranarum oriebatur, & ſiquidem ad ipſius inteſtini vulnus non pertingere,

adeoque nec ſuturâ diſiunctas oras connectere poteramus, dicto modo pergendum fuit, cujus eventus adeo fuit felix, ut præter exſpectationem intra tres hebdomadas non percuratus tantum, verum etiam tunc temporis ita fuerit fortis, ut die 30. Junii ſumpto jentaculo, mane pedes Hagâ (ubi tempore curæ degebat) Scheveringam iverit. Ipſe etiam (quod mirandum) durante curatione, nautarum more, quotidie mediam fere cotylæ partem ſpiritus vini, atque amplius quandoque biberat, non ſine tabaci copiâ bene magnâ.

IN OBSERVATIONEM XXV.

QUamvis craſſorum, præſertimque tenuium inteſtinorum periculoſa admodum, curatuque difficilia ſint vulnera, ſanantur tamen quandoque. *Galenus* 4. *de loc. aff. cap.* 5. exulcerationes inteſtini coli ſanabiles eſſe tradit. Idem docet *Aretæus lib.* 2. *cap.* 6. rationemque addit; quia inteſtinum illud craſſum, carnoſumque eſt.

De vulneris cujuſdam glande tubi ferrei facti percuratione, e quo poſt dies aliquot glans per alvum excernebatur, nullo remanente in inteſti-

nis vitio, lege ſis *Franciſ. Valleriolam lib.* 4. *obſ.* 9. *fol. mihi* 290.

N. Tulpius obſ. Med. lib. 3. *cap.* 20. de vulnere latioris inteſtini agit, quod ab incautiore Chirurgo longe fuerit amplius redditum, dilatatumque, adductis etiam, qua licuit, ex abdomine inteſtinis. Quæ inconſiderata ejus temeritas tantum abfuit, ut invenerit plagæ locum, & aſſeruerit ægrum ab hernia, in quam inciderat, ut induxerit potius in inteſtinis cum dolorem intolerabilem, tum frigus propemodum inſuperabile. Reddit *Tulpius* ibidem rationem, cur inteſtini vulnerati locus adeo difficulter reperiri potuerit.

Quamvis autem coli vulnerati percuratio feliciter nonnunquam fiat, ut plurimum tamen fruſtra inſtituitur.

Annotatu dignum eſt, quod habet *Bartholom. Cabrolius obſ.* 13. *de Dom. Philip. de Montagnac.* Hic, inquit, ictus erat ſub oſſe ilii ad coſtas ſpurias lateris ſiniſtri, exibatque vulnus ad os pubis, rurſumque in femur dextri lateris ſe immittebat. Ad vulneris labia reperiebatur colon tranſverſim ſectum omnino, quare omnibus, quæ illi unquam in mentem venerunt, ſuturis uſum ſe fuiſſe ait fruſtra, labiis nimium diſtantibus; Itaque, quod neceſſe erat, fiſtulam contraxit, unde foramen illi adinſtar ani gallinacei remanſit, per quam ventris onus emittebat, eoque, quo alii per anum, ſtrepitu pedebat, per podicem autem omnino egerebat nihil, multiſque

que illi perpetuo opus erat pannis, ut invito ipſo egredientia exciperet ſtercora. Cætera ſano nihil è tanto metu mali reliquum fuit.

Plura fiſtularum inteſtinalium exempla *obſ.* 60. *tom. noſtri primi fol.* 261. adduximus.

S. Aloiſius Tudecius miſcell. med. phyſ. Germ. curioſ. an. 9. *obſ.* 121. *fol.* 293. de quodam ſtabulario memorat, qui circa tertiam lumborum vertebram è parte dextra à tergo gladio quadrangulari per initium inteſtini coli, & hypogaſtrium, verſus ilia ſiniſtra transfixus erat. Per illud hypogaſtrii vulnus excrementa exonerabantur, tandemque decimo ſexto die fatis ceſſit. Apertum deinde abdomen tetrum diffundebat odorem: fæces enim per vulnus inteſtini coli in cavitatem illapſæ inteſtina corrupta, gangrænoſaque reddiderant, vulnus autem inteſtini coli, ſive labia illius, cum labiis vulneris abdominis ita concreverant, ut cultello ad ſeparanda opus fuerit, ſique cavitas abdominis ab iſta ſentina libera, & expurgata fuiſſet primis diebus, ægrum evadere potuiſſe affirmabant Medici præſentes.

Galenus lib. 6. *meth. med. cap.* 4. Inteſtini jejuni vulnus neutiquam ſanari poſſe ſtatuit, tam propter magna copioſaque vaſa, quam quia tunica ejus tenuis eſt, & nervoſa; unde contingit, ut copioſam, puramque recipiat bilem. Tradit quoque *Corn. Celſus lib.* 5. *cap.* 26. *fol mihi* 485. & *cap.* 16. *lib.* 17. *fol, mihi* 651. neminem in vivis retineri poſſe, cui inteſtinum jejunum, vel aliud

quod-

quoddam tenue, fuerit læſum. Idem etiam teſtatur *Hippocrates Coac. prænot. tit.* 503. & *ſect.* 6 *aph.* 18. & 24. Ubi, *ſi*, inquit *ex inteſtinis tenuibus aliquod diſſectum fuerit, non coaleſcit.*

Hæc autem ita intelligenda ſunt, ut ita plerumque fieri credamus. Apellat quippe *Hippocrates* vulnus letale, quod utplurimum tale eſt. Illud ipſum etiam ſatis indicavimus *obſ.* 1. *hujus tomi.* Poſtquam enim ille *lib. adſcripto* §. 509. mortem pluribus caſibus prædixit, quibus plaga per tranſverſum fuerat facta, & magna; mox ſubjungit: *Si vero parva, rectaque fuerit plaga, quidam evadunt.*

Vulnera autem, ulceraque inteſtinorum tenuium nonnunquam ſanabilia eſſe *Albucaſis cap:* 8. *Aretæus lib.* 1. *cap.* 9. *Fernelius lib:* 6. *de morb: part: & ſymptom: cap:* 14. *Marcellus Donatus lib:* 5. *cap:* 4. *fol: mihi* 576. teſtantur.

De ilei vulnere, quod fibulâ, ſive ſuturâ cuti annectebatur, eoque modo ſanabatur, vide *Miſcell: med: phyſ: German: curioſ: Decur:* 1: *an:* 3: *obſ:* 176: *fol:* 347: ut & annotat: *Udalr: Rumleri obſ:* 39: *fol:* 23: *Caſp:* etiam *Bauhinus parerg: poſt Rouſſetum fol:* 272. de vulnere tenuis inteſtini agit, quod conſutum coaleſcere nequivit: Nihil enim fœcum omnino per anum rejecit læſus, ſed per ipſum inteſtini vulnus, quod circa umbilici latus ſiniſtrum remanſit: dolorem nullum perferebat, nec, quando excrementa effluxura eſſent, perſentiebat: clyſmata ad alvum

ſollicitandam aliquoties fuere injecta, nunquam tamen, licet larga manu decoctum fuiſſet adminiſtratum, ad vulnus pervenit, ſed quævis, ut injecta, fuere rejecta.

Ante omnia autem miranda eſt curatio illius, cujus meminit *N: Blegny Zod: Med: Gall: an:* 2: *obſ:* 4: *fol:* 123: Hujus inteſtinum acinace tranſverſim, & omnino diſſectum fuit, non procul à loco, ubi deſinit Ileon, adeo ut extremitas ejus diſſecta extra vulnus, ad longitudinem ſextæ partis ulnæ efferretur, quæ paulatim ambienti aeri aſſuefacta recti inteſtini munere fungebatur, & membrana exterior portionis ilei egreſſæ abdomen ſenſim ad interiora contraxit, adeo tamen, ut circumferentia extremitatis illius, cum attigiſſet vulneris circumferentiam, a natura ſenſim fuerit conjuncta, & conglutinata mediâ ſuturâ quadam naturali, ac membrana interior exteriori parti adhæſerit, eâdem ſervatâ longitudine, eâque ratione deinceps opem tulerit excrementorum expulſioni. Craſſorum autem inteſtinorum poſt excuſſam ſarcinam ea ſecuta eſt ſubſidentia, ut æger ne minimam quidem enematis partem admittere valuerit, ſemeſtri ab accepto vulnere ſpatio nunquam ad flatuum excuſſionem dehiſcente ano.

Simile exemplum coli vulnerati à glande, in quo ejuſdem inteſtini pars ſemipalma longior ex abdomine propendebat, fæcibus per aperturam ejectis, ſuperſtite tamen per triennium læſo, extat

extat *Miſcell. med. phyſ. curioſ. Germ. decur.* 1. *an.* 3. *obſ.* 8. *fol.* 11.

Qui plura ſanationis vulnerum inteſtinorum tenuium deſiderat exempla, inſpiciat *obſ. rar. quintam Jacobi Seydelii ad Thom. Barthol. conſcriptam, de vulnere inteſtinorum tenuium cultri acie facto,* nec non *Joh. Heurnium comm. ſect.* 4. *aph.* 18. *Hippocratis,* ac *Iacob. Hollerium obſ. propria* 17. ut & *comm. citat. cap.* 18, *Ambroſ. Paræum lib.* 24. *operat. cap.* 19.

De inteſtinorum à vermibus perforatorum curatione vid. *Miſcell. med. phyſ. an.* 1. *fol.* 321. & *Schenkium lib.* 3. *obſ. med. de vermibus,* nec non *Solenandrum ſect.* 5. *conſil.* 15. §. 23.

Quæret autem quiſpiam, quomodo fiat, ut ſanentur inteſtinorum tenuium vulnera, ſiquidem chyli, fæcumve portio neceſſario in cavitatem abdominis ex iis deſcendit, quæ ibidem vel putreſcit, vel ſucceſſu temporis exulcerationem producit?

In hujuſmodi hominibus meo quidem judicio vulnus in ſuperiore tenuium inteſtinorum portione factum, nec adeo magnum fuit, & ſiquidem ita læſi, dum curantur à Chirurgis, continue tergo incumbunt, fieri poteſt, dummodo temperanter comedant, bibantque, ut chylus non, niſi minima quantitate, vel omnino non, in cavum abdominis ejiciatur, unde vulnera in interiore tenuium inteſtinorum tergum reſpicientium parte facta multo ſunt periculoſiora. Hæc

enim

enim non ita recte videre poſſumus, nec labia eorum vulnerum adeo bene cum inferiore abdomine coälescunt. Vulnera etiam curatu ſunt faciliora, uti ex *Hippocrate* modo notatum, quando non ſunt tranſverſa, ſed oblonga, & recta, quia alias labia propter continuum humorum transfluxum nimium hiant, nec non rememedia intus adhibita ibidem permanere nequeunt, etiamſi vaſa ſanguifera magis tangantur.

Adde, quod viſcidus humor ex inteſtinorum glandulis extillet, nec non lympha nutritia ex læſis arteriolarum orificiis proveniat, cujus lentore labia partis vulneratæ (quæ propter internum profundum ſitum aeris eſt immunis, qui partibus vulneratis nocet) facile ſanantur, præſertim quando flatus, qui ante vulnus in inteſtinis latebat, per vulnus proruit, labiaque ſic collabuntur, unde facilior, commodiorque eſt ſanatio.

De inteſtinorum vulneratorum percuratione prolixe agit *Cornel: Solingius part*: 3. *manual: operat: Chirurg: cap*: 5.

OBSERVATIO XXVI.

Ventriculus exeſus.

VEntriculi morbi multiplices quidem, & varii ſunt. Inter ipſos tamen

men jure merito rariſſimus hic dicendus eſt, de quo ſum acturus. Quamquam autem vix credere queamus humorem quendam uſque adeo corroſivum in ventriculo colligi poſſe abſque prævio notabili in diæta, medicamentiſve exceſſu; ipſe tamen aliquando in cadavere mulieris cujuſdam à *C. Solingio* diſſecto ventriculi ſuperiorem partem, trium digitorum tranſverſorum latitudine ſub orificio ſuperiore perforatam, exeſamque vidi ad magnitudinem pugni. Intra illud foramen præterea tumorem quendam cancroſum, exulceratumque panis tritici magnitudine, qualem tribus obolis noſtrates emunt, reperiebamus, qui peritonæo adeo adhærebat, ut vi avellendus fuerit.

Ventriculus inſuper cum diaphragmate, quod propter ulceris viciniratem etiam reperiebatur à corroſivo pure perforatum, ut & lobus hepatis, qui ſupra ventriculum plerumque jacet, magna ſui parte inferiore erat exeſus. Lien coloris plumbei erat, renes autem bene ſe habebant; omentum vero emaciatum erat, ventriculuſque ſubſidebat admo-

dum, ac perpauca continebat, quod ægra ante obitum per 5. hebdomadas nihil præter potum aſſumpſiſſet, ita ut mirum non ſit, ſi pridie ante obitum per alvum albam quandam, ſed purulentam, qualis etiam in cavitate abdominis extra ventriculum in diſſectione, reperiebatur, excreverit materiam.

Mulier illa, juxta conjugis, cognatorumque teſtimonia, per tredecim annos continuos vitiis ventriculi fuerat obnoxia, ut vomitibus, doloribuſque ſub coſtis ſpuriis in latere, &, non obſtante ventriculi malo, quatuor enixa fuerat infantes; qui diu Matri ſani ſuperfuere. Quatuor vero dies ante obitum eadem fœmina non magnam tantum albæ materiæ copiam, verum & ſatis magnam fætidi ſanguinis poſt diuturnam halitus graveolentiam per os ejecerat quantitatem. Fæces autem alvinæ nigræ, copioſæ, fætenteſque admodum fuerant.

IN OBSERVATIONEM XXVI.

SIquidem, an hic caſus, quod ſit rariſſimus, fidem apud nonnullos inventurus ſit, dubito, ſimiles quoſdam ex aliis adducam.

Philip. Salmuth. centur. 1. *obſ.* 43. *fol.* 28, mentionem facit morbi cujuſdam ventriculi illi, de quo egimus, valde ſimilis, quo afficiebatur quiſquam, in cujus cadavere foramen ventriculi vetus, quemadmodum è lateribus nigris, cruſtoſis, & inveteratis patebat, conſpiciebatur, cui & fiſtuloſum junctum erat ulcus.

Georg: Abrah: Merclinus miſcell: med. phyſ: Germ. decur: 1. *an:* 2. *obſ:* 229. *fol:* 332 exemplum foraminis cujuſdam dat in ipſa ſede ventriculi elatiore ſub ſterno fætidiſſimâ ſcatentis amurcâ, de qua patiens ante annos aliquot conqueſtus brevi poſt aperturam moriebatur.

Iacob: Hollerius ſchol: ad cap: 43. *de morb: intern: fol. mihi* 453 de quodam narrat, qui febre, cardialgia, vomitu, torminibus ventris, dejectionibuſque pici, & nigro ſanguini ſimilibus diu vexatus tandem obierit, in cujus ſecto corpore inventum ulcus uſtulatum in ambitu tunicis omnibus ventriculi, qua parte declivis in pylorum eſt, exeſis.

Memorat & *P: Foreſtus lib:* 18. *obſ:* 33. *fol: mihi* 178 *de ſtomachi affectibus*, de exulceratione ventriculi in 15 annorum puellâ.

Ioh: *Sculterus Armament*: *Chirurg*: *obſ*: 80. *fol*: 296. ſe aperuiſſe cadaver monachi Patavini, qui doloribus colicis obiiſſe ferebatur, & in cauſam morbi inveſtigantem non modo ventriculi fundum phlegmone correptum, verum etiam ad mediam uſque tunicam corroſum reperiſſe ait.

De eroſione ventriculi ab uvis immodice aſſumptis in puello narrat *Ioh*. *Rhodius centur*. 2. *obſ*. 53. *fol*. 94. ſcilicet eſu illo immodico trium horarum ſpatio extinguebatur; poſt mortem vero abunde in ventriculo reperiebatur ichor viridis, quem idem bilem fuiſſe dicit æruginoſam.

Remb: *Dodonæus obſ*. *med*. *cap*. 25. *fol*: *mihi* 61. exulcerari ventriculum non minus quam alias corporis partes, à ratione haud alienum eſſe ait, probatque illud exemplo honeſtæ cujuſdam matronæ annos plus minus 60. natæ, quæ ex ore ſpiritum fœtentem multis emiſerat annis: quæque poſt dolorem circa ventriculi regionem aſſiduum longo morbo confecta è vita diſceſſerat, ac cujus ventriculus, cadavere aperto, ſuperficietenus exulceratus reperiebatur.

De excoriato ventriculo ſcribit *G*. *Blaſius obſ*: *fol*: 72. & 76. *G*. *Fabrit*. *Hildanus centur*: 3. *obſ*: 20. *fol*. *mihi* 400. de magno fætente ulcere in ſuperiore ventriculi orificio reperto, ac putridis, fætidis, nigriſque humoribus repleto agit.

P: *Borellus Centur*. 1. *obſ*. 54. *fol*. *mihi* 55. mentionem facit abſceſſus cujuſdam in ventriculo, in quo copioſa materia nigra, lutulenta, ſanguinis

guinis corrupti colorem æmulans reperiebatur.

Similis exempli meminerunt *Guilh: Ballonius lib:* 1. *conſil:* 43. *fol:* 197. *Horat. Augenius lib:* 5. *epiſt:* 1. *cap:* 11. *Dominic: Panarol: Pentec:* 1. *pag:* 20. *Ioh: Bauhinus obſ:* 1. *Ioh: Schenckius lib:* 3. *fol:* 382. 388. *Th: Bartholinus act: Hafn: tom:* 4. *obſ:* 36. *pag:* 115, 119. & *tom:* 3. *pag:* 59, 62.

Hoc vitium merito haberi poteſt ἔγκαυσις, hoc eſt *ardor ventriculi Galeni*, cujus 8. *compoſit: ſec: loc: cap:* 3. mentionem facit idem, à bile tunicis ventriculi infixâ, ardoreque horrendo infeſtâ oriri dicens. Quâ de re vide *Th: Bartholinum Epiſt: medic: centur:* 3. *fol:* 157. *epiſt:* 42. aliosque ibidem. Hodierni etiam ſcriptores, iſtius phænomeni cauſam acri cuidam, acidoque olim cum ſanguine commixto, poſteaque ex arteriis ventriculi in eundem depoſito tribuunt humori: conferatur præcedens noſtra *obſ:* 16, & *ſeq:* 48.

Huic autem ventriculi ardori tollendo, humorique acido corroſivo temperando inſerviet Creta cum aq. roſar. aliquoties lota, oculi cancri abſque acido præp., corallia, perlæ præp., conchæ, bolus Arm: vera, terra ſigillata, qua *Adrian: Spigelius* tali caſu nihil eſſe præſtantius ait: acidum enim non abſorbet tantum, verum & pinguedine quadam tunicis ventriculi adhæret, acremque humorem ibidem ſtabulantem obtundit.

Obſervavi ego, inquit idem *Spigelius*, in magnam mei admirationem ejuſmodi ventriculi

 ardo-

ardorem nullis aliis, ſive externis, ſive internis æque ac terrâ ſigillatâ cum ſyr: Conſolidæ, mitigari, & auferri poſſe remediis.

OBSERVATIO XXVII.

Oeſophagi Paralyſis.

QUomodo, & quâ ratione particulares quædam, minimæque corporis noſtri partes ex gr. muſculi quidam oculi (de quibus obſ. X. tomi hujus actum) nec non aliæ parvæ partes affici queant paralyſi, ita ut motu deſtituantur, corporique integro magnum adferatur damnum, ſatis equidem hac *Jobi Baſteri* Medici, & Chirurgi Zierizææ in Zelandia liquebit relatione. Significavit enim ille mihi per literas, quomodo die 1. Febr. An. 1677. ad ludimagiſtri cujuſdam filiam *Neokerkæ in Duvelandia* habitantem, nomine *Elizabetham*, annorum 20. fuerit arceſſitus; quæ poſtquam aliquamdiu obſtructione menſium laboraverat, tandem in cachexiam incidit, quâ durante, alvus ipſi adſtricta admodum fuerat, deglutiendi tandem impoten-

tentia ſubſequente; unde ipſam inſtar ſceleti emaciatam reperit, cujus cauſam nonnulli ſtatuebant Medici, quòd excreſcentiæ quædam, glandulæve in Oeſophago induratæ eſſent. Verum, ut in iſtius phænomeni veritatem inquireret, flexibile quoddam os balenæ ſumpſit, cujus extremitati ſpongiam applicuit, ſicque ſenſim ad ventriculum fere uſque immiſit, nullo invento obſtaculo, undè paralyſin quandam in dicta parte exiſtere indicavit, eumque in finem idonea præſcripſit remedia, quibus fruſtra adhibitis, de eventu ſollicitus admodum erat, miſeram tamen non dereliquit, verum, ut alimenta quædam dentibus comminueret, juſſit, porroque linguâ verſus inferiora, quantum fieri poſſet, deprimeret, ſicque ille inſtrumento ſuo alimenta illa manducata ad ventriculum detruſit, qua operatione aliquoties iteratâ, præcepit, uti illa eandem impoſterum continuaret, aſſeverans modum illum ad ipſius refocillationem facturum, cumque per annum operationem illam ad vitam ſuſtentandam continuaſſet, tandem accreſcebant vires, ita ut ſolo

hocce remedio morte fuerit liberata, eique die 18. Decemb. an. 1682. cum hæc ſcriberet, obviam ſatis ſana fuerit facta.

IN OBSERVATIONEM XXVII.

VAria ſæpe gulæ occurrunt vitia tranſitum alimentis ad ventriculum impedientia, ut inflammationes, exulcerationes, de quibus *Obſerv.* 25. *tom. primi*, actum, necnon plures tumores, quorum meminerunt *Ioh: Fernelius lib*: 6. de *morb: part: cap*: 1. *Nic: Tulpius obſ: med: lib*: 1. *cap*: 44 *fol: mihi* 88. & *cap*: 45. *fol: mihi* 92.

Memorat Vir celebris *Steph. Blankardus coll: med: phyſ: cent*: 3. *cap*: 45. *fol*: 255. de oeſophagi coaleſcentia, & ſteatomate quodam mortis cauſâ.

Contingit etiam interdum, ut offa major, vel aliud quid ſubitò deglutitum Oeſophago inhæreat, tranſitumque non impediat tantum cibo, & potui, verum etiam compreſſione aſperam arteriam ita anguſtet, occludatque, ut reſpiratio imminuatur valde. Hujus rei exemplum obſ. 21. hujus tomi ſecundi adduximus, quale quid etiam habet *Steph: Blankardus collect: med: phyſ: centur*: 3. *cap*: 13. *fol*: 199. de nauta quodam propter naufragium diu fame emaciato, cui poſtea percurato offæ inſtrumenti cujuſdam extremitate acutiore detrudendæ fuerint.

Muſ-

Muſculorum Oeſophagi in muliere quinquagenaria Paralyſeos mentionem facit *N. Tulpius lib. 1. obſ. med. cap. 42. fol. mihi* 82. quæ ne gutulam quidem poterat tranſmittere ; & tamen pati nolebat, ut inſtrumentum aliquod ad ſui levamen adhiberetur, unde ſeptimo obiit die. Simile quid adducit *Thom. à Vega comm. cap. 3. lib. 3. de loc. aff.* quod & *Marcell. Donatus lib. 3. de med. hiſt. mirab.* olim in olitore ſe vidiſſe teſtatur. Paralyſeos gutturis è potu frigidæ orto meminit *Ioh. Hellwigius obſ. 59. fol.* 177.

P. Salmuth. Cent. 3. obſ. 16. fol. 119. ,, Laborabat, inquit, quidam febre diuturnâ cum ſummâ appetitus proſtratione, reſtitutus nullum ,, cibum, licet valde appeteret, deglutire po- ,, terat, ſed per digitos vi intrudere cogebatur.

Præter muſculorum oeſophagi paralyſin, alia etiam exiſtere poteſt ſpecies paralyſeos, ſiquidem deglutitio non tantum illorum muſculorum, ſed & Oeſophagi fibrillarum ope contingat, poſtquam enim alimenta ad ipſum pervenerint, non propriâ tantum gravitate deorſum feruntur, ſed & (quod tamen *F. Platerus* negat) ope fibrillarum deorſum moventur, quod in deglutitione magnarum, & aridarum offarum clarè animadverti poteſt, talem paralyſin, in qua omnis deglutiendi, ſentiendique potentia aberat, nullo alio adjuncto morbo, ſe vidiſſe narrat *P. Salius Diverſus annot. in Avicen. lib. 3. fen. 13. tr. 1. cap. 1.* quod vitium Oeſophago adſcribit, utpote

S 5 quod

quod ab obſtructione fibrillarum nervoſarum ejuſdem partis in corpore carnoſo Oeſophagi implantatarum productum eſſet, quemadmodum etiam *Th. Williſius part.* 1. *Pharmaceut. ration. ſect.* 1. *cap.* 2. *fol. mihi* 11, ſe quoſdam noviſſe ſcribit, qui propter tunicæ carneæ æſophagi paralyſin fame fuerint extincti, iſtius affectus brevis facta eſt mentio obſ. 15. hujus tomi fol. 139,

Hieron. Capivaccius lib, 1. *prax. cap.* 53. *fol. mihi* 358. de tubulo quodam, quo ſe in multis uſum fuiſſe felici cum ſucceſſu refert, agit, cui annexa erat veſica, e qua excuſſus ſuccus nutritius per longitudinem Oeſophagi in ventriculum detrudebatur; hunc etiam tubulum ſalutarem libenter adhibuiſſet *N. Tulpius* dicto caſu, niſi renuiſſet ægrotans.

P. Ægineta lib. 4. *cap.* 57. *fol. mihi* 513. de cannula clyſteri annexâ memorat, quâ amara in infantum ora injecerit,

Alia inſuper cauſa eſſe poteſt, cur abſque Oeſophagi paralyſi cibi, potuſque omnino impediatur deglutitio. Ita mihi, nec non *Expert. Viro Do. A. Nuck*, nuper rarior occurrit circa nobilem quandam Matronam caſus, cui nihil omnino deglutire valenti etiam id, quod deglutire conabatur, mox Oeſophago ſiſtebatur, brevique poſt, ab inferiore parte ſurſum ebullire incipiebat, unde in vehementem tuſſim, angoremque magno cum ſuffocationis periculo incidit, ita ut quidquam aſſumere recuſaret. Hæc tamen deglutiendi impoten-

potentia per 24. tantum continuabatur horas, ſiquidem venâ primâ vice factâ mox levamen ſentiebat, tam quantum ad tuſſim, quam reſpirandi difficultatem. Poſt ſecundam autem venæſectionem, eamque ſequentem clyſterem, liquorem quendam per Oeſophagum tranſire obſervavit. Ab illo autem tempore Oeſophagus ſenſim ad priſtinum reducebatur ſtatum, ipſaque porro convenientibus ſyrupis, & gargariſmatibus brevi iſti malo fuit exemta.

Nos autem impeditæ deglutitionis cauſam non paralyſi, multoque minus excreſcentiæ, durove tumori, verum dictarum Oeſophagi glandularum obſtructioni, tumorique, carnoſarumve interioris Oeſophagi tunicæ fibrarum contractioni ex acidi acerbi affluentiâ haud dubie ortæ adſcripſimus.

OBSERVATIO XXVIII.

Peritonæi Hydrops.

MUltiplices inter hydropes, quibus hominum caput, thorax, abdomen tam intrinſecus, quam extrinſecus, corripiuntur, rariſſimus, & conſideratione maxime dignus exiſtimandus eſt peritonæi, de quo mihi *Celeberrimus Vir. Anth. Nucq* Chirurgiæ & Anatomiæ Profeſſor

feſſor Hagienſis hæc retulit: *Anna K.* quinquaginta fere annos nata, poſt irregularem menſtruorum fluxum, ante decem annos paſſionibus hyſtericis valdè affligebatur, quibus cum evaſiſſet libera, de dolore, & tenſione in hypogaſtrio queri cœpit, quam umbilici ſecuta eſt prominentia. Annus jam elapſus erat tertius, à quo de tumore quodam cum dolore pulſante conjuncto conqueſta admodum fuerat, qui ſeſe ad pudenda extendebat, porroque alium ſimilem tumorem, quamvis minorem, nec adeo incommodum, in parte animadvertebat oppoſita; ſimulque ventrem ſenſim magis, magiſque intumeſcere, & umbilicum ad pugni magnitudinem extendi obſervabat. De continuis interim doloribus non levium cauſis angorum non immerito conquerebatur, quorum cauſa per excretionem multorum diverſæ magnitudinis calculorum ſatis fiebat manifeſta, & quamvis, urgente ſiti, ut plurimum multum biberet, non niſi parum tamen pallidæ, nec ſine magno ſæpe dolore, excernebat urinæ.

Ante biennium ceſſante fluxu menſtruo;

ſtruo, magnam coagulati ſanguinis per uterum excrevit quantitatem, viribuſque interim dejectis, multis cruciata eſt ſymptomatibus; appetitus enim, auctâ ſiti, minuebatur, reſpiratioque adeo evadebat difficilis, ut ſæpe non niſi erecto reſpirare poſſet collo, omnia porro alimenta faſtidiebat magnum in collo ſentiens ardorem: hæc autem ſymptomata miſeram adeo excruciabant, ut recuſatis omnibus remediis, viribusque detritis, tandem miſeram cum morte commutarit vitam.

In aperto cadavere Anno 1680. die 21 Januarii hæc fuerunt obſervata:

Superiores corporis partes, thorax ſcilicet, caput, manuſque macie quaſi conſumptæ erant; pedes tamen non notabiliter à naturali declinaverant ſtatu, niſi quod ſiniſter pes dextro reperiretur paulo diſtentior.

Ex abdomine prope umbilicum aperto verſus partem ſiniſtram 95. libras aquæ eduximus, quæ clara erat, ac colore inſtar cereviſiæ Roterodamenſis rubicunda; credibile autem eſt ſaporem illi fuiſſe nonnihil falſum: particulæ enim ſuper-

pernatantes ſplendebant, muſculique abdominis omnino conſumpti, & quaſi putrefacti erant.

Factâ in abdomine cruciali inciſione, vitium nobis non aliter apparuit, quam hydrops communis; verum in hepar inquirentes attoniti ſtetimus, quia nullum omnino reperiebatur, ac proinde putabamus novum morbi genus ibidem manifeſtatum iri. Pergebamus itaque in omenti, ut & inteſtinorum, meſenterii, pancreatis, lienis, renum. &c. inquiſitione: verum nihil reperimus; ita ut unanimi conſenſu juraſſemus nullum illorum viſcerum adfuiſſe, quædam enim prominentia pyriformis circa locum fundi uterini ſolitum magnitudine capitis infantis apparebat. Hoc itaque tumore aperto, veſicam quinque viſcidi, cineriticeique puris libris plenam invenimus. Sub hoc autem tumore alius ſitus erat in loco veſicæ, ſed priori triplo minor, qui pure diſtentus coloris, cujus alter, ſed conſiſtentiæ craſſioris erat.

Omnibus itaque accurate inveſtigatis cultri aciem profundius adegimus, tuncque demum omnia, quæ antea latuerant,

rant ſeſe manifeſtarunt viſcera. Ejectis ergo fæcibus, mox in conſpectum veniebat peritonæum, intra cujus duplicaturam magna illius aquæ ſtagnantis quantitas fuerat contenta; intima enim ejus membrana, quæ alias plerumque extimæ connectitur, ſeceſſerat, atque ita ſacci illius efformationi anſam dederat, in quo omne illud abundans ſerum adeò fuerat concluſum ut ne gutta quidem ex eo in abdominis cavitatem effluere potuiſſet. Nec obſtante tamen (quod mirandum) diſtenſione illâ, & dilatatione, peritonæum multò, quam plerumque eſt, reperiebatur craſſius.

Diſciſſâ igitur & hac abdominis parte, nullum omnino advertebamus omentum, ſed inteſtina nobis flaccida, vacua, & quaſi invicem contracta, ſerie tamen, & ordine ſolito occurrebant. Uterus, cujus tubis, aliſque veſiculæ quædam aquâ limpidâ plenæ adhærebant; cujuſque ovaria, multa magna continebant ova, nec non veſica ſolito ſeſe habebant modo, nec vel minimam liquoris, ſerive quantitatem continebant.

Ren dexter flaccidus, & fere conſump-

tus

tus erat, ſed ſolida ſiniſtri ſubſtantia ſatis apparebat laudabilis. In ejus autem canalibus, tubuliſque, ubi ad pelvim ſunt aperti, hiantque, varii hærebant diverſæ magnitudinis calculi, quamvis urinæ tranſitum flatibus per ſyphonem immiſſis inveniremus: Hepar naturali colore, magnitudineque gaudebat; Lien pariter bene ſe habebat, ſed flaccidior, mediâque parte ſolito minor erat, omnibus autem hiſce viſceribus, ut & diaphragmatis lateribus uſque ad inguina; tumida peritonæi adeò firmiter annectebatur pars, ut non ſine ſumma moleſtia avelli poſſet.

IN OBSERVATIONEM XXVIII.

Quamvis hydrops utplurimum hominibus in abdominis cavitate obveniat, monſtrat tamen uſus peculiares lymphæ collectiones reliquis corporis fieri poſſe in partibus: ſic enim in infantibus Hydrocephali, in pulmonibus adultorum Hydrops, in pericardio, omento, membranis hepatis, in liene, meſenterio; utero teſtibuſque tam virilibus, quam muliebribus, porroque in aliis corporibus partibus varii tumores ſeroſi animadvertuntur.

De

De hydrocephalo *obſ*: 14. *tom.* hujus ſecundi prolixe actum.

De Hydrope pectoris vide *Galenum comm: in Aph:35. lib:6, Marcell: Donatum lib:3. cap. 11. fol: mihi 279, Laz: River: centur: 4. pag:42, Carol: Piſonem de morb: à ſeroſa colluvie p:290 Riolani Anthropol, lib:5. cap:1, Thom. Barth: cent: 2. hiſt. 7. & Act: tom: 2. pag: 297, & tom: 1. obſ: 89, Tulp: obſ: med: lib: 2. cap: 16. fol: 128, Zacut: Luſit: prax: admir: lib: 1. obſ: 111. fol: 26, Ioh: Iac: Wepferi exercit. de Apoplexia fol: 287, Ioh: Bapt: à Lamzweerde append. armament: Chirurg: fol: 252. obſ: 31, Anthon. de Pozzis miſcell. med. phyſ. curioſ. Germ. decur. 1. an. 4. obſ. 29.*

De Hydrope pericardii vide *Gerh. Blaſium obſ. med. rar. part. 1. obſ. 19. fol. 31.* è qua membrana ultra 30. uncias limpida, dulciſque prodibat aqua. *Thom. Barthol. Act. med. volum. 1. obſ. 89. fol. 174.* de quodam refert cujus pericardium ita ampliatum, diſtentumque reperiebatur, ut tres libras, & quod ſuperat acris, turbidique liquoris ſinu ſuo complecteretur. Reperimus (inquit *Rolfincius epitom. meth. cognoſcendi, & curandi lib. 2. pag. 2. cap. 1.*) in pericardio eorum, qui palpitationi cordis obnoxii fuerant, hydatides; De ſimili ejuſdem membranæ hydrope vide *N. Tulp. lib. 4. obſ. 19, Riolani encheirid. lib. 3. cap. 4, H: Fabrit. Hild. centur. 1. obſ. 43, fol. 39, Carol. Piſon. de illuv: ſeroſ. ſect. 3. cap. 2*

De Ventriculi hydrope agit *Laz: River: obſ: communic. pag.* 314, in cujus intima membranâ multæ tam integræ, quam perforatæ reperiebantur hydatides. Exiſtimat autem ille hujus hydropem è frig. & hum. ventriculi intemperie à copioſo aquæ gelidæ potu, nimioque crudorum fructuum uſum proveniente ortum fuiſſe, cujus rei exemplum habet *Ioh. Rhodius obſ. med. centur.* 3. *obſ.* 4. *fol. mihi* 129.

Nonnunquam & in omento reperiuntur hydatides. Ita tradit *Theoph. Bonetus Anatom: pract. lib.* 3. *ſect.* 21. *obſ.* 21. *fol. mihi* 1103 *Hippolytum Boſcum de facult. anatom. lect.* 2. *pag.* 17 *an.* 1580 in cadavere mulieris cujuſdam Hydropicæ multas veſiculas intra particularem pelliculam per ſe aquam continentes, & per ſubſtantiam omenti diſperſas obſervaſſe, annoque huic proximo alii vomicam aperuiſſe in umbilici regione, è qua per aliquot dies diſrupta omenti portio exierit cum veſiculis multis aquâ repletis: amoto autem omento, manente in illo loco fiſtulari ulcere, curatam fuiſſe mulierem, & poſt hæc tres peperiſſe filios teſtatur.

Laz. Riverius obſ. communicatâ ult. fol. 393, de Hydropico quodam agit Ruſtico, cui, utut poſt convaleſcenti, ex abſceſſu in dextra abdominis parte aperto plures ducentis aquâ repletæ per aliquot dies egreſſæ fuerint veſiculæ. Hæc, inquit, obſervatio confirmat hiſtoriam, quam de hydropico narrat *Schenckius*, cujus venter

poſt

poſt obitum diſſectus veſiculis aqua repletis peritonæo, aliiſque firmiter adhærentibus refertus inventus eſt.

Poſſunt & omenti glandulæ ad eam extendi magnitudinem, ut durum, magnumque reddant ventrem. Refert *G. Fabrit. Hildanus centur.* 3. *obſ.* 62 ſe cadaver aperuiſſe, cujus omentum ob tumefactas glandulas 56. appenderet libras.

De omenti hydrope *Velſchius epiſagm.* 30. & *Marcell. Donatus lib.* 4. *de med. hiſt. mirab. cap.* 21. *fol.* 430 agunt.

De Hydrope cum meſenterii hydatidibus vide *N. Tulpium obſ. med. lib.* 2. *cap.* 34. *fol.* 156, qui morbum hunc immedicabilem ait. Ruptis quippe nonnullis hydatidibus, plurimæ manent illæſæ, quibus utique à ſcalpello ventrem perforante pertuſis, latitant nihilominus & aliæ continenter perennem inextricabils hydropis cauſam foturæ.

Volkerus Coïter. obſ. anat. chirurg. miſcell. pag. 117 ſe in cadaveris hydropici abdominis cavitate nullam omnino lympham reperiſſe ait, ubique meſenterio, peritonæo, inteſtinis, lieni, hepati, porroque aliis viſceribus veſiculis adhærentibus.

Obſervavi ego, inquit *Hoëfferus Hercul. Med. lib.* 3. *cap.* 2, Hydropicorum aquas circa meſenterium veſiculis variæ magnitudinis incluſas detineri, & propterea hominem diu ſervari

ſuperſtitem, donec veſiculæ vel tenuitate ſuâ, vel acrimoniam induente ſero intus contento rumpantur, hocque deinde in cavitatem ventris defluat, putreſcat, reliquorumque viſcerum corruptelam, & tandem hominis interitum producat.

De hydatide in renibus *Thom. Williſius pathol. cerebri cap.* 9. memorat.

In utero etiam nonnunquam hydrops exoritur. Ita refert *Rhaſes* mulierem quandam gravidam ſe putantem aliquando in ventrem decidiſſe, unde ex utero 25 aquæ flaveſcentis cotylas, quarum quæuis 9 continet uncias, excreverit.

Memorat *Andr. Veſalius corp. humani Fabr. lib.* 5. *cap.* 9 ſe Auguſtæ Vindelicorum quinquagenariæ aperuiſſe cadaver, cujus in uteri cavitate plures LX Auguſtanas aquæ menſuras, quarum ſingulæ tres continent libras, repererit, nullo circa inteſtina liquore reperto.

Admiratione, mehercle, dignum eſt, quod *Regner. Graeffius tract. de Organ. mulier. gener. inſerv. cap.* 8. de uteri quodam tradit hydrope: hic enim è mulieris exemtus corpore, cum ſanus plerumque ſeſquiunciæ gravitatem pondere non excedat, per 25. annos aucto ita accreverat hydrope, ut 40. penderet libras.

Ioh. Georg. Volkamerus miſcell. med. phyſ. Germ. an. 9. *obſ.* 17. *fol.* 54 virginis an. 35. meminit, quæ tumore abdominis inæquali, & hinc in-

inde fluitante laboraverat, cumque aliquando ſorori ad partum feſtinanti ſuccurrere vellet, fune præ foribus craſſiore in tenebris non animadverſo, in terram collapſa ventrem fortiter pavimento alliſit, unde diffractis in abdomine veſicis aqueis, & ſubſequente paulo poſt largi alvi dejectione, ſalva, & incolumis etiamnum per ſex luſtra vixit. Credibile eſt, ait idem, haſce intra omentum latuiſſe veſiculas: vias autem, per quas effuſus iſte liquor ad inteſtina pervenerat, incognitas hactenus eſſe ait, quamvis *Riolanus encheirid. anatom. cap.* 16. aquam facile à venis meſenterii, vel à liene ſpongioſo reſorberi poſſe autumet.

Scribit *Iacob. de Partibus ad lib.* 3. *Avicennæ* 5. *Fen.* 21. *tract.* 3. *cap.* 21. Præcipuam quandam Matronam, non diſſentientibus Medicis, obſtetricibuſque ſe putaſſe gravidam. Inſtante autem, ut credebatur, partus tempore, plurimum aquæ ex utero prodiit, unde brevi tenuior Matronæ evaſit venter.

Similia habent *Marcell. Donatus de hiſt. med. mirab. lib.* 6. *cap.* 21. *fol.* 423 *Benivenius cap.* 109 *N. Tulpius obſ. med. lib.* 3. *cap.* 32. *fol.* 246, *Blaſius obſ. pag.* 13, *Zacut. Luſitanus pr. med. admir. obſ.* 6. *de morb. part. & ſymptom. cap.* 15. *fol. mihi* 196, *Dan. Sennertus prax. lib.* 6. *part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 11.

Nonnunquam & in Utero fætum continente hydrops oritur, quem caſum *G. Fabrit: Hil-*

danus centur. 2. *obſ.* 55. uxori ſuæ obveniſſe aſſerit.

De cornuum uteri hydrope vide *N: Tulpium lib.* 6. *obſ. med. cap.* 44. *fol.* 369.

De hydatidibus in utero lege *Ætium lib.* 16. *cap.* 79. 97. 105, &c. ut & *P. Æginetam lib.* 3, *cap.* 75. Nos etiam *Tom.* 1. *obſ.* 70, exemplum imaginariæ graviditatis ab hydatidibus adduximus.

De hydrope teſtium muliebrium vide relationem ex *Joh. Heintſio* apud *Schenkium lib.* 3. *obſ. pag.* 474, *Marcell: Donatum lib.* 7. *cap.* 7. *fol.* 689, *Caſp: Bauhinum append. ad Franc. Roſſetum de partu Cæſareo pag:* 257, quod exemplum etiam reperitur apud *Schenkium fol.* 475. Simile quid habent *Miſcell: med: phyſ. Germ. an.* 1. *decur.* 2. *obſ.* 183. *fol.* 432.

Ultrajecti an. 1678 è dextra uteri virginis cujuſdam tuba poſt mortem educebantur 112 aquarum libræ. De ejuſmodi tubæ dextræ hydrope per paracenteſin curato mentionem facit *Th. Bartholinus act. tom.* 1. *fol.* 194. *obſ.* 103.

Lienis hydropis meminit *Jobus Mekeranus cap.* 6. *append. obſ. med. chirurg. fol.* 456. Nos etiam ſimilis hydropis mentionem fecimus *obſ.* 48 *ut & ſchol. tom. prim.*

Hippocrates ſect. 7. *aph.* 55. de hepate hydropico agit, quod *Galenus comm. ejuſdem aph.* de hydatidibus hepatis, quibus diſruptis, abdomen aquâ repletur, intelligendum ait.

Ejuſmodi hydatidibus in hepate, & pulmonibus,

nibus, non tamen diſruptis, *Cardanus mirandis curationibus* tres filios *Laurentii Gadii*, iiſdem plane ſymptomatibus, morboque afflictos quamprimum febris, nec non diarrhæa accederent, extinctos teſtatur. Quamvis autem hæ hydatides utplurimum ſeſe in convexa hepatis manifeſtent ſuperficie, Profeſſor tamen *G. Stratenus* hujuſmodi hydatides abunde olim in ſuperficie hepatis concavâ ſuſpenſi cujuſdam furis an. 1647. Ultrajecti demonſtravit.

Galenus lib. 5. de loc. affectis cap. 7. nullum abſque hepatis læſione hydropem oriri poſſe ſtatuit, cui adſtipulantur *Savonarola tract. 6. cap. 14. rub. 9. Valeſc. de Taranta lib. 5. cap. 8. Capivaccius lib. 30. prax. cap. 18.* pluresque Veteres, *Hercules autem Saxonia lib. 3.* Hydropem, illæſo hepate, reperiri affirmat.

De aſcite abſque ullâ viſcerum læſione à ruptione vaſorum quorundam lymphaticorum ortâ, vide *Diemerbr. Anatom. lib. 1. cap. 12.*

Arethæus lib. 2. cap. 1. de ſign. cauſiſque morb. diuturn. hydropem dari, in quo hepar ſanum reperiatur, ait: adducit enim ſpeciem quandam hydropis ex multis hydatidibus in cavitate abdominis orti.

Sententiam *Arethæi* recentiorum confirmant obſervationes, ut ex *comm. Mauritii Cordæi in lib. 1. Hippocrates de morb. mulier. comm. 5. pag. mihi* 315. patet; ubi refert, quomodo mulier quædam Pariſiis obierit, in cujus cadavere nulla

capacitas, hoc eſt, nihil cavum fuerit, in quo non veſicæ reperirentur; locos cavos, inquit, dicimus, non veſicam tantum, renes &, uterum, ſed & ventriculum, inteſtinaque, cor, pericardium, &, id genus, reliqua, è quibus, prout tam intus, quam foris nativum cuique ſolum contigiſſet, cyſtes pendulæ conſpiciebantur aquâ citrina oppletæ, & ſine omni fætore, etiam poſt vigeſimum diem. Hepar quoque intelligi volumus tectum iiſce, oppreſſumque foris, adeoque lienem totum. Si quaſque vel minutulas in numerum quiſpiam retuliſſet, octingentas numerus ſuperaſſet facile.

Simile quid narrat *Schenckius lib.* 3. *pag. mihi* 474. *ex obſ. Joh. Eicholtzii de Hydropica quadam muliere*, in cujus cadavere diſſecto an. 1586. nihil omnino aquæ, nec flatus in ventris cavo, ſed magnæ reperiebantur hydatides limpidâ aquâ repletæ. Tradit & *Areth. Cappadox eodem cap. & libr.* nonnullos aſſeverare ejusmodi veſiculas per alvum ejectas fuiſſe. Fatetur etiam ingenue ſe iſtius phænomeni ignorare cauſam. *Whart. Adenopraphiæ cap.* 11. hujuſmodi hydatides per vias urinarias, & inteſtinum nonnunquam excretas ſe vidiſſe ſcribit.

Viro cuidam, ut ait *Laz. Riverius centur.* 4. *fol.* 27. ita tumebat venter, ut hydropicum quivis crederet. Ille autem tandem poſt alvi purgationem ſeptem veſicas farciminibus craſſitie, manuſque palmæ longitudine pares excrevit, iiſque ejectis, convaluit.

De

De Hydropicæ cujuſdam diſſectione, cui peritoneum, & inteſtina extrinſecus parvis erant tumoribus obſeſſa, quorum quivis avellanæ nucis æquabat magnitudinem, vide *Bartholini acta Hafn. tom.* 3. *hiſt.* 64. *pag.* 105.

Proponit etiam *Schenckius* hydropici cujuſdam hiſtoriam, cujus abdomen poſt obitum apertum veſiculis aquâ repletis, ac peritonæo, aliiſque partibus adhærentibus repletum apparuerit.

Ioh. Philip. Ingraſſias de tumorib. præt. naturam tract. 1. *cap.* 1. *fol. mihi* 229. meminit cujuſdam, in cujus meſenterio ſtrumæ circiter 70. offendebantur, præter quas in glandulis exiſtentes totidem fere externæ inteſtinorum, præcipueque craſſorum tunicæ adhærentes tumores, propria ſingulos membranulâ, cujuſdam veſiculæ inſtar, contentos, inveniſſe ſe ait. Hos porro, qui exteriori inteſtinorum tunicæ adnati fuerant, ſtrumarum nomine, quia ſcilicet in glandulis non erant, minime dignatus eſt. Utriuſque autem generis tumoris varia quantitate & magni, & parvi fuere, atque inter extremos, qui ad ovi gallinacei magnitudinem perveniebant, & minimi ciceris parvitatem, quam plurimi intermediæ quantitatis gradatim viſi ſunt, non ſecus, ac in fertilis gallinæ utero ovorum gradata multitudo (quam vulgus ovarium vocat) invenitur. Nonnulli horum tumorum diſſecti lapideum gypſum, quidam vero glutinoſam, muccoſamque, & liquidam quandam ſubſtantiam ſub eâ membranula

continebant: nonnulli autem per gradus quoque intermediam comprehendebant. Ut noviſſime genitus tumor liquidioris, antiquior vero ſolidioris videretur ſubſtantiæ. In reliquis vero corporis partibus, præſertimque in Jecinore, & ſplene ſaluberrimum corpus videbatur. Hinc nonnulli hydatides, quando fortes, craſſæque ſunt, ita ut non diſrumpantur, ſucceſſu temporis in ſteatomata, atheromata, & melicerides immutari autumant. Ita *Clariſſ. Ruiſchius* Chirurgiæ, & Anatomiæ profeſſor Amſtelodam. *f.* 83. *obſ.* 25. ſe tales hydatides multas vidiſſe, quibus pultacea quædam, ſeroſa, caſeoſaque ſubſtantia continebatur; eaſque non in ſuprema tantum hepatis membrana, ſed & in ſuperficie ejus concava ſupra ramos venæ cavæ, & portæ ſe reperiſſe ſcribit.

Hiſce, opinor, evidens eſt hydropes quoſdam hepate, ac liene integris reperiri; ita ut *Franciſc. de le Boë Sylvius* raro ſe hydropicos aperuiſſe, in quibus illæ partes contaminatæ fuerint, aſſerat.

De Hydrope inter muſculos abdominis, & peritonæum externè in latere ſiniſtro prorumpente, è quo plures ducentis veſiculæ, ovorum inſtar gallinaceorum, ſed molli, & putida aqua repletæ educebantur, lege, ſi placet, *Solenandr. ſect.* 5. *conſil.* 15. *p. mihi* 489, ut & *Anthon. de Pozzis miſcellan. med. phyſ. German. decur.* 1. *an.* 4. *obſ.* 51. *fol.* 37. & *Joh. Rhod. obſ. pag.* 132.

De

De alio Hydrope inter peritonæum, & muſculos abdominis in virgine quadam 20. annor: poſt cujus mortem 29. libræ aquarum è cavo abdominis eductæ fuerint, vide *Gerh. Blaſium obſ. med. part. 1. obſ. 18. fol. 30.*

De hydrope, è quo 20. aquæ foëtentis libræ prodierunt, quæ inter tunicas muſculorum abdominis, & peritonæum latuerant, legatur *Martinus Bogdanus obſ. anat. chirurg. obſ.* 11.

Verum rarior eſt, de quo obſervatio noſtra, hydrops, de quali generalius nonnihil annotavit *Marcellus Donatus fol.* 430. qui, quamvis, ait, *Galenus 5. de loc. aff. cap. 7, & de natur. facult. cap.* 13 proprium aquæ hydropis locum cavitatem magnam abdominis internam ſtatuat, nihilominus & intra perironæum, ac reliquas partes inferiorem ventrem conſtituentes, aquæ portiones ſæpius reperiri ſectione comprobatum eſt, Idem pag. 413. Aqua, ait, inter cutem nonnunquam à copioſo frigidæ potu provenit, cum præ nimia ſiti ad ſaturitatem quiſpiam multam aquam gelidam ingurgitaverit, poſteaque humidum in peritonæum delatum ſit. *Iacobus Camenicenus* (ita pergit idem) *epiſtolâ ad Andr. Matthiolum lib. 5. epiſtolar. ſcriptâ* refert de quodam, cui aqua inter tunicas peritonæi, nec non inteſtinorum adinventa fuerit.

Unicum, quod noſtro conveniat, exemplum deſcribit *N. Tulpius obſ. med. lib.* 4. *cap.* 43. *fol. mihi* 367. nec non *Iob. Mekeranus cap.* 49. *f.* 287.

quæ

quæ hiſtoria, ſiquidem ab hoc prolixe, ab illo autem cum aliis circumſtantiis deſcripta eſt, operæ prætium judicavi, ſi eandem, utpote rariorem, ex utroque exhiberem, quod lubentius ago, ſiquidem nullum noſtro ſimilius exemplum uspiam me legiſſe memini.

Quinto Januari 1651 â *Jobo Mekerano* cadaver *Dnæ Nicolai Thovelings*, quæ *Godefridi Flinkii* Pictoris celeberrimi uxor fuerat, coram Medicis *Sam. Coſtero*, *Guilielmo Pizone*, ac *Fr. Vicquio*, *Sylvio*, & *Scaga* aperiebatur. Huic jam ab ineunte ætate venter durus fuerat, ac diſtentus, quod tamen malum circa pubertatis demum tempus, anno ſcilicet decimo tertio, aut quarto, prorumpentibus prima vice menſtruis, mirum in modum increvit. Horum etiam fluxus non, niſi bis, ac parcus admodum in ea fuit obobſervatus, ventre eo tempore leviter ſubſidente; extra hunc fluxum autem ventris ille tumor valde accreſcebat, nec tamen adeo erat moleſtus, quin matrimonii jugo collum læta ſubdere vellet; nupſit ergo viro, debitoque tempore infantem peperit, nequaquam detumente ventre. Varia tollendo tumori, conſultis etiam Medicis, Chirurgiſque, adhibita fuerant remedia: aſt irritus fuit omnis labor. Cauſam in aliud conjicere non licebat, quam ſententiarum de vera morbi origine verâque parte affectâ, diverſitatem, fuerunt enim, qui fungos diviſos mali originem ſtatuerent, placuit aliis Atheromatum faſciculos cau-

ſam

ſam dicere; veſiculas plurimas pituita refertas hîc hærere varii aſſerere auſi fuerunt, imò nec defuerunt, qui molam adeſſe ſuſpicarentur. Præcipua Medicorum, Chirurgorumque in conſilium adhitorum pars aquam ventre concluſam in interſtitiis viſcerum hærentem cauſam eſſe habendam voluit. Sed Clariſſ. *Walæus* Medicinæ apud Leydenſes Profeſſor, probabile omnino dixit (nec, ſententiam ut mutaret, ullis induci potuit rationibus) ſeroſum humorem ſenſim ad peritonæi duplicaturam deſtillaſſe, ubi, collectione factâ, tumorem produxerit enormem.

Mirandum erat, breviſſimi temporis, octo nempe dierum ſpatio, in tantam molem ventris tumorem fuiſſe adauctum, ut fere altero tanto major factus fuerit. Ut ad digiti tranſverſi latitudinem venter increſceret, fieri non poſſe dixiſſet, quiſquis mulierem conſpexiſſet. Illa autem, quod omnem ſuperat admirationem, interim adeo erat agilis, motuque prompta, ut nihil non, quod ad domeſtica officia pertinet, currendo, ſtando, laborando, efficere valeret: hocque exuberans aquarum pondus ſine magnâ corporis, ac virium jactura, tam apte ſemptem plus minus annis, tulit mulier animoſa, ut tanquam ſaniſſima, non quocunque tantum deambulare, verum etiam peregrè proficiſci, &, quod mireris, excelſam, referente marito, Clivenſium ſine ullâ moleſtiâ aſcendere, & deſcendere potuerit turrim.

Miſera tamen interea temporis, quæcunque etiam adhiberentur remedia, ventrem magis, magiſque intumeſcere percipiens, tandem doloris gravitate maxime debilitata, quod nec ſedere, nec ſtare, ſed manibus, pedibuſque repere cogeretur, in lecto decumbere coacta fuit, in quo vitam tandem finivit, Deo opt. Max. animâ piè commendatâ.

Diſlecto ad inquirendam graviſſimam morbi cauſam cadavere, circa umbilicum limpidæ, minimeque fætentis aquæ quantitas centum, & viginti quinque librarum effluxit.

Eductâ aquâ, inquit *Job. Mekeranus*, ſaccum, cujus tunicæ minimi digiti craſſitiem æquabant, quemque hactenus ignorabamus peritonæum eſſe, è quo ille liquor effluxerat, in partes quatuor cruciali diſſectione diviſimus, cujus fundum materiâ impurâ, lentâque obductum invenimus. Rei novitatem admirabamur, qui perveniſſe nos in ventris cavitatem putabamus; nihil viſcerum reperiebamus, peritonæum cuti unitum in eam magnitudinem poſſe extendi, qualis nobis occurrebat, nunquam admiſiſſemus, niſi oculis fuiſſet exhibitum.

Partem adeoque peritonæi ſuperiorem circa mucronatam cartilaginem, coſtaſque nothas ſeparare aggreſſi ſumus; quo facto, in conſpectum venere hepar, ventriculus, inteſtina, aliaque viſcera, integra, & bene conſtituta, præterquam, quod colon plus ju-

ſto

ſto contortum, renque ſiniſter juſto eſſet major, cæcæ uteri venæ; ſive tubæ *Fallopii*, quas per peritonæum diſperſas quantumvis oculus in dextro latere viderit conſpicue tumidas, ac protuberantes, intus tamen plane imperviæ, adeoque obturatæ, ut ne minimus quidem fiſtulæ flatus illas tranſiret, erant.

Siniſtrum inſuper uteri, ut idem refert, bene ſe habebat latus: ſicque diſſecto cadavere Clariſſ. *Joh. Walæi* ſententiæ innotuit veritas, imo etiam paracenteſeos in ægrotante, & facilitas apparuit, & utilitas, quam idem *Walæus* cum *Sam. Coſtero* Noſocomii Amſtelodamenſis Medico, ſiquidem viſcera omnia ſana erant, lymphâ inter duplicaturam peritonæi tantum contentâ, maxime commendaverat. *Tulpius lib. & cap. iiſdem fol. mihi* 368. incertam hujus morbi dicit cauſam, ſiquidem via, per quam lymphæ inter peritonæi pervenerit membranas, ipſi ſit ignota.

G. Blaſius Appendice ad Veſlingium fol. 369. & 371. inter duplicaturam peritonæi multas glandulas lacteas immerſas latere dicit, & hinc fieri poſſe, ut hydrops interdum hauſto potu ſtatim diſtendat ventrem, quod in amico ſuo intimo ſe obſervaſſe ait.

Iob. autem *Mekeranus fol.* 291. *v.* 26. vas deferens, & arteriam, per quam menſtruus à non gravidis excernitur ſanguis, alieno, & inſolito detento loco, & in ipſius peritonæi delata fuiſſe duplicaturam ait, quam eodem plane pererrabant

modo

modo, quo ureteres veſicam urinariam, in quam etiam haud dubie ſanguinem, imperfectumque ſemen, tumoris materiam, deduxerunt. Exiſtimat & idem aquam hîc collectam, pro parte quadam uretere dextro à rene deſcendente ad veſicam exſtillaſſe, ſiquidem ductum illum luſu naturæ ad duplicaturam peritonæi cum arteria ſpermatica, & ductu cæco, ſive tuba uterinâ, tranſiiſſe per anatomen annotaverit.

Hoc profecto rarum, ut pergit *Tulpius*, atque inauditum hydropis genus, quandoquidem non meminerim me legiſſe in ullis Medicorum monumentis, ſed ſolo dunxtaxat auditu intellexiſſe à viro præclaro *G. Strateno* Principis Arauſionenſis à Medicinis, qui ſimillimum hydropem ſectione ſe deprehendiſſe in virgine ajebat, de cujus pudicitia perperam dubitatum fuerat: Operæ autem pretium facturus videor, inquit idem, ſiquidem caſum hunc ab oblivionis injuriâ aſſeruerim, non tantum ob inſolitum aquarum ſitum, quam ob ſummum, quod ægroti inde percepturi ſint, emolumentum, quibus in hoc peritonæi hydrope longe ſecurius, expeditiuſque paracenteſin inſtituent Chirurgi, qnam in ullis aliis ejuſdem morbi ſpeciebus, in quibus viſcera naturalia à circumfluâ aqua uſque adeo periculoſe vitiantur, ut, illâ etiam ſubductâ, nihilominus moriantur ægri, cum in hac peritonæi aqua exta maneant illibata, ac plane ſecluſa ab irriguo acrioris humoris attactu, unde proculdubio mulieri huic conſtans,

ſtans, ac integer manſit corporis valentis vigor, ad quem etiam neceſſe erit oculum convertere, ſi quis conabitur ſcalpello elicere, quam peritonæum continebat, aquam.

Helwigius obſ. phyſ. med. 82. *fol.* 255. exemplum habet mulieris cujuſdam poſt mortem diſſectæ, in qua inter duplicaturam peritonæi aliquot menſuræ ſeri fœtentis, & coloris flaveſcentis repertæ fuerint.

Verum, quænam, quæſo, noſtro caſu peritonæi hydropis cauſa fuit?

Joh. Fernelius lib. 6. *de part. morb. & ſympt. cap.* 8. jam dudum abdominis aquam vaſe quodam exeſo, rupto, vel alio modo aperto produci ſcripſit: nonnulli autem deceptum putarunt *Fernelium*, utut ſecuta ætas non uſque adeo eum erraſſe viderit. Certum enim eſt tunc temporis latuiſſe Medicos, quo pacto ſanguifera vaſa tantam ſeri quantitatem abſque ſanguine ėmittere poſſent; repertis autem lymphaticis vaſis facilius in *Fernelii* ſententiam iri potuit.

Omnes igitur hydropis ſpecies, cuicunque tandem corporis loco obveniant, aut nomine diſtinguantur, recentiorum opinione ab una, eademque cauſa, à craſſa videlicet lympha, cujùs ſanguis craſſior cauſa, proveniunt. Hæc autem qualiſcunque à frigidis, viſcidis, tardis, craſſis, acidiſque materiebus craſſities oritur; unde ſanguis incraſſatus de ſe non diſſimiles emittit humores. Ita ut vitium illud à retardatâ ſanguinis

omnino dependeat circulatione: cum enim arteriarum extremitates, ſive illæ in glandulas, ſive fibrillas mutentur, materiam nimis craſſam vehunt, quam ob viſciditatem ſatis celeriter propellere nequeunt, partimque, quantum ſcilicet ad partes ejus ſanguineas, & craſſiores attinet, in venas devehunt, partim, quantum ad tenuiores, & aquoſas particulas, in vaſcula remittunt lymphatica, viſcidus humor, quo vaſa illa obſidentur, propter tardum ſanguinis motum viſcidior haud dubie evadit: qui cum propelli nequeat, neceſſariò, obice rupto, inter membranas effunditur, ubi vel in unum colligitur, vel, ſi membranæ tubulorum lymphaticorum tenaciores majorem abſque ruptione ferre queant expanſionem, in veſiculas lymphâ repletas attollitur, quæ inter duas illorum lymphaticorum vaſculorum efformatæ ſunt valvulas.

Cauſa autem noſtri in peritonæo hydropis vaſculorum lymphaticorum ruptione non videtur orta: cum quod nondum certo ſciamus, anne etiam hac in parte vaſcula dentur lymphatica, &, licet ibidem eſſent, verſus inferiora ad ſupremam peritonæi membranam, & non inter ejus duplicaturam excurrerent, tum quod limpida fuiſſet aqua, ſi è vaſculis lymphaticis proveniſſet. Erat autem, ut ſupra notatum, cereviſiæ inſtar. Veroſimilius itaque eſt hujuſmodi liquorem ex arteriolarum per membranam hanc diſperſarum extremitatibus eodem plane modo, quo id in ex-

ternis

ternis hydrocephalis p. 122. fieri diximus, provenisse.

Hæ igitur arteriolæ primò circa umbilicum à materiâ quadam craſſa, viſcoſaque obſtructæ ſequenti à tergo ſanguini denegarunt tranſitum: ſanguinis tamen motus tam fortis fuit, ut per illas pluribus ſimilibus particulis allatis, locus ſtagnantis materiei ſenſim fuerit dilatatus, unde initium ſeparationis membranarum peritonæi circa umbilicum factum eſt, ſicque ſucceſſu temporis tandem ibidem abſoluta eſt ſeceſſio.

Credibile autem eſt humorem hunc, ejuſque colorem ortum eſſe, quod tubuli terminantium arteriolarum nullam aliam, in ſanguine abundantem tranſmittere potuerint materiam, nec non quod renibus (ut ante dictum) obſtructis, limpida tantum ſeparari ibidem potuerit aqua, relictâ in ſanguine craſſiore materiâ.

Fieri etiam potuit, ut humor ille per poros illarum arteriolarum expulſus fuerit, ſiquidem pori propter fermentationem, & appellentem ſanguinem, tunicaſque arteriarum in pulſu diſtendentem, valde dilatantur, qui humor ejectus, cum propter obſtructos peritonæi poros non tranſpirare, nec (uti contingit in Aſcite) per eandem membranam in abdominis cavitatem penetrare potuerit, tumorem iſtum produxit.

Quemadmodum autem vaſcula lymphatica quavis fere in corporis reperiuntur parte, ita etiam contingere poteſt, ut hujuſmodi hydatides,

 hoc,

hoc, vel illo præcedente ſanguinis vitio, ubique fere in corpore appareant. Quando enim vaſa lymphatica liquorem ſuum in venas revehere nequeunt, viſcido obſtruuntur humore, ſicque inſequente liquore preſſa, & diſtenta, tandem, quod tenera ſint admodum, rumpuntur, ſicque liquorem in partem egerunt vicinam. Contingit etiam, ut humor nutritius ab arteriis advectus alicubi partium ſolidarum tubulis inhæreat, qui eâ ratione tumoris origo eſſe poteſt.

De peculiari quodam pedum hydrope caſum habet *N. Fontanus exempl.* 35. *fol.* 96; *Johan. Baptiſt. Montanus conſil.* 189. *de morb. part. fol.* 199. ſe mendicum quendam vidiſſe ait, cui alterum tantum brachium hydropicum, manuſque ejuſdem lateris immane tumens eſſet. Idem etiam refert de hydrope gutturis ſectione percurato. *Marcellus Donatus lib.* 7. *de med. hiſt. mirab. pag.* 7. *fol.* 690. de hydrope totius ſtudioſi cujuſdam ſiniſtri brahii narrat, ita ut illud altero triplo craſſius eſſet. De pluribus ejuſmodi particularibus, partiumque externarum hydropibus vide *Carol. Piſonem de morb. à colluvie ſeroſa ortis ſect.* 5. *cap.* 4. *fol.* 534. *& ſeqq.*

Supereſt quæſtio, an etiam bruta hydropi obnoxia ſint? Hydrocephalum in iis reperiri *ſchol: ad obſ.* 14 diximus, qualiſcunque autem hæc aquarum collectio brutorum etiam aliis obvenit corporis partibus, præſertim quando tempeſtate pluvioſa frigidiorique pratis in uliginoſis diutius paſcuntur.

Ita

Ita *Richard Lowerus tract. de corde cap. 2. pag.* 125. ſe multas oves pectoris, & abdominis extinctas hydrope diſſecuiſſe tradit.

Thom. Bartholinus Act. Med. Hafnienſ. part. 3. *cap.* 76. *fol.* 132. etiam de morbo quodam inter boum familiam *Abrahamſtropii Sialandiæ* 1674. graſſante refert. Boves enim corporis languore, reſpiratione anhelâ, tuſſiculâque rarâ laborantes nihilominus comedebant, coibant, generabant, pingueſcebantque.

„ Quædam, inquit, utriuſque ſexus horum
„ animalium diſſecui: pinguedo ubique copioſiſ-
„ ſima, carnibus flaccidis, pulmones innume-
„ ris hydatidibus referti, quædam duos pugnos
„ æquabant, in vaccæ unius pulmonibus nume-
„ ravi 17. exterius, ſed copioſiores intra ipſos
„ pulmones latentes numerum non admittebant.
„ Non tenues pelliculæ has involvebant, ſed
„ craſſæ membranæ, vulneratæ limpidum li-
„ quorem profuderunt, quædam, at paucio-
„ res, flaveſcentem: omnis thoracis cavitas, ut
„ & pericardium, aqua cruenta inundabatur.
„ Omnium hepar peſſime ſe habuit, multarum
„ vaccarum innumeris replebatur aquoſis tumo-
„ ribus, pugni, pomi, juglandis, avellanæ
„ majoris, minoriſve quantitatis omnibus mem-
„ branâ craſſiſſimâ veſtitis, corneæ oculorum
„ nec duritie, nec colore cedente: vulnerati
„ tumores quidam aquam ſalſam, plerique vel
„ flaveſcentem, vel viridiuſculam amareſcen-

„ tem effuderunt. Aliorum boum jecinora
„ hydatidibus quidem deſtituta erant, ſed paſ-
„ ſim in ſcirrhos induruerant: omnium cyſtæ
„ felleæ conſuetis longe majores erant copio-
„ ſiſſimo humore repletæ, qui colore pallidus,
„ ac ſapore remiſſe admodum amarus aquæ plane
„ in morem diffluebat.

Idem *centur.* 2. *hiſt.* 67. *fol.* 265 in multis porcis annos 1653. mactatis ova quædam ſine teſta in hepate, meſenterio, lumborumque vertebris appenſa apparuiſſe memorat, quæ magnitudine ova gallinacea æmulabantur, & ſubventanea viſa, nihil, niſi aquam limpidam continebant; diutius enim coctus non indurabatur liquor; Unde abſceſſus ſe crediđiſſe aquoſos, ſeu veſicas feroſas fuiſſe, è vaſis lymphaticis, quæ circa hepar meſenterium, iliacoſque luxuriant ramos, exortas ait.

Felix Platerus ſe etiam Suum meſenteriis veſiculas quaſdam annexas vidiſſe narrat.

OBSERVATIO XXIX.

Vermes ex utero prodeuntes.

VArios, præter alia inſecta, humano in corpore nonnunquam reperiri vermes, diverſiſque creſcere in partibus, multi magno dolore, & moleſtia, ſa-

ſatis animadverterunt, ita ut non immerito hujuſmodi homines viventes mortuos dixeris; utpote qui ante obitum, quam non niſi poſt fata alii, vermibus eſcam præſtent.

Elizabetha Tomboy obſtetrix Hagienſis, cujus tomo primo non ſemel memini, ſanĉte mihi aliquando aſſeveravit ſe ante quinquennium è mulieris cujuſdam, poſtquam pepererat, utero vivum quendam vermem ultra ulnæ quadrantem longum, vidiſſe prodeuntem, qui ſeſe circa funiculum infantis umbilicalem convolverat. Retulit eadem ſe paulo poſt præſentibus mulieribus ſecundum, ſed minorem monſtraſſe in ipſa placenta locatum: cumque eadem puerpera de dolore ventris per aliquot dies continuato conqueſta fuiſſet, conſilio Fratris mei *Joh. Stalpartii vander Wiel P. M.* remedio quodam contra vermes uſa magnam cum lochiis vermiculorum excreverit quantitatem.

IN OBSERVATIONEM XXIX.

QUamvis de vermibus in utero repertis pauca exiſtant teſtimonia, *Benivenius* tamen *lib. de occult. morb. cauſ.* utero ejectos ſe vidiſſe aſſerit vermes.

Mirum non eſſe ait *Jacob. Primiroſius de morb. mulier. lib. 2. cap. 13. fol.* 137. Vermes, qui in aliis etiam generantur corporis partibus, ob cauſarum ſimilitudinem in utero produci.

Merculialis de mulier. morb. lib. 4. cap. 12. fol. 158. Hæc illa de re ſcribit: Dubitatum eſt, „ ait, an lumbrici, qui reperiuntur in utero, „ in ipſo fiant, an aliunde mittantur, ſed non „ poſſum videre, qua via, & ratione ab inte- „ ſtinis egredientes ingrediantur in uterum, quia „ etſi hoc fieret, perforatis inteſtinis, & utero, „ ſane dolore, & his vulneribus interirent mu- „ lieres. Quapropter magis mihi conſenta- „ neum eſt, gigni in utero, eoque magis, quod „ memini, ut dicunt *Ariſtoteles*, *Albertus*, „ & alii, vermes fieri in cerebro, & vaſis ſper- „ maticis, ut non ſit adeo durum, ſi etiam fiant „ in utero.

P. Borellus obſ. rarar. med. phyſ. cent. 1. *obſ.* 5. *fol.* 8, calculos, & vermes non in omnibus tantum animalibus, ſed etiam in quibuſvis produci poſſe tradit partibus, quod exemplis ſe poſſe confirmare teſtatur.

Cer-

Certum eſt rarius in utero, ſæpius vero in ipſa vagina vermiculorum aſcaridibus non diſſimilium quandam reperi ſpeciem.

Quantum ad uteri corpus, exhibet *B. Timæus à Guldenklee caſ. med. lib.* 4. *pag. mihi* 204. exemplum concubinæ cujuſdam Tibicinis, quæ gravidam ſe eſſe ſuſpicabatur; quare nexum conjugalem, quem ille promiſerat, urgebat inſtantius: hic contra acrius inſtare, mortemque ni abitum maturaret, minitari, tandemque obluctantem gladio confodere auſus eſt. Demortuæ ventrem ſe propter animantis ſpem ſubito aperire juſſum præter mucoſum quid, & ingentem aſcaridum viventium, & hinc inde obreptantium numerum nihil in utero reperiſſe ſcribit. *Benjamin Scharffius ephem. Germ. decur.* 1. *an.* 9. *obſ.* 7. *fol.* 44. exemplum habet mulieris cujuſdam quinquagenariæ, tenuis fortunæ, quæ lacticiniis, aliiſque cibis crudioribus adſueta tres ante annos incredibilem circa genitalia pruritum, & fervorem ſenſerat, ſubſequente dolore rodente, ac quaſi urente, perque aliquot dies continuante. Tandem vero per muliebria ingenti aſcaridum caſei vermiculos apprime referentium copiâ excluſâ, dolor quidem, ac pruritus aliquatenus remittebant, omnis tamen moleſtia penitus non auferebatur, ac, licet hic affectus per medicamenta interna pariter, ac externa, imprimis per clyſteres, peſſoſque uterinos, ut & balnea penitus profligari poſſet, cum tamen præ nimio

pudore malum hoc nemini revelare voluiſſet, adeoque conſilia medica ſpreviſſet, miſeram egit vitam.

Joh. Schenckius lib. 4. p. mihi 717. ſimile quid de Joh. de Tornamira refert.

Quantum autem ad uteri vaginam attinet; Jam olim *Hippocrates 2. de morb. mulier*: vermes inſtar aſcaridum in pudendis fæmineis creſcere poſſe annotavit.

Rod. à Caſtro lib. 2. de morb. mulier. cap. 33. fol. mihi 345. de ſimilibus etiam vermiculis in uteri vagina agit, ut & *Nic. Guill. Beckers miſcell. med. phyſ. curioſ. Germ. decur.* I. *an.* 8. *obſ.* 75. *fol.* 121. de vetula quadam ſeptuaginta annos habente, quæ hoc vitio in intolerabilem labiorum pudendi, colli que uterini incidit pruritum, qui injectionibus ex abrotano in lacte, poſteaque ex abſynthio, & tanaceto cocto, magnam vermiculorum copiam ejicientibus tollebatur.

Garzias Lopius variar. med. lect. cap. 13. honeſtam ſe noviſſe ſcribit mulierem, quæ, è collo uteri magna vermiculorum ejecta copia, immenſo liberata fuerit dolore.

Hujuſmodi vermium etiam meminit *Mercatus de mulier. affect. lib. 2. cap. 28. fol. mihi* 342. dicens eoſdem æque in collo uteri, ac inteſtino recto generari poſſe, quia iſtæ viæ ſimilitudinem aliquam habent, nec non propter ſuperfluum illum viſcidum humorem, qui intra rugas, & oſ-

oſculum uteri quaſi agglutinatus eſt, & præſertim quidem ſi ipſi utero inſolitus obveniat ardor.

OBSERVATIO XXX.

Fœtus materno in corpore extra uterum repertus.

OBſervatione 66. tomi primi p. 287. exemplum quoddam dedi maturi fœtus, qui, perforato utero, parte inferiore, in cavum abdominis prominebat. Hic autem aliud fœtus toto corpore extra uterum in abdomine reperti exemplum exhibiturus ſum.

Anno 1683. die 3. Martii talem nobis videre licuit caſum, cum *Med. Chirurgus C. Solingius*, præſentibus *Medicis* clariſſimis *Kockio, Cabeliavio, & Schoon*, cadaver mulieris cujuſdam annorum 44. diſſecaret, quæ poſtquam antea quinquies, quamvis non ſine moleſtia, ſummiſque laboribus, teſte ipſo *Solingio* antè in auxilium vocato, peperiſſet, tandem partus doloribus victa deceſſit.

Diſſecto cadavere uſque adeo uteri fundum reperimus laceratum, ut fœtus te-

tenellus cum notabili funiculi umbilicalis portione in abdominis cavitatem ejectus eſſet, ubi haud dubie non ita diu decubuerat, ſiquidem tergum tantum cute denudatum eſſet, niſi forte quiſquam eum extra uterum aliquamdiu per funiculum umbilicalem nutritum ſtatuat. Verum id credi vix poteſt, quia propter ruptionem uteri magna ſanguinis ex ipſius ſubſtantiâ ſimul in illam cavitatem profluxerat quantitas, quo ſupra inteſtina veluti natans fortean fuit ſuffocatus.

Aquæ, uti nobis narrabatur, triduo quidem ante obitum effluxerant; os etiam uteri poſt mortem, adeo apertum, ut parvus in illud pugnus inſeri potuiſſet, conſpeximus.

IN OBSERVATIONEM XXX.

NOn minimum certe admirationis nobis attulit iſthæc uteri apertio, quam poſt mortem reperiebamus, ut & ejuſdem diſruptio. Cauſam autem præter ipſius fœtus fortitudinem, qui forſan minus recte in utero ſitus fuerat, nec non defectum aquarum, quæ mature nimis effluxerant, non invenimus. Huc forſan accedebat tenuitas ſubſtantiæ uteri. Hæc enim quo magis

in-

increſcente fætu expanditur, non fit tandem craſſior, uti quidem primarii fere omnes judicant Anatomici, quos inter *Laurentius*, *Riolanus*, *Bartholinus* ſunt. Ipſe enim contrarium ſæpius in mulieribus obſervavi, quæ turgido objerant utero, ita ut craſſities ejus ſubſtantiæ ultimis geſtationis menſibus ob magnam expanſionem decreſcat, ac idcirco uterus eo tempore maxime ſit imbecillis; uti recte *Galenus cap.* 8. *de anatom. uteri* his notavit verbis.

Jam vero vulva in principio conceptus craſſa, cum prope tempus accedit, major quidem, ſed tenuis evadit. Craſſities enim in longitudinem extenſa abſumitur: in reliquo intercedente tempore, pro ratione magnitudinis, craſſitiem habet. Et *cap.* 14. *lib. de uſu part. Tenuiſſimæ enim*, inquit, *omnino matrices ſunt, quo tempore gerunt, nempe quod profunditas in longitudinem ſit abſumta, eoque imbecillimæ.*

Idem teſtatur *Avicenna lib.* 3. *fol.* 21. *tract.* 1. *cap.* 1. *Matrix*, ait *attenuatur cum magnitudine Embryonis, & dilatatio eſt ſecundum dilatationem corporis Embryonis.*

Eandem etiam fovet opinionem *Ætius tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 1., qui expanſionem uteri tempore graviditatis comparat expanſioni veſicæ, dicens: *Ubi vero fœtus adolevit, ac pariendi tempus adeſt, tenuiſſimus evadit uterus, attenuatur autem, veluti veſicæ aqua repletæ ſolent, craſſitudine in latitudinem abeunte.*

Rum-

Rumpitur uterus, ſi tenuior reddatur, quod fieri poteſt à nimia diſtenſione. Fortioribus pellentibus aſſumtis, idem in puerpera ſe obſervaſſe dicit *Salmuthus centur.* 1. *obſ.* 16. *fol.* 12.

Teſtatur *Fr. Mauricæus lib. de prægnantibus, & puerperis cap.* 4. *fol. mihi* 13. ſe idem ſæpius fuiſſe expertum, redditque rationem *pag.* 15. cur illâ in re decepti fuerint veteres: quod ſcilicet aliorum tantum dictis fiderent. Illi autem in hujus opinionis confirmationem dixerunt in mulierum immediatè poſt partum mortuarum diſſectione ſubſtantiam uteri digitum unum, aut alterum latum craſſam ſe reperiſſe, nec non uteri ſubſtantiam valde craſſam in aliis mulieribus, quæ fœtum nondum exploſerint, vidiſſe; cum tamen ulterius in iſtius phænomeni cauſam non inquiſiverint. Sed etiamſi uterus poſt partum adeo craſſus repertus fuiſſet, non tamen eandem dicendus eſt habuiſſe craſſitiem, dum infantem, ejuſque aquas cum placentâ contineret, quæ magnam produxerunt expanſionem, diſtenſionemque. Illam enim acquirit craſſitiem ex contractione, & collapſu prius expanſæ ſubſtantiæ, quæ mox poſt partum contingit.

Nonnunquam, autem infantes novem menſes geſtati, occluſo tranſitu, præternaturalem quærunt viam, ut vinculis, clauſtriſque exeant, ſi internum uteri os matris, infantiſque conatibus non ſatis aperitur, ſufficienſve ſpatium (ut vulgo in partu contingit) ad exeundum reddit, quod

fit

ſit, quia vel interno uteri in ore prominentia, vel excreſcentia quædam carnoſa, ulcuſve, aut tumor quidam durus, ſcirrhoſuſve obeſt, vel quod anguſtum nimis illud os, maleve ſit uterus conformatus, quo caſu infans (præſertim quando robuſtus, & ſanus eſt) ex utero in cavum abdominis prorumpit.

De non diſſimili caſu *P. Salmuthus obſ.* 16. *centur.* 1. *fol.* 12. agit, ubi fœtus uterum ad ilion dextrum prope cervicem ad dimidiæ ſpithamæ longitudinem perruperat, brachiumque dextrum pridie exertum retraxerat, quod poſtea putridum fœtenſque reperiebatur.

Joh. Fauſſius, ut habent *miſcellan. med. phyſ. German. decur.* 2. *an.* 2. *fol.* 434. etiam uterum laceratum obſervavit.

G. Fabrit. Hildanus centur. 1. *obſ. Chir.* 64. ſe fœminam ſecuiſſe ait puerperio mortuam, in qua matrix lacerata, caputque infantis in lævam ventris capacitatem demiſſum reperiebatur.

Mirabilem cervicis uteri perruptionem vide apud *Plazzonum lib.* 2. *de part: generationis cap.* 14.

Plura *Jacob. Guillemaus lib.* 2. *de puerperio cap.* 13. *fol. mihi* 319. nec non *C. Solingius obſ. peculiar. de mulier. & infantibus fol.* 26. ut & *Embryulciæ fol.* 39. *&c.* exempla adducunt, qualia nos quoque *Scholio ad obſ:* 66. *tom: prim. pag:* 288. *& ſeqq.*

Nonnulli etiam fœtum in cavitate ventris extra ute-

uterum, etiamſi non laceratum, vel diſruptum, repertum fuiſſe tradunt.

Ita memorat *D. de Monconnys tom. 2. itiner. Ital. p.* 450. in mulieris cujuſdam, Aurelianenſi in Noſocomio diſſectæ, quæ poſt multos dolores, irritoſque in pariendo conatus obierat, cavitate abdominis inter uterum, & inteſtinum rectum fœtum optime ſe habentem, illæſâ matrice, repertum fuiſſe, utut non diu matri ſuperſtitem.

Nota eſt fœtus lapidei *Muſſipontani* hiſtoria, quam vide apud *Thom. Bartholinum centur.* 4. *epiſt.* 58. *fol.* 368. *& ſeqq.* nec non *de partus inſolit. viis cap.* 11. *fol.* 74. *&c.* ut & *Anth. Deuſing.* hic autem fœtus in abdomine mulieris cujuſdam, anno 1659. illæſo utero, repertus eſt.

De puero nullo apparente ulcere, aut cicatrice, in civitate Burgundiæ *Dolenſi* extra uterum, anno 1661. reperto tractatum edidit celeberrimus Vir *Arnold: Senguerdius* Philoſophiæ Profeſſor in Academia Lugd. Batav., cujus infantis involucra omnia calculoſa, & cartilaginoſa erant, quibus diſſectis, humor ſeroſus cum fœtu effluebat, de quo etiam poſtea Profeſſor *Stephan. Willetus* Dolæ publice diſſeruit.

Ephemerid. Medicis German. Vratiſlaviæ typis editis affertur exemplum infantis rite conformati, in alvo matris extra matricem, inter inteſtinum rectum, & uterum reperti, quamquam in hoc neque ulcus, neque cicatrix animadverſa ſit.

De fœtu extra uterum *Tholoſæ* an. 1675 invento,

to, qui intra corpus per annos 25. permanſerat, mentionem facit *N. de Blegnii*, Regis Galliarum Chirurgus *Zod. Med. Gall. an.* 1. *obſ.* 9. *p.* 9.

Verum hi fœtus in abdomine matrum exiſtebant, quia tuba *Fallopiana* ovum minus recte comprehenderat, vel (ut volunt alii) ovum in tubæ ductu hæſerat, quo tandem diſtenſo, ruptoque, fœtus in cavum abdominis delabitur, teſte *G: Harvæo exercitat:* 65 *de generat. animal. pag: mihi* 428. Ubi tubas uterinas mulierum revera cornubus uteri cæterorum animalium proportione ſimiles ait; ut aliquando ex ſitu, connexione amplitudine, perforatione, ſimilitudine, atque officio patet: quemadmodum enim alia animalia (ut jam dictum eſt) ſemper in cornubus concipiunt; ita etiam mulier reperta eſt, quæ fœtum in cornu, ſive tubâ illâ gereret: ut doctiſſ. *Riolanus Anthropogr: lib:* 2 *cap:* 34. ab aliis obſervatum meminit, oculiſque conſpexit.

Idem teſtatur *Matth: Tilingius diſſertat. de fœtu Lutetiæ Pariſiorum an:* 1669 *extra uterum reperto ſect:* 2. § 13 *pag.* 99.

Joh: Riolanus dict: lib: cap: 35 *fol: mihi* 180. quatuor diverſa fœtuum in tubis mulierum repertorum adducit exempla.

Regn. etiam Graaffius tract: de mulier: org: generationi inſerv: fol: mihi 254. fœtus aliquando in cavitate abdominis inter inteſtina excreſcere ſtatuit: quatenus ſcilicet ova jam fœcunda è teſtibus extra tubarum cavitatem decidant, & à parti-

bus adiacentibus foveantur, & incrementum ſumant; donec tandem placentæ beneficio cum illis copulentur, ac perfectionem nanciſcantur.

Admiratione digna eſt illa uteri perforatio, cujus meminit *G: Fabrit: Hildanus reſponſ: ad epiſtolam M: Doringii fol*: 908. Ubi fœtum mortuum per umbilicum, ſuppuratione facta, exiiſſe, matremque, curatione recte inſtituta, integram recuperaſſe ſanitatem tradit.

Similem hiſtoriam, at diſſimili longe eventu, *Albucaſes Chirurgiæ part*: 2. *c*: 76. *fol: mihi* 221 habet: Mulierem, inquit, mortuum ventre gerentem fœtum, nihilominuſque imprægnatam vidi; ſed & hic interiit fœtus. Diu autem poſt mulieris umbilico abſceſſus accidit, è quo aperto, multum effluxit puris. Vocatus itaque diutius medicam illi præſtiti opem, quamquam non percurato ulcere. Admoto igitur attrahente emplaſtro os ex umbilico, aliudque poſt dies aliquot prodiit. Cum vero nulla in ventre reperiantur oſſa, attonitus ſteti: Quare illa mortui fœtus eſſe cogitavi. Poſt exactiorem autem inſpectionem non pauca eduxi oſſa, cum ſe melius haberet mulier. Remanente dein ulcere, parumque emittente puris, illa vixit.

Alex: Benedictus lib: 25 *cap*: 33 *fol: mihi* 997. Mirum, inquit, obiter exemplum referam cujuſdam Venetæ Matronæ, quæ cum, partum legitimum excluſiſſet, mortuus intra uterum manſit gemellorum alter, qui poſt magnos geni-

nitricis labores tabefactus fluore quodam per vulvam emiſſus eſt. E trium in ventre ortarum fiſtularum maximâ integra embryonis non ſine intuentium ſtupore educta eſt calvaria: ſingulis poſtea diebus reliqua prodierunt; Atque ita illa convaluit.

OBSERVATIO XXXI.

Impprægnatio, nullis unquam præviis menſtruis.

PRovidentiſſimus hominum Creator ita fœmineum condidit ſexum, ut, reliquis paribus, frigidioris ſit temperamenti, poriſque donetur anguſtioribus, quam virilis, unde majori ſanguinis fruitur copiâ, quam ad ſui ſuſtentationem indigeat, ut idem aliquando, poſtquam virum paſſa eſſet mulier, fœtus vivificationi neceſſarius foret è virginibus quovis menſe erupturus. Qua de re *obſ. præced.* 19. actum fuit.

Quamvis autem, quæ menſtruo non purgantur fluxu, ſteriles habeantur mulieres, aliquando tamen virgo quædam, vel mulier, nullis præviis menſtruis, concipit. Hoc autem ipſum in Sartoris cujuſdam Hagienſis uxore etiamnum

vivente animadverti. Hæc enim nullo unquam, nec extra, nec in matrimonio, menſtruo fatigata fluxu quotannis peperit, vitamque recte ſe habens tranſigit.

IN OBSERVATIONEM XXXI.

MUltiplices ſunt menſtruorum defectus cauſæ, multaque illum plerumque ſequuntur ſymptomata, de quibus hic loci non agemus dicturi tantum, cur mulieres quædam abſque ſanitatis detrimento illo fluxu carere queant.

Ratio eſt; quia propter fervidam, & ſiccam temperiem poroſque magis patulos, nec non magnos labores, ſanguinis hujus materia diſſipatur, & avolat: ut in laborioſis, robuſtiſque, vel etiam calidiores inhabitantibus regiones mulieribus monſtrat experientia, quæ nullo, vel minimo madent fluxu, quamvis materia hæcce ſive per narium hæmorrhagiam, ſive hæmorrhoides &c. exonerari queat. Ita tradit *Joh: Lerius Itinerar: Braſilienſi cap.* 17 *fol.* 240. ſe, qui per annum integrum in *America* vixerit, fœminas nullas menſtruis laborantes unquam conſpexiſſe, quas multo labore viros antecedere ſcribit.

„ Ego, inquit, crediderim fluxum illum „ ratione nobis ignota eas divertere. Puellas enim „ annos 12. natas vidi, quarum latus ab axilla ad

„ genu

„ genu uſque animalis cujuſdam dente acutiſſi-
„ mo ab matribus incideretur. Puellæ vero præ
„ ſummo dolore frendentes magnam cruoris co-
„ piam emittebant. Hoc illas remedio menſtrua
„ antevertere conjicio.

Idem etiam confirmat *Appianus l*: 2. *coſmogr*:
„ *cap*: 15. Sanguinem, inquit, è *mediis lum-*
„ *bis*, *genibuſque depromi ſinunt.*

F: *Platerus* etiam virgines, mulieresſque Braſilienſes abſque ullo fluxu quam maxime ſanas vivere tradit.

Ruſticas multas abſque fluxu iſto ſanas degere mulieres *Foreſtus*, ac *Horſtius* teſtantur.

Exempla quædam ad obſ: 78. tom: 1. p: 341 de quibuſdam mulieribus adduxi, quæ abſque menſtruo fluxu pepererint; quod ipſum etiam *Ariſtoteles lib*: 1. *de generat*: *animal*: *cap*. 19. indicavit.

Meminit *Rondeletius meth*: *curand*: *morb*: *cap*: 24. mulieris cujuſdam Montis Albani, quæ nunquam fluxum iſtum experta duodecim ediderit infantes.

Memorat *Laur. Joubertus popul. error. lib*. 2 *cap*. 1. fœminæ cujuſdam *Tholoſanæ*, quæ 18. infantes, tam maſculos, quam fœmellos abſque præviis menſtruis pepererat, ut & *H*: *Reuſnerus apud Velſchium obſ*. 99. *pag*. 55. de aliâ, quæ ſedecim infantes abſque illo fluxu in lucem protulerat.

Plures caſus videri poſſunt apud *Sennertum*

lib.6. prax. part. 2. ſect. 2. cap. 1. quæſt. 1. pag. mihi 232, Schenck: lib. 4. de conceptione, Marcell. Donat. lib. 4. de hiſtor. medic. admir. cap. 23. Guainer. tract. de ægritud. matricis cap. 21. Greg. Nymannum de vita fœtus in utero, Nicol. Florent. ſerm. 6. tract. 3. cap. 4, Bertinum lib. 4. med. cap. 6. fol: 61, Th. Bartholini centur. 4. hiſt. 37. fol. 309, Trincavell. lib. 10. cap. 3. de rat. cur. omnes humani oorp. affectus, Laz. Riverium pr. med. cap. 17, Joh. Rhod. cent: 3. obſ. 541, nec non *miſcell. med. phyſ. cur. Germ. dec. 1. an. 3. obſ. 265. fol. 479*, & *an. 6. obſ. 64, pag. 92.* Item *obſ. 159. pag. 224*, ut & *decur. 2. an. 1. obſ. 41. fol. 114.*

Braſſavolus comm. ad Aphor. Hippocratis 36. lib. 5. Novimus, inquit, *notæque ſunt hodie ruſticæ, quibus nunquam menſes fluxerint, quamvis ſanæ degant, & robuſtæ ſint, ac, (quod mirum) fœtus producant.*

Ut autem hæ detrimenti nihil, vel quod alicujus ſit momenti, præter cauſas modo recenſitas perpetiantur, ſanguinis bonitas, laudabiliſque viſcerum conſtitutio efficit.

Mirum autem eſt, quod de muliere quadam *Ephemerides German: curioſ. decur. 1 an. 3. obſ. 348.* memorant, quæ non, niſi imprægnata menſtrua emittebat. Fluxus autem ille certum exhibebat conceptionis ſignum. Hinc patet (uti etiam monuimus *Schol. ad obſ. 76. tom. 1. fol. 333*) *Aph. Hippocratis ſexageſimum ſect. 5.* exceptionem pati

pati. Quare de eo intelligi debet fluxu menſtruo, qui fit ut plurimum, & cum vehementia. Nec nocere poteſt mulieri fluxus menſtruus, ſi non proveniat ille è cavo uteri, ſi enim manat è vaſis, quæ in collo uteri ſunt, nullum eſt abortus periculum, ſi vero è cavo uteri ob externas, internaſve evidentes cauſas tom. 1. memoratas, idoneis ſiſti nequeat remediis, quamprimum procurandus eſt obſtetrici partus, aut certo morietur cum matre infans. Atque hoc quidem caſu verus eſt Hippocratis Aphoriſmus.

Monitos itaque Veneris nepotulos, puellaſque audaculas velim, ne ſi forte menſtruus non appareat liquor, furta latitura putent. Quàm enim decipi queant, adjecta abunde oſtendunt exempla. Ita etiam virguncularum meminit *Ludov: Mercatus*, quæ viris ante fluxus illius adventum traditæ conceperint, ſatiſque apparuerint fœcundæ.

OBSERVATIO XXXII.

Fœtus humanus abſque umbilico editus.

TOt inauditas inſolitaſque videmus indies, & ubique fere terrarum, monſtrorum, & defectuum circa hominis efformationem figuras, quas præcipue

obſervant, qui ſedulam Medicinæ, & Chirurgiæ navant operam, ut non immerito in ſummam quandoque rapiamur admirationem.

Varia inter exempla quoddam non ita pridem habuimus Hagæ-Comitum An. 1683. nundinarum tempore. Conſpiciendus exhibebatur maſculus quidam infans anni unius cum tribus menſibus, qui hîc Hagæ à tenuioris fortunæ parentibus Anni 1682. menſe Februario natus erat. Hic uterinis carceribus ſolutus in lucem ſine ullo, imò ne minimo quidem funiculi umbilicalis indicio prodibat, quem idcirco obſtetrix in partu à ventre ſeparare neceſſe non habuit. Deerat etiam umbilicus; ejus autem loco in hypogaſtrio circa pubem lata quædam, rotundaque, ac rubra, nec non tenuiſſimâ pelliculâ obducta macula apparebat, nummi, quem Solidum vocamus, magnitudine; intra cujus circumferentiam duæ conſpiciebantur papillulæ, ſeu aquæ ductus, latum digitum ab invicem diſtantes, per quos urina reddebatur. Ipſe autem infans parvo admodum donabatur ſcroto, quod duos continebat teſticulos;

pene

tab:4

fig:1




fig:2



pene tamen omnino carebat, quantum quidem conſpicere licebat. Ita ut nihil, niſi penis glans præputio denudata, nec perforata, ventrem verſus cum ipſo frænulo inverſa ſupra ſcrotum appareret, eodem, plane modo, quem Tabulâ quartâ fol. 329. videre eſt. Hic autem infans trimulus ad plures abiit. Primæ fig. A. latam illam, & rubram maculam in hypogaſtrio, B. B. duas papillulas, per quas reddebatur urina, C. C. inverſam, denudatam, & imperforatam glandem. D. inverſæ glandis frænulum oſtendunt. Secundæ Fig. A. eandem maculam in hypograſtrio. B. B. deſcriptas papillulas, C. glandem penis monſtrant.

IN OBSERVATIONEM XXXII.

UT autem major nobis hac in re habeatur fides, adjiciemus & deficientis umbilici exemplum, quod habent *Ephemerides Gallicæ an.* 1673. *fol.* 69. duodecimâ conventione. Ubi *D: Chatton* Chirurgus Montargenſis epiſt. quadam ad *D. Dionyſium* ita ſcribit:

Octavo decimo Octobris Anno 1673. partus promovendi gratia ad mulierem quadragenariam vocatus fui. Excluſo fœtu, nullum apparere

 funi-

funiculum umbilicalem ſtupui, cui plerumque fœtus alligantur. Mox itaque in ipſum inquiſivi infantis umbilicum, quem eodem plane modo ſe habere reperi, quo in trium quidem hebdomadarum infante eſſe ſolet, ita ut eundem deligare non fuerit neceſſe.

Poſtquam igitur obſtetricis curæ fœtum reliquiſſem, diligenter in ſecundinas inquiſivi, quæ funiculo attractæ ſolitas habere videbantur dimenſiones, tam quantum ad longitudinem, quam latitudinem; rotunda autem placentæ verſus illam partem, qua fœtum reſpicit, erat figura. In medio rotunditatis globulus quidam carneus magnitudine ſeminis cannabini reperiebatur ſimilis plane globulis, qui in extremitate vaſorum ſanguiferorum, poſtquam abſciſſa fuerunt, conſolidatorum exiſtunt. Ne guttam quidem ſanguinis deprehendebam, nec circa funiculum, nec ipſum circa umbilicum. Vivit etiamnum idem infans ſucco, & ſanguine validus, non minus, quam ipſa mater. Hæc mihi ſe ſecundum ſolitum numerandi ordinem jam ante tres hebdomadas partus tempus adeſſe credidiſſe, totoque geſtationis tempore multò, quam ante, melius ſe habuiſſe, nullumque plane ultimæ hujus geſtationis tempore ſymptoma ſibi accidiſſe retulit.

Si vero (ita pergit idem) ad illam extremitatis funiculi tam verſus ſecundinas, quam verſus umbilicum attenderis deſcriptionem, facile conce-

cedes jam dudum præterlapſum fuiſſe aliquod tempus, à quo funiculus iſte ab ipſius fœtus ventre ſeparatus fuerit: idcirco autem hic plane ſtupeo neſcius præter umbilicum reperire vias, per quas fœtus in utero nutrimentum capiat, reſpiretque.

Non immerito equidem circa hunc caſum obſtupuit *D, Chatton*, ignoravitque tum temporis, quomodo infans abſque funiculo umbilicali nutriri, ac reſpirare potuerit.

Quantum ad nutritionis, reſpirationiſque materno in utero functiones, jamdudum plurima conſcripta, & ventilata ſunt, liſque etiamnum ſub judice eſt.

Hiſce tamen duobus caſibus evidens eſt præter vaſa umbilicalia aliam etiam neceſſario dari viam, per quam fœtus in utero non nutriatur tantum, ſed & aliquatenus reſpiret.

Quamvis autem nodo huic Gordio ſolvendo impar ſim, meam tamen proferre opinionem non vereor, fœtumque non per vaſa umbilicalia tantum, ſed & (imo potiſſimum quidem) ipſum per os nutriri, ac reſpirare aſſeram. Hæc autem quæ probent, non graves deſunt rationes.

Quantum itaque primo ad nutritionem fœtus per os attinet, aſſumo tanquam axioma quoddam: Ubicunque notabilis aliqua datur cavitas, vel apertura, cujus interior circumferentia, vel interna latera ſunt mollia, cauſa etiam quædam ma-

materialis exiſtit, quæ cavitatem illam conſervet; alias enim latera illa omnino coïrent,& in ſolidum aliquod corpus coaleſcerent; quod evidenter in deligatis vaſis umbilicalibus recens natorum infantum, in foramine ovali, & altero oblongo cordis patet, quæ coaleſcunt, quia cauſa diſtendens ſublata, & aliovorſum tranſlata eſt, ita ut ſummo jure dicatur tempore geſtationis neceſſario in ventriculum aliquid influxiſſe, quod cavitatem conſervarit, quod haud dubie præſtitit humor ille, qui ex lymphaticis, ſive ſalivalibus proſiliit vaſis, vel præcipue ille, cui intra membranas uteri fœtus innatat, qui multis, celeberrimiſque viris nutritius habetur.

Legatur *G: Harvæus de generat: Animalium, Joh: Rogerſius diſceptat: med:, Courvæus lib: de nutrit. fœtus, Caſp: Bartholinus exercit. anat. pag.* 17. *Franc. Bayle tract: de uſu lactis ad tabidos reficiendos, Charleton œconomia anim: fol:* 165. *Regn. de Graef de mulier: organ: generat: inſerv. cap.* 15. *fol.* 278. *And. Laurentius Anatom: fol:* 315. *Deuſingius geneſi microcoſmi, Thom. Bartholinus Anatom: nova, Wedelii phyſiol., Velthuſius tract. de generat., Alex. Maurocordatus, Olaus Rudbeck, Zypæus, Anth: Everhardus, Math: Sladus, Majouw, Thruſton, Needham,* &c.

Adde, quod exterior oris pars in fœtu, rima ſcilicet labiorum, ut & œſophagus, larynxque re quadam, qua aperta maneant, indigeant.

Hæc autem (meo quidem judicio) nulla alia eſt, quam illi liquores, nempe ſaliva, & humor, cui innatat fœtus; quæ ſalivæ materia per ipſas arteriolas in ſalivales glandulas trajecta, & in iiſdem ſequeſtrata, ac per earum canales ad oris cavitatem deducta permanere nequit, ſed neceſſario muſculorum linguæ motu verſus inferiora depreſſa ad ventriculum, & inteſtina tranſit; quemadmodum ipſa monſtrat experientia, nec non motuum indicat ratio.

Si etiam nihil per os ad ventriculum, & inde ad inteſtina embryonis deſcenderet, unde quæſo, efformarentur, & in ſtatu ſuo conſervarentur vaſa lactea, ut tenuior chyli portio ex ventriculo, & inteſtinis deveniens ad ſanguinem propelli, & trajici poſſet, dum interea craſſior pars in inteſtinis collecta meconium producit, ſive nigras illas fœtus fœces, quæ poſt partum per intervalla tandem excernuntur?

Ut autem commodior ſucco nutritio per Oeſophagum in ventriculum foret tranſitus, epiglottis laryngis rimulæ, ſive glottidi embryonum naturaliter aliquo modo eſt agglutinata, mollis enim hæc, neque cartilaginea nondum natis eſt, quibus poſt nativitatem vi aëris à glottide reſilit, duritiemque reſpiratione ſenſim acquirit.

Ut autem uberius fœtum per os nutriri demonſtrem, adduci poteſt & hoc, quod ad trigeſimum, aut quadrageſimum diem uſque (licet *Harvæus* *exer-*

exercitat. 56. *de generat. Animal. fol.* 363. per trium menſium ſpatium vix rudimentum aliquod placentæ conſpici ſcribat) nuſpiam aliquam connexionem, aut communionem habeat cum ipſa matre, non certe magis quam ovum ventre gallinæ circumvallatum, quod etiam confirmat idem *Harvæus d: lib. exercitat.* 69. *pag.* 449. ubi in ove fœtum, qui tunc temporis perfectus erat, & pollicem fere longus, ad tempus illud uſque, nuſpiam cornibus uteri alligatum, orificiaque vaſorum umbilicalium intra colliquamentum uteri, tunicarumque inſerta, ac terminata ſe conſpexiſſe ſcribit.

Hippocrat: de nat: pueri ſect: 3. *pag:* 245. *Quæ fœtum*, inquit, *ſuſtinent membranæ ex umbilico prodeunt*; & paulo poſt: *eodem modo, ac in ovo, ex umbilico membranæ protenduntur.*

H: Fabrit. ab Aquapendente de formato fœtu part. 1. *cap.* 3. *fol.* 5. Simile quid de quibuſdam affirmat brutis, præſertim de ſcropharum, equarumque fœtibus, quibus ille nullas carunculas, ſive colliculos carneos, nullam placentam, nulla etiam vaſa umbilicalia, quorum ope cornibus annectantur, eſſe refert. Hos etiam ad tempus excluſionis uſque ab humore intra uterum concluſo nutriri, nullibique cornibus annecti aſſerit. Idem teſtatur *Harvæus lib. de generat. Animal. exercitat.* 70. *fol.* 462, & 541 *exercitat. de uteri membranis*, nec non *Anthon. Deuſingius Geneſ.*
Mi-

Microcoſmi fol. 150, *G: Needham fol.* 29, *M. Tilingius de Placenta uteri fol.* 335. *&c.*, ut & *Regn. de Graef de mulier: org: fol:* 295. Siquidem ergo brutorum fœtus nec ſubſiſtere, nec ſuſtentari queunt, nutrimento, quod utero tantum ingenitum eſt, ut ſtatuit *Harvæus exercitat.* 70. *fol.* 462, quoniam illa animalia (præſertim pullus equinus, qui valde magnus ex utero prodit) eminentis magnitudinis conceptum, ſive ovum, & per conſequens magnam humoris hujus quo alantur, copiam requirunt, ſiquidem etiam tanta nutrimenti copia ſimul, & ſemel (uti alias in ovis contingit) in iis animalibus non exiſtit, ut inde intra uterum ſubſiſtant, & quoniam denique hiſce animalibus nec per placentam, nec etiam per vaſa umbilicalia, uteri vaſis unita quidquam affertur alimenti, certe, cum alius nutritionis modus deſit, per os nutriantur, neceſſe eſt, quemadmodum è chylo quoque, qui in eorum ventriculis, etiam quando nondum ad debitum tempus geſtata ſunt, reperitur, conſtat. Hac autem de re prolixius ſequentibus agemus.

Fœtum etiam intra uterum nutrimentum, ſimulac chylificationi inſervientia organa ſunt efformata per os admittere, jam olim *Hippocratis* tempore dictum reperio. Ipſe enim *lib. de carnibus ſect:* 3. *fol:* 350. *Puer vero*, inquit, *in utero comprimens labia ſugit ex utero Matris, & attrahit nutrimentum.* Ac *lib. de natura pueri ſect.* 3. *fol:*

fol. mihi 241. *Tendunt enim*, ait, *& in mammas, & in uteros venulæ hæ* (ſcilicet quæ quod in cibo, & potu eſt pinguiſſimum, & dulciſſimum, con-continent) *& conſimiles aliæ; & ubi pervenerit ad uterum lactis formam habet, eoque puer fruitur*; ſed poſtea eodem lib. fol. 246. *Fœtui grandiori alimentum, & augmentum, quod à matre deſcendit, non amplius ſufficiens eſt, trahit enim ad ſe, quod dulciſſimum eſt in ſanguine, ſimulque aliquantula lactis portione fruitur.*

Nec diſſentit *Galenus*, qui *lib.* an *animal ſit id, quod in utero eſt?* *cap.* 3. *Fœtus*, inquit, *in utero matris exiſtens eaſdem habet functiones, quas poſtea in lucem editus demonſtrat, ſcilicet ſugit, deglutit, reſpirat*, &c. & *eodem lib. cap.* 5. *Ne igitur fœtus, qui vivificantur, animari diffidamus: neque enim hi poſt partum proprias operas ab aliquo diſcunt, ſed uteris contenti devorant, coquuntque, ac expurgant diſtributum alimentum, apponuntque, quod purgatum eſt, ac ſupervacuum depellunt; ut poſtquam in lucem prodierint, quod ſupervacuum eſt, excernant.*

Convenit *Democriti, & Epicuri*, teſte *Plutarcho lib.* 5. *de placitis Philoſophorum cap.* 16. ſententia; ſtatuunt enim & illi per os nutriri fœtum.

Plato etiam *Timæo* fœtum lacte nutriri ait.

Ariſtoteles lib. 4. *de generat. animalium c.* 8. ſub finem, quando, ait, fœtui propter magnitudi-

tudinem non eſt ſufficiens nutrimentum illud, quod affertur per umbilicum, accipit lac in alimentum. Quibus verbis denotat ante partum id contingere, ut clare ex ſequentibus, *& quando per umbilicum nullum amplius tranſit nutrimentum, &c.* patet.

Spreta autem diu fuit *Hippocratis* doctrina, quod præcedentibus ſeculis rationi minus videretur eſſe conſentanea: poſteriori autem hoc ævo reperti ſunt, qui ejus ſententiam validis confirmarint rationibus, quos inter familiam ducit *G. Harvæus*, qui *Hippocratis* veſtigia premens duplicem pro nutritione fœtus viam agnovit, per umbilicalia videlicet vaſa, atque os. Verumenimvero in hoc differt *Harvæus* ab *Hippocrate*, quod loco ſanguinis menſtrui, albugineum ad nutritionem ſubſtituat alimentum, teſteturque ſe per multiplicem, ac continuam cervarum, damarumque anatomiam diverſis temporibus inſtitutam iſthæc inveniſſe.

Rationes autem quibus in hypotheſeos ſuæ confirmationem uſus eſt *Hippocrates*, tum ab excrementis in recens nati infantis inteſtinis latentibus, tum à ſugendi deſumtæ ſunt notitiâ.

Lib. enim *de carnibus ſect.* 3. *fol. mihi* 250. Quod ſi quis roget, inquit, unde puerum in utero ſugere ſciamus, hoc illi reſpondere licet: Pueri, cum in lucem prodeunt, ſtercus in inteſtinis habere conſpiciuntur, & ſimul ac in lucem editi ſunt, tum homines, tum pecora, id iis

per ventrem ſecedit. Atqui neque ſtercus haberet, niſi in utero ſugeret, neque, ut primum puer natus eſt, ubera ſugere noſſet, niſi in utero ſuxiſſet.

Harvæus exercitat. 58. *pag. mihi* 886. Velut pullus, & alia animalia liquori intra ovum innatantia os aperiunt, ut humoris portionem aſſumant, ita etiam per os ſugere fœtum ſcribit: Quamprimum enim aliquam nanciſcitur perfectionem, membra protinus movet, & ſiquidem alios commovet muſculos, quid ni etiam oris, & œſophagi organis ad liquorem illum intromittendum uteretur?

Fœtum autem in utero materno ſugere vel hinc liquet, quod ſi in recens editi fœtus os inſeratur digitus, illico deprehendatur ſugere, imo obſervatus eſt fœtus ipſo tempore partus, antequam lacrymari, vel recte reſpirare potuit digitum in os inſertum attraxiſſe, quod in vitulis nondum omnino editis experiri licet.

Fœtum inſuper recens natum longe melius, quam adultum hominem ſugere, rectiuſque multo labiis papillam amplecti, videmus.

Si itaque per os nihil unquam antea in utero materno in ventriculum admiſiſſet, non poſſet equidem, meo judicio, immediate poſt partum chylificationis, cui non adſuevit, producere functionem, imo non ſine ſummo periculo tam ſubitaneam ferret mutationem fœtus, ſi in utero per ſolum nutritus umbilicum mox in lucem editus lacte aleretur. Fœtum

Fœtum in utero per os nutriri etiam liquet ex ſubſtantiâ, quæ in œſophago ejus, ventriculoque reperitur, nec quantum ad colorem, ſaporemve, ac conſiſtentiam à liquore cui ille innatat, differt, quæque in ventriculo aliquantulum cocta lac coagulatum refert. Hæc etiam chyli ſpecie in primis inteſtinis deprehenditur, dum inferiora excrementis referta ſunt ſtercoraceis.

R. Graeffius lib. de mulier. organ generat. inſervient. fol. 187. *Invenimus*, inquit, *in duodeno inteſtino talem liquorem, qualem in ventriculo, præterquam quod ob affuſam bilem aliqualiter ad viridem vergeret colorem, & quo magis deſcenderet, eò magis incraſſaretur, albumque ſuum colorem exueret; ita ut in craſſis tandem inteſtinis alvinarum fæcum conſiſtentiam acquirat: quæ lenta liquoris immutatio fœtum per os nutriri ſatis indicat.*

Quin etiam multi recens nati infantes lacteum nutrimentum ante evomuerunt, quam mammas ſuxerint, aut aliud quicquam extra corpus matris aſſumpſerint, quod certe ventriculis eorum ineſſe nequivit, niſi intra uterum admiſſum fuerit.

Hac de re *Iſbr. de Diemerbroeck Anat. lib.* 1 *cap.* 30. *fol. mihi* 365. ſe clarum in filiola ſua habuiſſe exemplum dicit, horam circiter unam poſt partum abſolutum, magnam lactis quantitatem multis admirantibus mulieribus (nondum enim aliquid per os extra uterum acceperat) evomen-

te. *Anthon.* etiam *Everhardus* abortum quendam 28. hebdomadum in lucem editum plurimum ſeroſi lactis vomitu rejeciſſe teſtatur, quamquam nè hilum quidem extra uterum aſſumpſiſſet.

G. Harvæus, aliique circa tertium, quartumque geſtationis menſem in embryonum ventriculis chylum inſtar albuminis ovi, ſubſtantiæ, cui innatabant, non abſimilem invenerunt: Idem aſſerit *Joh. Veſlingius Syntagm. Anatom. cap.* 8. In ventriculis quoque, tenuibuſque embryonum animalium inteſtinis materia quædam reperitur, quæ tam quantum ad colorem, quam ſaporem, ac conſiſtentiam omnino liquori, cui innatant, ſimilis eſt, teſte *Harvæo exercitat.* 58, *fol.* 306.

Non levis certe ponderis demonſtratio ex *Hippocratis*, quæ de fœcibus, ſive meconio, quod in infimis recens natorum reperitur inteſtinis, deſumuntur, petitur argumentis. Certum enim ad chylificationis in ventriculo peractæ ſignum eſt. Negare equidem nolim ad productionem meconii inteſtinorum multum etiam alios humores, ſalivam bilem, ſuccumque pancreaticum conferre, ab hujuſmodi autem materiarum (& ſpeciatim ſucci pancreatici) commixtione hancce provenire nigredinem, vix eſt, ut credam: Si enim hæc ab illo, aut à bile in inteſtina embryonum immiſſis oriretur, multo magis in adultis animadverteretur, quibus humorum ſe-

cre-

cretio, propter majorem nutrimenti uſum, copioſior, nec non humores acriores, ideoque ad tingendum aptiores ſunt. Certum etiam eſſet ſuccum pancreaticum, ſi nigredinis meconii cauſa eſſet, ex particulis acidis, auſteriſque conſtare, quales tamen in hoc embryonum non obſervantur ſucco, ſaporis enim iſle eſt expers; quapropter libentius ego hujuſmodi nigredinem diutinâ meconii in inteſtinis morâ ortam crediderim. Illud enim in quatuor, aut quinque menſium embryonibus viridiuſculum, in trium vero menſium fœtibus flaveſcens repertum eſt.

Verum quidem eſſe poterit embryonum meconium pedetentim nigrum evadere ex eo, quod bilis intra veſiculam felleam nigra vulgo conſpiciatur, quia propter externæ, liberæque inſpirationis aëris defectum paucas in ſe particulas habet nitroſas, quæ alias non tantum bilem flavam, ſed & totam maſſam ſanguineam, quæ nigrior in embryonibus apparet, intenſè rubram reddere poteſt: Ita ut bilis iſtius nigricantis embryonum parva quantitas per vices in duodenum ejecta chylo, & fœcibus, quæ poſtea ſequeſtrantur, nigriuſculam meconii producat tincturam.

Harvæus quoque *exercitat.* 58. *fol.* 387. in viviparorum fœtibus inteſtina craſſiora conſimili excremento repleri, quali lacte veſcentia abundare cernuntur, nec non in ovibus, aliiſque biſulcis ſcybala reperta eſſe ait. Ibidem etiam circa diem ſeptimum decimum in pullo prope anum

 ſter-

ſtercora evidenter ſeſe reperiſſe, eademque foras intra ſecundinas egeſta paulo ante partum ſe conſpicatum ſcribit. Quod & *Volcherus Coiter*, *& Carpus* obſervarunt.

Coronidis loco ſubjungam in embryonibus non tantum humanis, ſed & brutis, oculos exiſtere clauſos, & ſub palpebris firmiter admodum ſibi adhærentibus occultos, verum ex adverſo labia ſeparata, oſque (etiam tunc, cum embryonum vix diſcerni poſſunt rudimenta) apertum conſpici, uti etiam *G. Harvæus exercit.* 56. *pag.* 372. & *exercit.* 69. *pag.* 450. notat.

In fœtubus etiam, qui ex utero prodeunt mortui, inter maxillas lingua nonnihil prominens obſervatur, unde illos in utero equorum, boumque more, liquorem, cui innatant, alentem hauſiſſe ſtatuimus; præſertim cum etiam ejuſmodi quandoque liquor, quamvis craſſior paulo, ex eorum oribus, annotante *Anth. Everhardo pag.* 163, poſt partum eductus ſit. Denique tam ex noſtra, quam D. *Chatton* obſervatione neceſſario aliam præter umbilicum exiſtere viam, per quam fœtus in utero alimentum accipiat, liquet.

Ruſtici occluſo, & conſolidato umbilico in lucem prodire vitulos, ac etiamſi umbilicalis funiculi portio quædam ventri in partu adhæreat, ne guttulam quidem ſanguinis inde vel fortiori digitorum compreſſione elici affirmant.

Hæ

Hæ itaque rationes meridiano ſole clarius in utero etiam per os nutriri fœtum demonſtrant.

Nonnulli autem forte liquorem, cui fœtus innatat, non nutritium, ſed excrementitium, ſive ex urina, & ſudore conflatum dicent.

Hunc autem non eſſe urinam hinc liquet, quod fœtus in utero non mingat: Ejus enim veſica, ſexto, ſeptimove, aut octavo menſe aperta urinâ ſemper reperiter plena, ita ut *Joh. Riolanus hiſt. anat. fœtus humani cap. ult. fol. mihi* 410. veſicam in fœtu ter ipſo ventriculo majorem dicat, quod & confirmare videtur *Joh. Veſlingius Syntagm. anat. cap.* 8. *fol. m.* 21. ubi veſicam multo lotio diſtentam, nec non ureteres in fœtibus amplos admodum reperiri ait, ut &, neceſſitate urgente, urinæ retinendæ inſerviant.

Statuerunt *B. Euſtachius*, & *Conſt. Varolius* omnem in veſica colligi, ibidemque uſque ad partum conſervari urinam; quam etiam opinionem *Goth. Moebius fundam. medic. phyſiol. cap.* 20. *fol. m.* 565. nec non *Anth. Everhardus p.* 186. *& ſeqq.* fovent. *Platerus* quoque, *Vigierius*, *Gaſſendus*, & *Sebiſius* non per urethram, ſed per urachum urinam reddi dixere. *D. Steph. Blankardus Anat. Reform. fol.* 478. fœtus urinam è veſica in placentam excerni, ſicque intra uterum ſuſceptam tandem per matris veſicam expelli credit.

Fœtus autem veſicam ſatis eſſe magnam quæ omnem urinam geſtationis tempore collectam

capiat, veroſimile admodum putem, propter ipſius enim nutrimenti puritatem parum producitur excrementi, non plus certe, quam partibus iſti uſui deſtinatis contineri queat. Si enim fœtus intra uterum tantum urinæ exoneraret indies, quantum extra illum, certe nec veſica, nec uterus illam caperent.

Quo pacto autem liquor ille urina dici poſſet, cum, renibus, veſicâque fœtus nondum abſolutis, nec ullo, vel minimo certe ejus apparente rudimento, in membranis reperiatur.

Accedit, quod, quò major evadit fœtus eo magis, quicquid id eſt liquoris imminuatur, quod profectò non fieret, ſi urina, vel ſudor eſſet, quemadmodum *exercitat. 56. fol.* 366. & 58. *fol.* 382. indicat *Harvæus.*

Liquor etiam ille in quovis animalium reperitur genere, imo etiam in illis quæ nunquam aut mingunt, aut ſudant, teſte eodem, *exercitat. de humoribus uteri* 656.

Si liquor iſte in uterum è veſica deplueret, ſalſus, acer, ſaporis, odoriſque mali eſſet, unde non tenella tantum fœtus læderetur cutis, ſed & tenuis illa membrana amnion eroderetur, uti clare in infantibus, ubi diutius paulo lotio madidis inhæſere linteis, liquet.

Certum enim eſt urinam extra veſicam ſtagnantem non ſolum acrem reddi, ſed & putreſcere tandem, cum intra veſicam, quod naturali contineatur loco, non putreſcat. Ita alii etiam corporis

poris humores, ut & ſanguis, intra vaſa ſua non putreſcunt, extravaſati vero ín peregrinum quendam locum, putrefactioni ſunt obnoxii. Si etiam liquor ille non eſſet boni ſaporis, odoriſque, revera eundem tam avide non abſorberent vivipara, nec etiam fœtus recens natos delingendo purgarent.

Ulteriori demonſtrationi ſequens etiam inſervit experimentum. Liquor enim ille in cochleari vivis impoſitus carbonibus, humidiore portione parumper avolante, glutinoſus mox, ac gelatinæ adinſtar craſſus evadit, quod urinæ nunquam contingit. Ita *Rolfincius lib.* 4. *cap.* 32. *diſſert. anatom. fol. m.* 1192. ſe liquorem, cui fœtus innatabat, lente coxiſſe, quo tenuior avolaret portiuncula, & relictam fuiſſe craſſiorem inſtar gelatinæ partem dicat, quam, quantum ad ſaporem, minime ingratam, nec ſalſam, nec urinoſam fuiſſe aſſerit, certo indicio eam non excrementum quoddam ex urina, & ſudore eſſe.

Theod. Aldes diſſert. epiſt. fol. 10. liquorem, qui amnio contineri ſolet, igni impoſitum (Hydropicorum tamen excipit liquorem) coagulari, & abſque multâ aliarum particularum exhalatione concreſcere ſcribit.

Si liquor ille urina foret, fœtus, juxta noſtram hypotheſin, eam deglutiret, quod a veritate alieniſſimum eſt, urina enim nutrire neſcia fœtui noceret.

Denique, ſi fœtus intra uterum per urethram

mingere cogeretur, quî, quæſo, actio illa in aliis, quibus urethra (ut in noſtra obſervatione) omnino impervia, ac clauſa eſt, procederet?

Liquorem autem intra amnium contentum non eſſe ſudorem probaveris, quod tenellus adeo, imperfectuſque fœtus ſudare nequeat, cum nec ipſimet adulti, niſi poſt vehemens corporis exercitium, &c. ſudent. Quî etiam, quæſo, fiat, ut fœtus, qui quadrageſimo etiam die formicâ haud multo major exiſtit, ſex, aut ſeptem uncias liquoris, cui tunc innatat, ſudando emittat?

Obſervatur etiam liquor hic corpora animalium nunquam ſudantium (ut ſunt canes, feles, nec non pennata) haud minus circumcingere, quam ſudantium, ita ut fœtus in utero non magis, quam pullus intra teſtam ovi, aut piſcis in aqua ſudare dicendus ſit.

At, dicet forte quiſquam, ſi fœtus per os nutriatur, cur non tantâ lymphæ quantitate obrutus ſuffocatur?


Verum obſervandum eſt fœtum, etiamſi per os nutritur, non ſuffocari, liquorem enim illum nutritium non feſtinanter aſſumit, ſed lente admodum non amplius unâ vice, quam neceſſe eſt, in os admittit.

Quamquam etiam fœtus illo non nutriretur liquore, dicereturque illa non nutritia, ſed excrementitia, atque ex urina, & ſudore conflata lympha, nihilominus, cur non ſuffocetur, quærere licebit.

No-

tab: 5

fig: 1.



Notum eſt fœtibus, qui mortui ex utero prodeunt (ut ſupra notatum) linguam nonnihil inter maxillas prominere, quâ impediatur liquori nutritio citior in interiora tranſitus.

Ipſemet præterea non ita pridem obſervavi vitulis, equuliſque, antequam externum emittuntur in aërem, labia glanduloſo quodam non aliter obſita eſſe corpore, quam hîc Tab. 5. fol. 347 conſpici datur, ubi A vituli caput eo, quo intra uterum erat, módo B B. labrum ſuperius, C C. carunculam glanduloſam ſpongiæ inſtar, ac lienem mentitam, D. inferius labium notant.

Corpus hoc haud ita pauci, *Plinium lib.* 8. *cap.* 42. ſecuti, in equinis pullis *Hippomanes* dixere, at perperam, ut ſupra *obſ.* 19. *fol.* 223. plenius demonſtratum.

Hodierni quidam ruſtici, ſed immerito, carunculam illam *Lienem* vocánt, ac, ſi corpuſculum hoc ab equuli ore prius auferatur, quam integrum prodierit caput, adultum multo agiliorem, curſuque aliis fore præſtantiorem dicunt.

Fuere autem quondam, qui equam matrem, ſi quis carunculam illam præripuiſſet, fœtum ad ubera non admittere dixerint, unde etiam *Virgilio Matri præreptus amor* vocetur. Quæ opiniones quam & hos, & illos fallant, rerum magiſter docet uſus.

Rectius alii carunculam eam ſpongiam dicunt, quæ ita efformata eſt, ut anterior pars propter immiſſum liquorem cygneæ craſſitiem equet pen-

næ,

næ, inferior autem pars collum verſus, tam craſſitie, quem latitudine, minor eſt, ut adjecta monſtrat tabula.


Hoc autem corpuſculum tam arcte vitulinæ buccæ anteriorem obſidet partem, ut juxta illud immediate nihil omnino humoris os ingredi queat. Liquor autem membranis contentus, quo ipſe cingitur vitulus, eò per motum materni corporis propellitur. Cum enim vaccæ abdomen, viſceraque eo contenta ab abdominis, diaphragmatiſque comprimuntur muſculis, neceſſario humor amnio contentus ſimul premitur: qua preſſione corporis ſpongioſi ita aperiuntur tubuli, ut humor ille ſenſim, guttatimque ingrediatur, ad cujus transmiſſionem multum facit vituli modica, dum materno includitur utero, (quâ de re mox prolixius) reſpiratio. Per vituli namque inſpirationem minuitur preſſio, ſicque in os ſuccedenti locus conceditur humori, ut ad ventriculum demitti, atque hinc per vias lecteas ad vituli nutritionem diſtribui queat.

Hujus autem carunculæ ex multis contextum tubulis eſt corpuſculum, compreſſum enim, præſertim ubi craſſiſſimum, mediaque inter labia ſitum eſt, liquorem in os guttatim immittit, ac tot ibidem exiſtere videntur tubuli, quibus liquor ille continetur, quot apparent guttæ, ita plane, ut in ſpongiis videre eſt. Habet & arterias, venaſque inferne ab ore provenientes, unde huic corpori implantantur: Venæ e jugulari venâ, arte-

riæ

tab:6

fig. ij.



riæ è carotica proveniunt, quæ omnes per ejus diſperguntur ſubſtantiam, uti in partis illius ablatione, ſeu ab ore vituli avulſione, durante partu, in ramis diſruptis, per quos corpus illud nutritum fuit, apparuit.

Subſtantiæ illius, ut melius innoteſcat, delineationem lectori ſexta exhibet Tabula fol. 349. ubi litteræ A. A. fictum lienem, ſeu corpus glandoſum vituli ore avulſum naturali magnitudine, B B. craſſiſſimam, ſupremamque ejus portionem, quæ inter vituli labia firma hærere ſolet, C. C. tubulos, per quos humor ex amnio ingreditur; D. D. truncum abruptorum vaſorum ſanguiferorum, illâ parte, quâ linguæ vituli annexum fuit ipſum corpus, E. E. E. E. ramos vaſorum ſanguiferorum, prout per ſubſtantiam, quam nutriunt, diſperguntur, monſtrant.

De corporis hujus, quod tam in equulis, quam vitulis, ovibuſque, atque aliis fortean animalibus, partus tempore apparet, verâ conſtitutione, & uſu, nemo huc uſque quidquam (quod ſciam) dicere agreſſus eſt. Cujus rationem eſſe puto, quod hocce corpuſculum rariſſime, nec, niſi a Medicæ artis parum gnaris, conſpiciatur, vel etiam, quia comparari vix poteſt, niſi quiſquam continue parienti vaccæ, vel equæ adſit, ac quam accuratiſſime obſervet, necnon, quam primum uterus aperitur, illicò in vulvam immiſſâ manu corpus illud à vituli buccâ avellat, antequam caput ejus extra vulvam apparuerit; aliter enim, li-

berâ

berâ aeris inſpiratione acquiſitâ, non ita facile hominum in manus pervenit.

Hæc autem caruncula humoris in uteri membranis contenti tranſmiſſioni inſervit, qui fœtum partim nutrit, partim ejus labia, os, œſophagum, ventriculum, laryngem aperta ſervat.

In recens autem natis corpuſculum illud non reperitur infantibus, quod bruta iſta cum dentibus, illi autem ſine iis prodeant, ejuſque loco extra maxillas prominentem habeant linguam (uti fol. 342. & 347. diximus) unde quodammodo etiam clauſa manent horum ora neque lingua, nondum natis dentibus, læditur.

Quæret autem quiſquam, quomodo fœtus deglutiat, cum experientia, compreſſo naſo, plenoque ore, nos difficulter admodum, aut omnino non deglutire, nec commode reſpirare poſſe doceat.

Verum hæc embryonum, adultorumque (quantum ad neceſſitatem reſpirationis in deglutitione attinet) inter ſe minus recte inſtituitur comparatio. Sentitur quidem eo caſu difficultas quædam in deglutiendo, quia aeri ad pulmones tranſitus occluditur, id autem non fit, quod reſpiratio ad deglutitionem ſit neceſſaria, verum quod deglutitio in adultis ſine reſpiratione fieri nequeat, qua tamen fœtus in utero neutiquam indiget.

Quod *R. Graeffius de mulier. organ. generat.* *inſ.*

inſ. fol. mihi 289. de cane, quæ una vice quinque peperit catulos, quorum maximus capite carebat, & ore, nullo earum partium apparente indicio, quique non diu poſt abruptum umbilicum moriebatur, ventriculo vacuo, atque excrementis in inteſtinis paucis admodum repertis, nec non quod alii de infantibus, aliiſve animalibus clauſo ore, vel prorſus abſque eo natis tradunt, noſtram non evertit de nutritione fœtus, tam per os, quam per umbilicum opinionem. Adducit enim *D. Graeffius* exemplum illud, quo fœtum non tantum per os, ſed & umbilicum nutriri probet, uti etiam memorato à *D. Chatton* caſu patet, deficiente umbilico, fœtum per os nutrimentum admittere.

Quando itaque fœtus clauſo ore, vel etiam ſine lingua, & inferiore naſcitur maxilla, quale non ita pridem hic Hagæ, in recens nata ove exemplum vidi, cui tranſitus per os ad œſophagum prorſus erat occluſus, ut nihil omnino per illud verſus inferiora admittere potuerit, aliud quidpiam plerumque adeſt, quod oris ſuppleat vicem, ut ita nutrimentum in ventriculum deſcendat, quemadmodum ipſemet in illa obſervavi ove; habebat namque aperturam ſubtus in collo, cujus extremitates, ſive fimbriæ ſatis latæ, carnoſæque tenui quadam, uti labia noſtra, obducta erant membranâ.

Quamvis autem caſu quodam ſuperne nihil per os admittatur, fœtus tamen, urgente neceſſi-

ceſſitate, nutrimentum per umbilicum accipere, ac contra etiam (uti exemplo *D. Chatton* clarum eſt) abſque umbilico ad tempus per os ali poteſt.

Atque ita quidem Lectori etiam per os nutriri fœtum conſtare crediderim.

Reſtat, ut, quomodo idem per os reſpiret, exponam.

Hanc autem ut Hypotheſin explicem revocandæ ſunt, quas modo adduxi, rationes. Ubicunque enim notabilis quædam exiſtit cavitas, cujus interna latera ſunt mollia, neceſſario cauſa quædam exiſtit materialis, quæ eandem conſervet; dilatante enim cauſa ſublatâ, coaleſcerent latera. Certum autem eſt in pulmonibus fœtus cellulas quaſdam, ſive veſiculas, quæ cauſam habent conſervantem, reperiri; hæc autem non eſt aer, cujus ibidem non ita ſufficiens adeſt quantitas quam quidem in jam natis, & libere reſpirantibus: Quapropter cauſa conſervans humor, cui fœtus intra amnion innatat, dicatur, neceſſe eſt.

Ita piſces aquam immittere, & expirare animadvertimus, ſine qua operatione vivere nequeunt. Quid ni ergo ſimili fere modo, quo poſtea aër, humor intra amnion aliquatenus ſanguinem refrigeret?

Quando igitur humor ille os ingreditur, portio tenuior, & forſan vapor tantum, per conniventem epiglottida verſus inferiora, & hinc per la-

laryngem, aſperamque arteriam ad pulmones deſcendit, ut ita quodammodo expandantur, dilatenturque.

Quin etiam duplex eſt reſpiratio viſibilis altera, qua ſimul pectus movetur, quæque idcirco multum requirit aeris, minus viſibilis altera, cui aër intra os, & fauces exiſtens ſufficit, qui ultimus reſpirationis modus minus à muſculis pectoralibus dependet; hoc autem modo fœtum in utero reſpirare ſtatuimus. Hinc *Scherbius* apud *Hofmannum 6. de uſ. part. cap. 7.* optime quoſdam eſſe, qui ſine reſpiratione, id eſt, viſibili pectoris motu, non tamen abſque ipſius reſpirationis uſu, vivant, dixit.

Poſt partum autem externus aër attractus perfectiore modo cellulas, ſive veſiculas pulmonales diſtendit, quam humor ille, qui eas tantum apertas conſervat.

Hinc fit, ut Judices rationem à medicis petant, an mater fœtum interfecerit, an vero mortuus ille prodierit? Si enim ille intra uterum obierit, fundum aquæ petent pulmones, quia bronchia, ac pulmonum cellulæ aquâ repletæ pulmones reddunt graviores, ita ut ſupernatare nequeant, verum ſi vel per momentum tantum reſpiraverit fœtus, poſteaque à matre interficiatur, pulmones neutiquam fundum petent, ſed ſemper ſupernatabunt, quia aër, qui cellulas dilatat, ita ex iis expelli nequit, quin ſemper nonnihil remaneat, unde pulmones leviores redduntur

ita ut ab aqua deprimi nequeant; nec, quicquid tandem feceris, aër omnis ex arteriæ aſperæ ramis, lobiſve pulmonum expelletur, illoſve tam arctos, ut quidem ante, reddi permittet.

Porro ſi fœtus in utero non reſpirat, quem, quæſo, in finem efformati ſunt diaphragmatis, omneſque reſpirationi inſervientes nervi? Quid ni fœtus hos æque (quamvis non ita ut poſt partum) ac alios moveret muſculos? Nonne horum nervorum tubuli, ſi abſque ullâ functione tam diu quieſcerent, nunquam reſerandi obſtruerentur?

Fœtum in utero reſpirare (quamvis non intromittatur externus aër) etiam ſtatuere licet, quod, quando ſalvis naſcitur membranis, neutiquam externum inſpirare queat aerem, quamprimum vero membranæ tolluntur, illico reſpiret, certo indicio ipſum intra uterum reſpiraſſe, ſiquidem nemo alias concipere poſſet, quomodo fœtus ablatis, apertiſque integumentis, tam cito reſpiraret, & quomodo nervi reſpiratorii huc uſque otioſi tam repente officio fungerentur.

Celeberrimus *R. Boyle*, ſiquidem, ait, experimentis noſtris conſtet liquores fere omnes corpuſculis quibuſdam præditos eſſe aëreis, velut abunde ipſâ demonſtratur aquâ, non videtur à ratione alienum ſtatuere, fœtum, cum incrementum ſumit, (præſertim quando ſuprema pars membranæ amnii, quâ cingitur, humore vacua, & vaporoſâ ſubſtantiâ repleta eſt) aliquatenus reſpirare.

Aë-

Aëris etiam nonnihil aquæ admiſceri, quo piſces in aqua reſpirent, non ita, pridem per antliam obſervavi pneumaticam, hac enim ſenſim aër è vitrea, cujus dimidia pars aquâ repleta erat, educebatur phialâ, ac in eâ piſcis natabat, factumque eſt, ut magis, magiſque ille ad ſuperficiem aſcenderit, donec tandem exhauſto aëre in latus deſideret haud dubie moriturus, niſi parum aëris admiſſum fuiſſet, quo mox ad ſe rediens natavit.

Fœtum extra uterum membranis incluſum ſine externa reſpiratione per horas aliquot vivere poſſe, (ſiquidem neceſſaria etiamnum adſint aliquamdiu) quod narrare aggredior, probat exemplum. Erat ſcilicet in obſidione Bergarum ad Zomam militis quædam uxor, quæ ultimo geſtationis menſe aquam quærens ita ferro è civitate ejecto lædebatur, ut media corporis pars huc illuc diſpergeretur, nec non uterus cum membranis extra propugnaculum delaberetur in aquam. Paulo poſt contigit, ut miles quidam circa illum locum excubias agens in aqua quendam animadverterit motum, unde rei novitate allectus haſtâ corpus illud (quamvis quid eſſet, plane ignoraret) ad ſe attraxit: ac tum quidem vivum fuiſſe fœtum, qui motionem illam in aqua produxiſſet, videbat, quem mox ad Tribunum, cui *Cordua* nomen, tulit, qui, mirando caſu audito, fœtum membranis continuo ſolvi juſſit, atque ad *Iſabellam Claram Eugeniam* Belgii Gubernatricem demiſit, quæ eum, utpote mirè na-

tum, baptizari, *Albertumque Ambroſium* vocari, atque optimè educari præcepit.

Sed neque veriſimile eſt, fœtum in utero omnino aëre carere poſſe, credibile autem eſt eundem tantum è materno nutrimento, quod multas particulas nitro-aëreas continet, nec non vi fermentativa præditum eſt, accipere aëris, quantum adeo tenellum requirit corpus.

Certum etiam eſt motum cordis, & ſanguinis in fœtu intra uterum abſque externâ reſpiratione rite poſſe procedere, ſiquidem motus, qui in tenero iſto corpore tardior exiſtit, ut continuetur, non videtur tanta aëris propulſione, qui reſpiratione attrahendus eſt, nec etiam tali reciprocatione indigere, ſiquidem humor nutritius intra fœtus pulmones jam antea ſatis attenuatus, particuliſque aëreis ditatus eſt.

Humorum autem motum in fœtu propter recens inſpirati aëris defectum tardiorem eſſe optime Eruditiſſimus *D. Boyle libr. de vi aëris elaſtica* obſervavit, ubi *pag.* 252. ſe compertum eſſe in aliquot catulis recens è membranis extractis, &, antequam reſpiraverant, diſſectis, vix ullum, ſaltem apparentem cordis motum animadverſum fuiſſe teſtatur, cum tamen aſſerat cor cujuſdam catuli, qui tunicis, & humoribus, quibus innataverat, liberatus erat, parumque reſpiraverat (quamvis omne pectus apertum eſſet) per aliquot horas pulſare non deſiiſſe, quod & *Pechlinus de aëris, & alimenti defectu pag.* 98. ſe comperiſſe ait.

Sunt,

Sunt, qui dicant fœtum, ut in utero reſpirare probent, nonnunquam ante natalem fuiſſe lacrymatum, nec non pullum intra ovum quandoque pipire, qui duo effectus utique abſque aëre fieri nequeunt.

Quantum quidem ad primum exemplum attinet, multa ejuſmodi adducuntur; verum credibile eſt deceptos fuiſſe, qui putarunt ſe ſonum aliquem fœtus audiviſſe: Nihil enim eſt, niſi murmur aliquod in ventre gravidæ à preſſione, vel calcitratione fœtus interceſſu venti productum. Hujuſmodi enim narrationes, exemplaque vilibus plerumque mulierculis, rerumque ignaris debentur, quæ vel iſta immerito credidere, vel ad fallendos alios, excitandamve ditiorum miſericordiam, mentitæ ſunt: Audimus enim hujuſmodi vagitum pauperculis plerumque perceptum, vel ideo ſparſos fuiſſe rumores, ut nonnihil portendi fingerent, atque aliquod nomen inter vulgus acquirerent.

Apprime itaque olim magnus ille Philoſophus *Ariſtoteles lib. 7. de hiſtor. animal. cap.* 10. fœtum non plorare dixit, antequam ex utero prodiit: quamvis fieri poſſit, ut idem paulo ante nativitatem, non tamen antequam membranæ frangantur, ploret.

Pulli autem intra ovum pipitum non contingere crediderim, quam circa ejuſdem in lucem proventum, quando teſta parvo pertuſa eſt foramine.

Fœtum in utero reſpirare, jam olim docuit *Hippocrates initio libri de nat. pueri ſect. 3. fol. mihi* 236. *Cum enim mater*, ait, *aërem frigidum ad ſe attraxerit, eo genitura fruitur*, & paulo poſt: *Cum vero genitura in membrana continetur, ſpirationem intro & foras habet.* Ac denique *pag.* 238. At ſane ſuperioribus etiam partibus, ore nempe, & naribus ſpiritum trahit, & venter ſpiritu inflatur, &c. Nec non *lib. de principiis*, ubi dicit: *fœtus reſpirat tam per os, quam naſum*: & rurſus alio in loco ita loquitur; *modica reſpiratio embryoni pro modulo ſufficiens eſt*; poteſtque hoc aliquatenus demonſtrari ex *Gal. l. de Anat. vivorum, cap. de Anat. partic. fœtus*; ubi, *tertia*, inquit, *cauſa eſt anxietas in inſpirando, & exſpirando aëre, parvaque copia aëris, qui nimis calidus attrahitur*; & *lib. an Animal ſit id, quod in Utero eſt? cap.* 4. *Fœtus*, ait, *reſpiratio animæ operatio eſt, reſpirat enim per os.*

Hujus etiam opinionis eſt: *G. Charleton de Oeconomia animali exercitat. de reſpirat. fol.* 166. nec non *Fr. Rouſſetus*, *H. Mercurialis lib. de hominis generatione cap.* 26. *Anth. Everhardus*, *G. Entius Apolog. pro circulatione ſanguinis*, *Nymannus de vita fœtus in utero*, ut & *Courvæus*. Quapropter fœtum, ſiquidem tam per os, quam umbilicum, nutriatur, reſpiretque, harum alterutrâ viarum aliquamdiu carere, ac vel per os, vel per umbilicum tantum ſuſtentari poſſe ſtatuerim. Atque ita quidem ad dubia

tari

D. Chatton, quomodo ſcil. fœtus in utero matris abſque umbilico pro tempore nutriri, & reſpirare poſſit, pro viribus reſpondimus. Reſtat ſolvenda illa quæſtio, cur umbilicalis funiculi à fœtus abdomine ſeparationem magna ſanguinis in membranis uteri profuſio, indeque fœtus ſuffocatio, & mors ipſa non fuerit ſubſecuta?

Certum eſt illam funiculi ſeparationem non ſubito, at ſenſim fieri, ſicut vitulis, diſruptis ſemper vaſis umbilicalibus, uti pag. 342. diximus ex utero materno prodeuntibus accidere videmus.

Sed quid de duobus iſtis foraminulis, è quibus urinam, cujus memini, infans egerebat?

Quamvis autem hujus rei veritatem, quia poſt mortem non fuit apertus infans, ſcire nequeamus, dicam tamen, quid de hiſce aperturis ſentiam.

Veroſimile eſt utrumque ureterem infra in ventre in duas illas papillulas, ſive aquæductus ſeſe inſinuaſſe. Quod eò magis crediderim, quia caſum huic non diſſimilem mihi duodecimo die Junii anni 1686. cum ſolertiſſimo noſtro Anatomico *D. Anthon. Nuck*, videre contigit. Infantis enim ſeptem dies nati cadaverculum cum examinaremus, conſpicuum in ejus hypogaſtrio fuit rotundum, rubens, & paululum prominens quoddam corpus, tactu molliuſculum, magnitudine pilæ palmariæ per medium diſciſſæ, quod undiquaque firmiter abdominis cuti annexum erat. Loco naturali umbilicus deficiebat, ſed ejus defectum ſupplevere vaſa umbilicalia ad baſin

dicti tumoris, parte tamen ſupernâ, inſerta, ubi portio funis, modo vulgari deligati etiamnum conſpiciebatur. Tumoris parti inferiori, qua genitalia reſpiciebat, duo foraminula digiti latitudine à ſemet diſtantia, & ſtylum mediocris craſſitiei admittentia apparebant, per quæ urina continuè, ſenſimque emanabat, paululum autem infra hæc loco penis, glans tantum viſa eſt, & quidem bifida, atque inverſa abſque ductu urinario. Aperto dein abdomine repertus eſt uterque ureter, qui pro corpuſculi modulo naturali duplo, triplove craſſior inferiori corporis prominentis terminabatur parte. Eminens ille rubicundus tumor nil aliud erat, quam infantis veſica urinaria omnino plana, collapſa, in ſe invicem compreſſa, & nullo modo concava, quæ ne guttulam quidem liquoris continebat, quoniam per duo illa foramina urina continue ſtillabat extra corpus, quemadmodum in bene conſtitutis per ureteres in veſicam ſtillare ſolet. In prominenti glande ne quidem urethræ veſtigium apparebat, quamvis ad ejus baſin, qua penis veſicam tangere ſolet, corpuſculum glanduloſum apparebat duriuſculum, in quod vaſa deferentia terminari vidimus, ſine ulla veſicularum ſeminalium indicio. Quoniam autem umbilicus locum mutaverat, arteriæ umbilicales breviores, vena vero longior naturali apparebant: Scrotum bene formatum, duobuſque teſticulis donatum conſpeximus. Hiſce viſis, certior de ductuum uri-
na-

nariorum infantis, de quo obſervavi, conſtitutione, excernendique lotii modo mihi factus videbar.

Rariſſimum exemplum, nec noſtro (quantum ad mingendi modum) diſſimile habet *Nath. Higmorus lib.* 1. *Diſquiſit. Anatom. part.* 4. *cap.* 7. *pag. mihi* 114. ubi hæcce memorat.

„ In puero, inquit, Oxonienſi (qui me hæc
„ ſcribente, ætatem habebat novem, vel de-
„ cem annorum) ab ipſa nativitate uſque nullæ
„ obſervabantur partes, quibus ſexus aliquis
„ poſſet dignoſci; ſed obſervabatur in eo fora-
„ men aliquod, per quod urina excernebatur,
„ cæterum omnia erant plana, & ſolida ad ipſum
„ anum uſque, parumper tamen infra umbili-
„ cum (qui alias bene, & in totum erat occluſus)
„ aperiebatur cutis, latitudine duorum digito-
„ rum tranſverſorum, & erat ſimul rubra, &
„ ſcabra, per quam urina deſtillando colabatur:
„ infima pars ventris (ſcilicet circa locum veſicæ)
„ ipſi valde erat tumida, cogebaturque ſæpius
„ ventrem pronus contra prominentes lapides,
„ colliculoſve quo veſica exoneraretur, com-
„ primere.


Ipſe autem *Higmori* infantis urinam infra umbilicum occluſum ſudoris in modum proveniſſe crediderim, quod ejus vaſa umbilicalia poſt nativitatem colligata fuerint, unde puer ille urinam, quam per urethræ communem viam exonerare non potuit, per aliam quandam præter-


naturalem infra umbilicum, quo dixi, modo geſſit.

Simili plane modo in noſtro infante (qui umbilico omnino carebat, cujuſque urinæ, propter occluſam urethram, nullus patebat tranſitus) duo iſti canales, per quos urina excerneretur, efformati ſunt.

Neque multum differt, quod die 15. Auguſt. an. 1683. hic Hagæ in puero quodam vidi, quamvis funiculus umbilicalis prodeuntis fœtus ventri, utut ſolito inferius, annexus foret, ac quemadmodum in primo, ſic etiam in vltimo hoc infante glans tantum penis, ſed denudata, atque imperforata, non tamen inverſa conſpiciebatur. Huic autem præputio inverſo pſeudo-frenulum erat adnatum, ſed nec duas ſpeciales ad urinæ excretionem uti in priore infante, ductus in lata illa, ſcabra, cuteque denudata macula, ſed urinam guttatim, tranſudationiſque in modum provenientem, animadvertimus. Per tres autem hebdomadas hic infans vixit.

Infantis hujus partium deformatarum delineationem exhibet tabula ſeptima, denotatque A. primæ figuræ locum ſeparati, nondumque occluſi umbilici. Secundæ figuræ B. ſpongioſam carnem, ſive maculam. C. glandem penis. D. verum, & naturale frenulum. E. inverſum præputium. F. pſeudo-frenulum. Tertia figura occluſi penis latus monſtrat. Quartæ figuræ. A. ſpongioſam carnem. B. pelvim, per quam urina guttatim


tab:7
fig. 1.
A
B
C
D
E
F
fig. 2.
fig 3
fig. 4.
A
B
C
C
D
D


B
C
D

tatim defluebat; C. C. fimbriam pelvis. D. inverſam penis glandem oſtendunt.

Refert *Thom. Bartholinus hiſt: anat: rarior: cent.* 1. *hiſt.* 65. *fol.* 103. dum in Latio moraretur, ſe vidiſſe Italum annor. tum 40. robuſto, & ſatis ſano corpore, qui ab ineunte ætate ſine podicis, peniſque nota vixerat, quum nec pro mare, nec fœmina â parentibus ob virilis membri defectum haberetur, pro fœmina ſacro baptiſmatis lavacro immerſus *Annæ* nomen obtinuit, retinuitque per reliquæ vitæ decurſum.

Vigeſimo quarto demum ætatis anno longior barba genas inveſtiens inter viros eum aſſeruit. Hic autem quoniam anum imperviam haberet, fæces (uti *Schol. ad obſerv.* 56. *centur.* 1. *fol.* 240. retulimus) certis periodis per cornu ori impoſito evomuit, quarum fæditatem, ſaporiſque moleſtiam grato potu, aquave diluit, quam in hunc uſum perpetuo ſecum circumferebat, lotium vero è pila quadam fungoſa circa locum umbilici abſentis enatâ, velut per ſpongiam, ſtillans reddidit, & pro lubitu, velut lac è papillis, cætera ſanus, nec fœminas averſatus expreſſit.


OB-

OBSERVATIO XXXIII.

Infans cum Exomphalo, ſive minus vera umbilici hernia, natus.

DE magno quodam Exomphalo, ſive umbilici prominentia, quam perperam nonnulli umbilicalem dicunt herniam, mulieri cuidam à magno in ipſo partu niſu orta, *p. 223. obſ. 53. Tom. 1.* egi. Hic autem ejuſmodi vitii infantis intra uterum matris orti, natoque adhærentis exemplum dabo. Uxor illa erat Sartoris cujuſdam Hagienſis, ad quam, cum 7. Decembr. anno 1682. pareret, me, *Corneliumque Solingium* accerſiri curavit obſtetrix *Eliſabetha Cavalliers.* Fœtum exomphalo laborantem invenimus, qui ſuperne ita pellucidus erat, ut gyri inteſtini illi commode conſpicerentur. Cum vero infans tertio à nativitate die propter exomphali gangrænam, quam initio prædixeramus, obiiſſet, uti nobis cadaver poſtridie aperire liceret, petiimus; quod coram Medico *Sam. Cabeljavio*, nec

non



tab:8

non obſtetrice factum eſt. Reperimus autem ſupremam exomphali membranam nihil aliud fuiſſe, quam umbilicalis funiculi dilatationem quandam, qua aperta, illico in conſpectum venit peritonæum, ſub quo tenuia inteſtina ſita erant, quæ tam firmiter peritonæo videbantur unita, ut abſque læſione ſeparari non poſſent. Ulterius inquirendo infantis ilium ſpithamæ longitudine ſupra inteſtinum cæcum propulſum, dilatatumque, ac triplo craſſius, magiſque cavum, quam quidem aliis in locis, obſervavimus. Sæpius interrogata, anne geſtationis tempore lapſa, vel ad durius quoddam corpus alliſa fuiſſet, negavit puerpera; tandem autem ſe circa medium geſtationis tempus diutius ſtantem multas penulas ſuper menſam leviter, non tantum late extenſis brachiis, ſed & contra menſam, ut illas tanto melius explicaret, compreſſo ventre, conſuiſſe confeſſa eſt. Veriſimile itaque eſt vitium illud infanti continua illa materni ventris preſſione ortum fuiſſe. Tabulæ autem octavæ litera A prominentiam umbilici, B. funiculum, C. dilatatio-

nem,

nem, ſive expanſionem umbilici, cutiſque infantis monſtrat.

IN OBSERVATIONEM XXXIII.

NOn per clamores tantum, vomitus, tuſſes, ſaltationes, lapſus, fortiores flatus, aut curruum motitationes, internaſve muſculorum abdominis difficili in partu preſſiones, duriorumque fæcum expreſſionem, ſed & per externam ventris contra duriorem quandam materiam preſſionem peritonæi fieri poſſe dilatationem certum eſt. Id enim circa umbilicum tenuiſſimum eſt, ita ut per ejus expanſionem inteſtina verſus efformatam inclinent cavitatem, ſicque exomphalum producant. Credibile itaque eſt illius infantis ortum fuiſſe vitium, quod Mater toties, ac tam diu ventrem arctius menſæ admoverit; unde non preſſio tantum partium internarum ad invicem facta, ſed dolor, angorque corpori ejus excitatus fuit, cujus moleſtiæ haud dubie fœtus etiam particeps fuit, ſiquidem, quæ gravidis accidunt à cauſis externis, etiam fœtibus (præſertim quando crebriores iis de rebus matrum ſunt cogitationes) ut plurimum obveniant ſymptomata, quod & ſecuturis obſervationibus evidentius conſtabit. Atque ideo quidem evenire poteſt, ut per brachiorum expanſionem, ventriſque materni preſſionem fœtus peritonæum non tantum cum funiculo umbilicali fuerit dilatatum

tatum, ſed & inteſtina eidem firmiter annexa coaluerint.

Memorat celeberrimus *Medicus Stephanus Blanckardus lib. de morb. puer or. obſ. 9. fol.* 188. de mirando quodam, & inſolito pueri cujuſdam Heuckelomii anno 1682. nati exomphalo, è cujus umbilico propendebat funiculus, qui longitudinem ulnæ quadrantis cum ſemiſſe, digitique minoris æquabat craſſitiem, in cujus extremitate globulus quidam rotundus, qui duplicis pugni magnitudinem excedens tenui obductus erat membrana, per quam motus inteſtinorum periſtalticus optime animadverti poterat. Idem *obſ.* 11. *ejuſdem lib.* 1. *fol.* 291. meminit infantis, qui inteſtinis extra abdomen propendentibus, natus erat, quia Mater quodam ante partum tempore per plateam obambulans felem viderat, cujus corpus curru quodam ita erat protritum, ut extra abdomen propenderent inteſtina.

Non diſſimile mulieris exemplum quondam intellexi, quæ infantem peperit, cujus inteſtina extra ventrem ſita erant, quia geſtationis tempore viſum, & cogitationes in mactatam conjecerat ſuem, extra cujus ventrem inteſtina profluxerant.

OBSERVATIO XXXIV.

Fœtus diffractis in Utero lumbis editus.

QUanta inter Matrem, & fœtum exiſtat ſympathia, præcedens docet obſervatio. Nunc exemplum proferam, quod mihi 12. *Octobris an.* 1682. occurrit, cum *D. Corn. Solingius*, me, aliiſque præſentibus Medicis, cadaver infantis aperiret, cui lumbi in utero matris diſrupti fuerant, qui nihilominus novem natalibus dies ſuperfuerat. Hujus mater circa medium geſtationis tempus cum ſitulâ aqua plenâ per gradus deſcendens tergum forte in tabulationis cujuſdam extremitatem impegit, ita ut fœtus in utero læſus cum plano quodam, fuſco, & obſcure cæruleo, magnitudine nummi, quem Philippicum dicunt, tumore prodierit; quo poſt obitum aperto *exoſtoſis* quædam magnitudine caſtaneæ poſterius in ſpinæ dorſi vertebris, quæ & ipſa ſub *exoſtoſi* diffracta, ſolutaque, ac mobilis erat, conſpecta fuit; unde contigit, ut infans inferiores corporis partes infra ver-

tab:9




tab:10
A
C
C
B

vertebras illas ſitas nunquam movere potuerit: ſpiritibus enim per nervos medullæ ſpinalis eo loci nullus plane verſus inferiora patebat tranſitus. Hujus infantis etiam pedes, quibus præternaturali modo circumvolutis, aliter plane, quam alii in utero locantur, prodierat, notabiliter tortos, verſuſque interiora inverſos reperimus.

Præterea in tenello hoc infante procidentiam quandam vaginæ uteri, magnitudine nucis moſchatæ, obſervavimus.

Anus ipſa etiam præter morem oſſi ſacro proxima erat.

Ipſius autem infantis delinationem, tam à parte anteriore, quam poſteriore hic loci exhibere non inconſultum duxi. Denotat ergo A. nonæ tabulæ prominentem dorſi ſpinam: B. aperturam gangrænâ fere emortuam. Decimæ tabulæ A. pudendum: B. vaginæ procidentiam: C. C. paralyticos, & immobiles oſtendunt pedes.

Similis fere infantis mentionem facit *Juſtus Schraderus dec.* 2. *obſ.* 2. *fol.* 204. qui diviſâ dorſi ſpinâ natus erat, quæ deformatio (ut ita loquar) orta erat, quod

mater geſtationis tempore è ſcalis, lumbis graviter læſis, decidiſſet, unde in infantis dorſo ſub cute aquoſus quidam ad vertebrarum lumbarium initium poſtea apparuit tumor: Hoc etiam caſu ſuperiora membra mobilia, femora vero, & pedes immobilia mirari licebat. Tumore aperto, abſceſſus quidam craſſâ membranâ obductus apparuit, quo ſeroſa continebatur materia. Infima etiam ſpinæ dorſi pars cute, & carne denudata diviſaque, ac medullâ ſpinali carens conſpecta eſt, quamvis ab utroque ejuſdem latere hic illic ordinata quadam ſerie nonnulla nervorum è medulla ſpinali provenientium aſpicerentur principia, quorum unus ramus ad alterutrum tendebat femur.

De ſimili exemplo *Nic. Tulpius lib. 3. cap. 30. fol. mihi* 242. agit.

IN OBSERVATIONEM XXXIV.

OBſcura admodum eſt, monſtroſorum fœtuum cauſa. Hinc Theologorum nonnulli eandem immediate voluntati attribuunt divinæ; alii malitiæ ipſius Sathanæ, nec non Magorum,

rum, & veneficorum incantationibns aſſignant. Multi autem docti hujus rei varias naturales adduxere cauſas, quarum maxime vulgaris, & vero ſimillima eſt firma quorundam objectorum maternæ menti facta impreſſio.

Quo autem modo hujuſmodi imaginationis maternæ operatio in fœtus tranſeat non ita promptum eſt dicere.

Th. Fienus lib. de viribus imaginationis quæſt. 14. *fol. mihi* 236. quæſtionem hanc exponere arduum dixit; cum ejuſmodi res humanum ſuperare videantur captum, quamquam ipſe ſuam promere non vereatur opinionem.

Tradit quippe phantaſiam per ſe, & immediate non immutare fœtum: id eſt, phantaſiam ſimplici imaginationis actu illum non alterare, vel immutare, ſed notas peculiares, & imaginatas in fœtu producere dirigendo potentiam conformatricem, & ad ſic conformandum determinando, quod abſque præviis animi paſſionibus, humorumque, & ſpirituum matris motu fieri negat; Directionem autem hanc per communicationem ſpecierum fieri credit, quas à phantaſia præconceptas, ſpiritibuſque, & ſanguini matris impreſſas, ac ad uterum delatas per communionem, & continuitatem etiam ſanguini, ſpiritibuſque fœtus imprimi autumat.

Tribuit Celeberrimus *Carteſius* effectum hunc forti ſpirituum radiationi *Tractatu de homine.* Quod & ejus ſtatuunt ſectatores, quos inter eſt

 Ludov.

Ludov. de la Forge tract. de mente humana, & *notis ad Carteſii tract. de homine pag.* 128. Nec non ſcriptor *Gallicus libri*, cui *Veritatis indagatio* nomen, *lib.* 2. *fol.* 162. &c.

Neque profecto melius maternæ impreſſiones, quam per ſpirituum radiationes concipi poſſunt: Illa enim Idearum veſtigia, quas efformat phantaſia, non tantum in cerebro permanent, ſed & juxta arteriarum ductum ad cor pergunt, radioſque ſpirituum in ipſum tranſmittunt ſanguinem, ita ut nullæ excipi queant ſpirituum particulæ, quæ non aliquam inde adipiſcantur alterationem. Quin etiam imaginationis vis ad humores venis, & arteriis contentos, qui ſpirituum motibus ſemper auſcultant, tranſit. Motus autem Matris neceſſariam cum fœtu habent communionem; fœtus enim genitrixque unum fere, idemque conſtituunt corpus, nutrimentumque utriuſque, & ſpiritus reciprocè ſunt communes. Vaſa quippe uterina imprægnationis tempore oſtiola quædam placentæ inſerunt, ſicque communionem quandam cum fætus vaſis habent.

Ut autem res ipſa comparatione quadam diſtinctius percipiatur; nonne indies in nobiſmet, quando terrore afficimur, ſpirituum è cerebro per univerſum corpus, imò ad extrema uſque membra, extremoſque digitos radiationem fieri animadvertimus? Nonne hinc *Hippocratis* confirmatur ſententia totum noſtrum corpus σύμπνουν τε, καὶ σύῤῥουν dicentis? Certum eſt ra-

radiationes ſpirituum ſecum imaginem eorum, quæ intellectus primo percepit, per univerſum abripere corpus.

Non aliter etiam articulatum ſonum totam aëris molem, muros, tectaque tranſire obſervamus; quidni ergo facilius radiationes ſpirituum, ipſis imaginibus, impreſſionibuſque conſervatis, per poros tenuis noſtri corporis viam inveniant? Monſtrat præterea uſus ejuſmodi ſpirituum radiationes mulieribus magis, quam viris contingere, quod illarum plerumque corpora poroſiora, penetrabilioraque ſint, quapropter fieri facile poteſt, ut hujuſmodi radiationes etiam cum conſervatione eorum, quæ Mater menti propoſuit, cerebroque impreſſit, ad fœtum utero concluſum tranſeant.

Kircherus art. magn. luc. & umbr. lib. 10. *pag.* 2. *cap.* 2. *fol.* 806. pictrix phantaſia, inquit, eſt in nævis producendis, penicillus eſt ſpiritus corporeus; colores ſpecies ex phantaſia radiantes: tela, corpus infantis tenerum: prototypon corporis infantilis corpus maternum, cujus partes cum partibus infantis ſingularem habent conſenſum.

OBSERVATIO XXXV.

Squammeus, ac veluti Phocæ pelle contectus puer.

QUanta ſit imaginationis in corpora noſtra, humoriſque, præſertim gravidarum, poteſtas, quotidie abunde liquet, ita ut veriſſime jam olim multi, *Imaginationem in humores imperium habere*, dixerint.

De paſſionis hujus vi *Scholio ad obſervat.* 72. *tom.* 1. *fol.* 311. *& ſeqq.* nec non proximis duabus obſervationibus nonnulla adduximus. Hoc autem, quod memoraturus ſum, minime ſilentio mihi prætereundum fuit.

Anno itaque 1683. menſe Majo Hagæ puer quidam decem circiter annorum conſpiciendus exhibebatur nomine *Bernardus*, Biſegliæ, quod eſt regni Neapolitani ad Hadriæ littora oppidum, natus, cujus Patri *Petro Anthonio Conſiglio* nomen erat, Mater *Elizabetha Naſtaſia* vocabatur.

Pueri illius manus, pedeſque toti quan-

quanti ſquammei erant, brachia autem, & crura; atque adeo totum corpus, excepto ſolo capite, veluti phocæ pelle obducta, contactuque dura erant, & ſcabra.

Narrabat matertera, cujus curæ ipſe creditus erat, ortam fuiſſe iſtam cutis deformitatem, quod mater, cum linteaminum purgandorum cauſâ littus peteret, in flumine vicino varios ſquammatos, & teſtaceos vidiſſet piſces, quorum imaginem tam firmiter cerebro impreſſiſſet, ut non ita diu poſt à marito imprægnata, piſciumque perpetuo memor fœtum pepererit, inſtar piſcis ſquammoſum, facie tamen, colloque decorum, reliquo autem corpore prorſus nigricantem, & obſcuro quodam, ſcabroque obductum muſco, quapropter idem nudus non tantopere frigore, quam quidem alii, infeſtabatur.

Puer ille ingenio, quantum ætas ferebat, ſubtili, & acri, ac quod mirere, piſcium avidus admodum erat, adeo ut poſt crebriorem carnis eſum male ſe haberet. Ipſe etiam cum aliis Medicis ex ejus corpore prodeuntem animadverti,

qualem piſces diffundunt, odorem, quem quivis admoto propius naſo percipere poterat.

Delapſis veteribus novæ ſuccedebant illico ſquamæ, quibus avulſis mox effluebat ſanguis.

Operæ pretium credidi ipſius pueri delineationem adjicere. Undecima itaque Tabula totum ejus corpus, Duodecimæ autem figura prima manum, ſecunda pedis inferiorem, Tertia ſuperiorem cernere dat partem.

IN OBSERVATIONEM XXXV.

MUlti impreſſionum quarundam, ſignorúmque piſcium forti matrum imaginatione in fœtuum corporibus productorum exempla memorant.

Gaffarellus rer. inaudit. part. 2. *cap.* 5. *v.* 12. *pag.* 107. de ſorore ſua narrat, cujus pedi piſcis adeo accurata inhærebat figura, ut vel excellentiſſimi videretur pictoris opus. Mater geſtationis tempore piſcium avida admodum fuerat, nec filia piſces comedebat, quin iſto pedis loco acutum ſentiret dolorem.

P. Borellus Hiſtor. & obſervat. rarior. med. phyſic. centur. 3. *obſ.* 49. *fol.* 235. figuram quan-

tab:11



tab:12




fig.3




fig:2



fig:1

dam ſoleæ marinæ cum ſquammis in viri cujusdam tempore ſiniſtro ſe vidiſſe refert.

Phil. Jac. Sachſius Gammar. lib. 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. *fol.* 596. de gravida muliere ſcribit, quæ poſt nimiam cancri ingentis in rivo quodam contemplationem, ejuſque potiundi deſiderium, filiam peperit, cui pedes chelarum in modum formati fuerint.

Schenckius etiam lib. 5. *obſ.* homini loco digitorum chelas, quales ſunt cancris, prognatas fuiſſe ſcribit. *Lucas Tozzi Medic. cap. de monſtroſis, & maculoſis fœtibus fol.* 47. exemplum pueri cujuſdam Neapolitani habet, qui, cum ipſe hæc ſcriberet, annum agebat decimum, cujus brachium ſiniſtrum multis aviditatum maternarum notis ſignatum erat, quæ oſtreis, ſpondyliſque, & dactylis valde erant ſimilia, cujuſque metacarpium corpus cancri marini, digitique chelas referebant, quod piſcium genus Mater ſexto geſtationis menſe venale viderat, cujuſque cupidine correpta ſiniſtrum brachium, manumque ſæpius, ut ipſa retulit, tetigerat. Idem etiam, quo anni tempore piſces illi pingueſcebant, manum, brachiumque puellæ intumuiſſe, febremque inde ortam fuiſſe tradit.

Thom. Bartholinus cent. 2. *hiſt.* 44. *fol.* 218. Lutetiæ Pariſiorum anno 1645. mulierem quandam ſexto geſtationis menſe marem enixam fuiſſe capite ferè piſcis carpionis, quamquam lingua major, & reliqua in facie plana eſſent, ſcribit. *Idem centur.* 1. *hiſt.* 10. *fol.* 21. (quamquam hoc

vix ſit admittendum) *Joh. Naborowſky* nobilem Polonum, amicumque familiarem Baſileæ retuliſſe ait ſe in Patria duos vidiſſe piſces abſque ſquammis à muliere quadam editos, qui, quamprimum ex utero prodiiſſent, in aqua, piſcium more natarint.

Gattinaria comm. ad cap. de mola matricis Almanzoris ſe Ticinenſem vidiſſe mulierem teſtatur, quæ magnum fruſtum carneum cum aliis minoribus, nec non animali, *Tincam* piſcem referente, pepererat, cujus dorſum obſcure viride, venter autem rubicundus, cutis vero adeo craſſa erat, ut gladio vix diſcindi poſſet. Illud autem cum attingeretur, inſtar Echini ſeſe contrahebat. Simile quid deſcribit *P. Salmuth. cent.* 3. *obſ.* 98.

Miſcellan. curioſ. German. decur. 1. *an.* 2. *fol.* 226. ſub *Theodoſio Juniore* mulierem quandam animal inſtar piſcis enixam fuiſſe memorant.

Fort. Licetus de monſtris cap. 86. *fol.* 250. In littus Africanum cadaver quoddam ejectum à Luſitanis repertum fuiſſe ait, quod homini ſimillimum ſquammis undique fuerit contectum.

De muliere quâdam, cujus corpus minime morboſum ſponte acutis quibuſdam obductum fuerit ſquammis, legatur *Dom. Panarolus pentec.* 4. *obſ.* 9. *fol.* 146.

Sunt, qui illam imaginationis maternæ in fœ-

tum

tum poteſtatem geſtationis tempore non tantum in hominibus, ſed & in brutis quibuſdam animadverti ſtatuant, quorum etiam fœtus forti imaginatione rerum, viſui, ſive ipſo in coitu, ſive brevi poſt oblatarum mire varient cute diverſo colore tinctâ, qua de re *Schol. obſ.* 50., quæ eſt de Baſilico, latius agemus.

OBSERVATIO XXXVI.

Nævi Vterini.

VAria quidem, & multiplicia ſunt humanæ cutis vitia, inter quæ præcipua quidem ſunt nævi in utero contracti, quorum nuper in Medici cujuſdam filiola hic Hagæ exemplum vidi, cujus corpus prominentibus, latiſque maculis, colore ficuum maturarum, cum prodiret, hic illic erat obſeſſum, quas, quia continue accreſcebant, ipſe, nec non Pater, & *D. Corn. Solingius* penitus per lixivioſa alcalia abſque ullo acido auferre ſtatuimus: hæc autem moleſta admodum nobis fuit curatio, ſiquidem cutis propter mali pertinaciam tardius carnoſæ acceſſit parti.

IN

IN OBSERVATIONEM XXXVI.

Nævi, de quibus pauca admodum huc uſque tradita ſunt, plani, vel prominentes, vel læves, ſcabrique, aut piloſi, minores, majoreſque, vel latæ, vel anguſtæ ſunt baſeos. Diverſi etiam ſunt coloris, figuræque, de quibus *Cornel. Gemma*, *Weinrichius*, *Licetus*, *Lycoſthenes*, *Geſnerus*, *Lemnius*, *Kircherus arte mag. luc. & umbræ lib.* 10. *cap.* 2. *part.* 2. *fol.* 805. aliique plura.

Notandum autem eſt nævos, in quibus pili creſcunt, ſenſim quidem cum hominibus accreſcere, ſed nulla malignitate in pueris ante maturam proſerpere ætatem, cum longe aliter in malignis, quibus nulli pili, colorque obſcurus eſt, quique idcirco ſubitaneam requirunt curationem, ſe res habeat.

P. Borellus hiſt. & obſ. rar. med. phyſ. obſ. 49. *fol. mihi* 235. mentionem facit figuræ uvæ in gena viri, necnon maculæ tulipam, ut & caryophillum florem in femore referentis.

E Tulliis qui fuerunt Arpini potiſſimum *Cicerones* ſunt appellati, quod auctor illorum neſcio quid in naſo, quod *ciceris* formam referret, habuiſſe dicatur, ut *Plutarchus* ſcribit, quamquam *Plinius* ita dictos putat, quod genus hoc leguminis optime ſererent.

Gaſpar. à Reyes Franco Elyſ. jucundiſſ. quæſt. cam-

campo, quæſt. 50. §. 36. figuræ roſæ meminit.

De macula rapam referente vide *N. Tulpium lib.* 3. *obſ. med. cap.* 30. De quadam malo ſimili *Phil. I. Sachſius miſcell. med. phyſ. Germ. an.* 2. *obſ.* 61. agit.

De alia, quæ pruno Damaſceno non diſſimilis erat, vide *H. Fabrit. Hildanum centur.* 5. *obſ.* 46. ut & *Helwigy obſ.* 35. *fol.* 126. qui mentionem facit nævi cujuſdam in ventre murem referentis, qualis etiam meminit *G. H. Velſchius miſcell. med. phyſ. Germ. decur.* 1. *an.* 3. *obſ.* 38, & *G. Segerus eodem lib. obſ.* 198. nec non *Joh. Val. Willius volum.* 3. *act. med. Hafnienſ. obſ.* 83. *fol.* 152. ut & *Thom. Fienus quæſt.* 13. *lib. de viribus imaginationis*, qui de gliris quoque figura memorat.

Hæ, ſimileſque à forti quadam imaginatione Matris circa quoddam objectum, quod ipſis magnopere appetitum denegatur, vel etiam ab inopinato rei cujuſdam, quæ menti poſtea continue offertur, metu oriuntur. De hac autem imaginationis vi jam actum fuit.

Non videbit forte quivis, qui fiat, ut nævi, qui in corporibus recens natorum apparent, ſive ceraſum, ſive morum, fragumve referant, colore, quo maturi fructus, quos mater deſideraverat, eodem tempore imbuantur.

Hujus rei exemplum celeberr. vir *Joh. Helwigius obſ.* 35. *fol. mihi* 125. de ſemet ipſo adducit: „ Ego, inquit, ab infantia huc uſque in ca-

„ pil-

„ pillitii parte ſiniſtra, nævos, ſive notas gero
„ trium fragorum, quæ quotannis menſe Martio, quando fraga floreſcunt, rubeſcere
„ quoque incipiunt, poſtmodum paulatim
„ ſe attollunt uſque ad Junium, fragorum
„ fructus referentes cum leni pruritu. Denique
„ in granula parva alba degenerantes ſponte decidunt, cutis ſpatio glabro, & ſine pilis manente. Et cum adoleſcens ſcabie fœda corriperer, cutis capitis inſigniter intumeſcebat,
„ atque circa illud nævi ſpatium cutis portio fixa,
„ & depreſſa permanebat, cætera cutis cum
„ effluxu humoris ſeroſi, fœtidique divellebatur, uſque dum tumor ſponte ſubſediſſet.
„ Inde nævum hunc à natura per cutem, & capillitium oſſi bregmati alte infixum eſſe conjicio. Ex imaginatione autem ortum habere
„ è matre ipſemet ſæpius audieram, cum gravidæ fragorum, quæ in foro avide ſpectabat,
„ commeſtio negaretur.

Ita etiam *P. Borellus* nigrum ſe in femore geſtaſſe morum teſtatur, quale Matrem quoque in brachio habuiſſe refert, quod mororum tempore augebatur: ibidem etiam de ceraſi nota in viro quodam, quæ ceraſorum tempore rubeſcebat, memorat.

Dom. Panarolus Pentecoſt. 1. *obſ.* 12. *fol.* 7. de nævo quodam mali Punici figuram exhibente, atque in nate mulieris cujuſdam ſito refert, qui, quando balauſtia, ſive flores granatorum prorum-

pe-

pebant, rubeſcebat, ſed fructibus maturis, granis aliquot miræ rubedinis liveſcebat, ita ut per medium diſſectus malo illi apprime ſimilis eſſet: Hyeme vero ita evaneſcebat, ut nullum ejus reſtaret veſtigium; vere autem adventante, nec non florente Punico malo, denuo rubeſcebat nævus.

Cur autem nævi iſti, mori, ceraſi, mali Punici, &c. figuram referentes uno, eodemque veris tempore cum fructibus floreſcant, non ita facile dictu eſt.

Ne tamen ſymbolam non conferamus, ſtatuimus eandem hujus rei eſſe cauſam, quæ efficit, ut vina, ſtato anni tempore, menſe videlicet *Majo*, floreſcentibus vitibus, etiam ad fermentationem invitentur; hoc autem præcipuè recentioribus, quæque nondum à fœcibus purgata, contingit vinis.

Hujuſmodi autem operatio juxta quoſdam recentiores à circumgyratione telluris circa Solem annuâ dependet, qua certis menſibus quibuſdam propior fiat ſtellis, quæ ætherem quendam ad nos tranſmittendo efficiant, ut ſemina, ſuccique nonnulli ad fermentationem concitentur. Eodem autem modo certum ætherem ad nos transferri putandum eſt quando morus, ceraſus, &c. florent, qui nævos, quibus eadem pororum diſpoſitio, quæ fructibus eſt, eodem anni tempore floreſcere facit.

Th. Bartholinus centur. 5. hiſt. 65. in ſexu fœ-

fœminino hoſce nævos præcipue locum habere; nobilemque ſe Matronam noviſſe ait, quæ filiam utero gerens objecto quodam quam facillime commovebatur, unde ejus imago in fœtum tranſibat: filium autem geſtanti nihil horum accidebat.

Modus autem, quo nævi iſti tolluntur, difficilis admodum eſt. Quamvis enim nonnunquam penitus ſublati videantur, facillime iterum pullulaſcunt. Interdum & curationis tempore maligni evadunt: plurima enim reperiuntur exempla eorum, quibus curatio, præcipue in facie, per corrodentia inſtituta non adeo felix fuerit: qua de re legatur *Ammanni parænefis*, nec non *Bartholini acta part.* 3. *obſ.* 83. *fol.* 152. Nonnunquam tam profundas, ut monui, radices agunt, ut maxima requiratur in curatione circumſpectio. Prominentes autem facilius curantur nævi, quam plani, quique ſupremam tantum cutis obſident partem.

Mulierculæ ad nœvos tollendos ſecundinarum utplurimum utuntur ſanguine, quo etiamnum calido eoſdem oblinunt ſanguine, deinceps menſtruo uſuræ.

Sam. Haffenrefferus lib. 1. *de cutis affectibus, cap.* 6. *fol.* 57. experientia ſe edoctum nævos ſecundinarum ſanguine oblitos non ſemel ſublatos fuiſſe refert, *Höefferus* quoque *Hercule Medico cap.* 6. *lib.* 7. *p.* 424. illos ſæpius ſecundinis recentibus tingendos monet.

Alii

Alii quotidie ſaliva jejunæ Matrîs iſtos obli-nunt. Plurimi autem ablutionem laudant, quæ fit aq. deſtillata cariophyllatæ montanæ, quos inter & *Julius Cæſar. Baricellus hortulo geniali p.* 266:

Attenuans haud dubie, conſumenſque vel reſolvens quædam vis in iſtis latet remediis, unde ad ablationem nævorum, præſertim in recens natis, quorum cutis tenuis valde, & tenera eſt, multum faciunt.

Quantum autem ad jejuni hominis ſalivam, certum eſt eâdem nullis commixtâ alimentis ſal quoddam volatile contineri, quod ſubtilitatis, penetrantiſque virtutis ratione viam ad duriorem, viſcoſamque, ac obſtruentem materiam diſſolvendam ſibi ſternit, ita ut humorum per partem affectam recte procedat circulatio, ideoque illa diutius adhibita, ut ipſe confirmat uſus, verrucas, callos, glandularum tumores, maculas, &c. ſenſim aufert.

Sed nequeo non mirari illud *Joh. Baptiſtæ Helmontii, tractatu cui nomen demens Idea, & tumulus peſtis* §. 46. remedium; ſcribit enim nævos, ſi lenta morte ſoluti hominis iis tam diu imponatur manus, donec ſe in intimas illorum frigus penetraverit partes, tolli, quo etiam modo verrucas curari perhibet.

Quæ ſi non juvant, corrodentia adhibenda ſunt, quæ tamen in recens natis, teneriſque infantibus majori uſurpantur cum ſucceſſu, quam

in adultis, quibus fruſtra plerumque admoventur.

His nec inutilis eſt aqua illa regia, quam *G. Segerus miſc. med. phyſ. German. an.* 3. *obſ.* 197. ſatis feliciter nævo cujuſdam Domini, qui muris pellem exhibebat in tempore capitis, applicitam ait; poſt hujus enim aquæ uſum primo capilli, deinde cutis ſeparabantur, & poſt mundificantium uſum parti affectæ nova accedebat cutis, ita ut ille tandem percuratus fuerit.

Valet etiam ſpiritus ſalis ammon. applicatio, ſi pars nævo infecta eodem oblinatur, donec cutis auferatur; ita enim ſenſim tolluntur maculæ.

Platerus lib. 3. *pag.* 589. ſe fuſcum à puellæ cujuſdam facie nævum cathæretici, ſive cauſtici ſine dolore operantis uſu abſtuliſſe memorat.

Nonnulli Mercurio ſublimato pinguedine mixto utuntur. Alii nævos ſecundum artem abſcindunt, quod commodius perficitur, quando tumor inferne circa radicem filo quodam conſtringi poteſt; cavendum autem eſt, ne arteria, vel aliud majus vas præſertimque, ne nervus lædatur. Nihil etiam tumoris relinquendum eſt, ſiquidem, vel minima ejus parte ſuperſtite, denuo redeat malum, uti ſibi contigiſſe *H. Fabrit. Hildanus centur.* 5. *obſ.* 46. *fol.* 433. teſtatur. Hoc itaque ſi evenerit, nec non marginum quædam portio poſt abſciſſionem remanſerit, idem remedio rodente è cineribus vitis, & calce viva, cum

cum modica quantitate aq. plantag., & roſar. ad formam linimenti redacto utitur, cujus remedii virtus, & acredo corroſiva aquis illis temperatur. Hoc autem linimento minoris penicilli ope margines oblinit, ſicque eſcharam efficit, cui digeſtivum è cera, therebinth, gum. elemmi, ol. roſar. amygd. dulc., vitell. ovor., & croco conflatum imponit, ac deinde cauſticum applicat, donec nihil omnino mali ſuperſit; interim ſimul cum digeſtivo pulv. præcipitati ſpiritu vini rectificat: abluti nonnunquam utebatur; ſiquidem iſte pulvis, ut tradit *Hildanus*, ad extrahenda, quæ præternaturaliter in cute, viciniſque muſculis hærent, efficaciſſimus eſt. Poſtea autem exſiccantibus cutem ſuperinducit.

In nævis autem abſcindendis loci inſuper, in quo reperiuntur, habenda eſt ratio. *Th. Bartholinus centur.* 3. *epiſt.* 40. ſe tumorem glanduloſum non auſum fuiſſe auferre ait, cum quo circa os ſacrum infans quidam natus erat, cum, quod firmiter nimis loco inhæreret, tum quod ſubjectorum metueret nervorum læſionem.

Nic. Tulpius infelicem etiam deligationem, ablationemque tumoris cujuſdam lumbaris in infante deſcripſit.

In mentem etiam mihi venit tumor quidam in capite modo nati infantis, qui, illo aperto, non diu vixit.

Biennium jam elapſum eſt, cum ego, ac *Cornel. Solingius* prominentem quendam, ob-

ſcurum, & ſubito proſerpentem nævum, figura, & colore rubi idæi, ſitumque prope canthum minorem oculi dextri filiolæ Domini *N. H.* duos annos natæ per illa corrodentia auferre conaremur, quæ inter etiam erat aq. fortis argento cupellato affuſa, qua nævus oblinebatur, dum interea cutim ſanam circa tumorem pinguedine obduxeramus, ne à corroſivo læderetur. Tumor autem uſque adeo inde auctus fuit, ut forcipe eum auferre ſatius duxerimus: ſiquidem in tam tenero infante cauſticum, præſertim in parte oculo tam vicina, non recte compeſci poſſet. Sciſſo itaque tumore infans intra 4. hebdomadas convaluit.

OBSERVATIO XXXVII.

Pili, & os in teſticulo puellæ reperta.

OBſervatione 92. tom. I. mentionem fecimus pilorum in abſceſſu quodam repertorum; hîc autem de pilis, & oſſiculo in teſticulo puellæ cujuſdam inventis agemus. Hujuſmodi enim caſus mihi, fratrique *Joh. Stalpartio vander Wiel*, nec non *Fr. à Kempe* Chirurgo Hagienſi *An.* 1682. in dextro filiæ cujuſ-

juſdam annos quindecim natæ teſticulo occurrit. Æquabat ille ovi anſerini magnitudinem, atque intra eum alba quædam reperiebatur materia, cujus ſubſtantia putrefacto caſeo ſimilis pilis permiſta erat, pleriſque magnitudine minimo digito paribus, quorum etiam pars non parva inſtar minoris capillitii firmiter interiori teſticuli adnata erat parti. In eodem etiam os quoddam reperimus, quod ſimiliter interiori membranæ annexum magnitudine phaſeoli, ac colore albo erat.

Filia hæc nunquam menſtruos paſſa fluxus per annum quidem integrum morbo lento, nec non hyſtericæ obnoxia fuerat paſſioni, In rene etiam dextro exulcerato varii inveniebantur lapilli quorum unus exiguæ amygdalæ magnitudinem æquans in uretere dextro hærebat, quem, quod pituita obſideretur, aliquamdiu ibidem hæſiſſe ſuſpicati ſumus, quamvis urina ſolito tempore abſque majori incommodo excreta fuerit.

IN OBSERVATIONEM XXXVII.

GAlenus *meth. med. cap.* 12. in nonnullis abſceſſibus inciſis corpora diverſæ naturæ, ſubſtantiæque, ac figuræ, non liquida tantum, & mollia, ſed & dura, v.gr. ungues, cornua, pilos, conchas, teſtas, lapides, oſſa, & ſimilia reperta fuiſſe tradit.

Quamvis autem rarus admodum eſſet piloſus ille, cujus *tom.* 1. *Scholio ad obſ.* 93. memini, abſceſſus, in hujus tamen puellæ teſticulo cum pilis etiam oſſiculum repertum fuiſſe mirandum eſt. Celeberr. vir *Joh. Baptiſt. de Lamzweerde tract. de molis uteri cap.* 2. *fol.* 15. tumoris cartilaginoſi teſtis puellæ 11. annorum 15. libras pendentis meminit, qui carneas, oſſeas, imo & pilorum ſubſtantias ambitu complectebatur.

Illam autem urinam abſque majori paſſim moleſtia, licet calculus in uretere hæreret, exoneraſſe, non eſt, ut magnopere miremur: ſiquidem ren alter omnino ſanus urinæ tranſmittendæ ſufficiens erat, utut *Foreſtus*, *Duretus*, *Riolanus Beverovicius*, *Loſelius*, aliique non ita ſentiant.

Ejuſmodi autem caſu experientiæ magis, quam magnorum virorum auctoritati quæ ſæpe fallitur, fidendum eſt.

Fateor quidem me non ſemel, obſtructo per calculum rene, vel uretere, animadvertiſſe urinam excerni non potuiſſe. Id autem non per ſym-

ſympathiam quandam alterius renis cum altero, ut non pauci exiſtimarunt, ſed quia ren alter inſcio ægro (neque enim acuti ſenſus renes ſunt) jamdudum fuerat obſtructus, contigerat, dum interea urina per oppoſitum renem, tunc temporis calculi immunem, ſatis apte efflueret. Hoc autem tandem etiam obſtructo, omnis urinæ in veſicam via præcluditur.

Illud ipſum frequenter in cadaverum diſſectione demonſtratur. *Diemerbroekius Anat. lib.* 1. *fol.* 178. *cap.* 17. ſe ureterem alterum ſæpius circa initium omnino occluſum inveniſſe ait, quod viventes ægri nihil ſentientes incommodi, per alterum renem urinâ recte ſemper defluente, ignoraverant, ita ut nunquam urinæ ſufflaminationem renum intuitu, niſi uterque poſt obitum obſtructus apparuerit, animadverterit.

OBSERVATIO XXXVIII.

Lac cum urina excretum.

VArios multas equidem, diverſaſque admodum, tam tenues, molleſque quam craſſas, ac ſolidas, ut pus, ſanguinem, atram, flavamque, ac cœnoſam materiam, vermes, pilos, arenas, calculos, oſſa, pituitam, pinguedinem, pelliculas, furfures, &c. excreviſſe uſus do-

docuit. Nunquam tamen mihi antea occurrit caſus, quo cum urina lac fuerit excretum.

Id ipſum tamen *Guilhelmo à Roſſen* 24. annorum Juveni accidiſſe conſtat. Hic tertianâ per duos, treſve menſes afflictus febri, ac paupertate coactus, referente Med. Doct. *D. Theod. Schoon*, in Noſocomium Leydenſe delatus eſt, ubi intra duas, treſve hebdomadas per idonea remedia febre liber evaſit, ita ut convaluiſſe videretur, ſuperſtite tamen anorexiâ, & cibi faſtidio, quod eum continue vexabat. Omnia itaque ei à Noſocomii Medico, quæ ad appetitum ciendum, fermentumque ventriculi laudabile excitandum cenſebantur idonea, ſed fruſtra, fuere propinata: ſiquidem nullis excitaretur appetitus remediis, quod ei unicum reſtabat malum.

Cum itaque nihil proficere, ſed ſenſim conſumi videretur, alimenta concoctu facilia, ut carnium juſcula, lac dulce, emulſiones, aliaque cardiaca ei data fuere. Interim tamen turbulenta erat, ac ſine ullo ſedimento urina, nec non fere aquæ inſtar ſapone mixtæ pallida,

da: Illa enim igni impoſita, & ad gradum coctionis fervefacta in ſubſtantiam quandam coloſtro odore, nec non colore, & ſapore, &c. quantum quidem cernere licebat, ſimillimam convertebatur; coctione enim, ut coloſtrum, coagulabatur, ita ut fervefacta ab hoc diſcerni non poſſet; omnes etiam, quæ vulgo in lacte reperiuntur, oleoſas, pingueſve, nec non terreſtres, & aquoſas, ſimileſque comprehendebat partes, uti compertum fuit caſeo butyroque inde confecto.

Noſocomii itaque Medicus, perſpectâ accuratius urinâ, mortem appropinquare dixit. Certior enim erat, quod ſimiles ei in duobus aliis occurriſſent caſus, qui, omnibus iſtis obſervatis, eodem, quo hic poſtea, obierant modo. Noſter enim *Guilhelmus* ita per très menſes continuos abſque ulla valetudinis recuperandæ ſpe afflictus tandem vehementiore quâdam febre cum delirio ſuperveniente, quod biduum durabat, exſpiravit.

Aperto cadavere hæc obſervata ſunt. Pulmo erat Pleuræ firmiter annexus. He-

par prægrande, ac ad ſiniſtrum uſque hypochondrium extentum erat; Ventriculus minimus, craſſâque, & viſcoſâ materiâ intus obſeſſus. Lien valde tumidus admodum, maximuſque,ac durus apparuit. Pancreas quoque induratum erat. Cætera ſatis recte ſe habebant.

IN OBSERVATIONEM XXXVIII.

URinas hominum pro morborum diverſitate multum variare quotidiana demonſtrat experientia. Sic in Chloroſi, ſive pallido morbo virgineo, urina pallida, clara, & aquæ jugis inſtar tenuis, in ictero autem flava, ac quaſi bile, vel croco tincta occurrit. In acutis autem, & ardentibus febribus, nec non lienoſis, & in quorum vaſis nigricans reperitur ſerum, urina etiam nigricat, nec non in illis, quorum ſanguis ex defectu ſufficientis motus craſſeſcit, unde ſpiritibus quaſi conſtrictis, circulatio retardatur, maſſaque ſanguinis tandem corrumpitur. In continuis febribus, ac quibus inflammatus eſt ſanguis, multas ſulphureas, ſalinaſque in ſe complectitur particulas, rubicundaque ac ſplendens apparet urina.

Quorundam autem urinas non colore tantum, craſſitieque, ſed & ſubſtantiâ, & ſapore lacti dulci, (uti noſtrâ obſervatione conſtat) ſimiles

non

non immerito quivis miretur: Tales enim Medicis raro admodum occurrunt.

N. Florentinus ſerm. 5. *tract.* 10. *cap.* 21. tradit ſe juvenem quendam 30. annorum vidiſſe, qui cum urina quotidie multum lactis in fundo veluti coagulati excreverit, quod dimidiam vitri urinarii, tenui ſupernatante ſero, implebat partem.

Narrat quoque *Schenkius Petrum Sphererium* vidiſſe quendam Polonum, qui renum ulcere laborare judicabatur, ſæpius in Noſocomio albam, atque inſtar lactis craſſam reddidiſſe urinam.

Hanc autem materiam purulentam eſſe etiam ex iis patet, quæ *Felix Platerus lib.* 3. *obſ. pag. mihi* 784. memorat. Ait enim ſeſe diutius, abſque prævio in renibus, veſicâve incommodo lacteam reddidiſſe urinam, à quâ aliquantiſper quieſcente, tantum materiæ cujuſdam albicantis, ac lacti craſſo non diſſimilis præcipitabatur, quantum bina caperent cochlearia.

Simile quid narrant *Ballonius lib.* 2. *Conſil.* 39. *Valent. Andr. Möellenbroccius miſcell. med. phyſ. curioſ. German. decur.* 1. *an.* 1. *obſ.* 89. *fol.* 206. *& ſeqq.* Nec non *Balth. Timæus lib.* 3. *caſ. med. obſ.* 431. ut & *Th. Bartholinus hiſt. anatom. de lact. Thorac. cap.* 9. *fol.* 333.

J. Drav. tract. de Scorb. lacteam nonnunquam huic morbo obnoxios reddere urinam teſtatur.

Medicinæ Doctor *Capellus*, referente *Bauhino obſervat. propriis*, mulierem quandam, quæ tantum lactis, quantum bis caperet cyathus per

veſi-

veſicam excreverat, vidit. E quali autem materia lac illud conſtiterit, ac per quas in veſicam delatum fuerit vias, nec non à qua proveniat cauſa, ſcitu digniſſimum eſt; cum nihil, vel perparum hac de re protulerit tota Veterum cohors.

Veroſimile eſt lacteam illam ſubſtantiam cum urina provenientem chylum eſſe, ſiquidem id ex præcipitata conſtet materia, quæ craſſæ non eſt ſubſtantiæ, ſed chylo plane ſimilis. Inter digitos enim contrita glabra, ac mollis, ejuſdemque cujus chylus, eſt coloris, & ad fundum præcipitata lac videtur craſſum.

Chylum autem eſſe, qui excernitur, inſuper liquet, quod magna plerumque ejuſmodi mictionem ſubſequatur virium debilitas, imò ſæpe tabes, ſi diu continuetur ejuſmodi excretio, quemadmodum non noſtro ſolum *Guilhelmo*, ſed & pluribus accidit.

Joh. Theod. Schenckius Exercit. anatom. 7. *lib.* 1. *ſect.* 2. *c.* 33. *fol. mihi* 589. Poſtquam, ait, primò renum me invaſiſſet dolor, cujus ne jam quidem immunis ſum, quotidie ultra anni ſpatium aliquot poſt prandium horis ſero non diſſimilem cum urina egeſſi materiam, quæ ante ipſam quandoque urinam, cum illa nonnunquam, vel poſt eam effluebat. Turbidior deinde urina evadebat, donec, evaneſcente calore, in fundo non viſcidum, at craſſius reſideret ſedimentum, quod commotum illico ſatis apparebat turbidum: ita ut has chyli crederem partes, quæ acore quodam

dam præcipitatæ eſſent, quæque poſtea, ſublata ſenſim tenuiori parte, intra digitos, antequam lento igni ſiccatæ inſtar fæculæ è radice Aronis expreſſæ vaſis fundum peterent, fricari nequirent. Sæpius etiam corporis partes non tam debilitatæ, quam emaciatæ qualicunque hac ejectione videbantur.

Cum vero aliquamdiu renis calculo liber fuiſſet, de ariditate iſta, cum non amplius ejuſmodi excrementa animadvertiſſet, parum ſe ſollicitum dixit.

Per quas autem chylus iſte in veſicam pervenerit vias, non ita expeditum eſt. Nonnulli vaſa quædam lactea uſque ad veſicam excurrere, per quæ chylus iſte eo deferatur, autumant.

Hos inter *Th. Bartholinus* eſt, qui *hiſt. anat. de lact. thorac. cap.* 9. *pag. mihi* 37. iſtorum vaſorum meminit; ut & *Iſbr. de Diemerbroeck Anatom. cap.* 17. *fol. mihi* 176. qui vaſa quædam lactea per vias etiamnum ignotas ad veſicam excurrere, nec tamen in omnibus, ſed in paucis tantum nonnunquam adeo ampla, ut non chylum tantum lacteum, ſerumque ſuperfluum, quod à copioſo provenit potu, ſed & ſolida quædam, duraque, & oblonga ad veſicam tranſmittant corpora, exiſtere contendit.

Hujuſmodi autem vaſa lactea ad veſicam tendere *Moellenbroccius* etiam *miſcel. med. phyſ. curioſ. an.* 1. *obſ.* 89. *fol. mihi* 206. nec non *Joh. Draviſius d. tr. & cap.* ſtatuunt.

Thom.

Thom. Wharton. autem *adenograph. cap.* 15. *p. mihi* 91. minus probabile eſſe ait immediate, & ex naturæ inſtituto ulla lactea ad veſicam diſtribui vaſa. Neque enim materiam excrementitiam, ſed ſuccum utilem ex naturæ propoſito, miroque artificio ex alimentis eductum continent,

Sed nec credibile eſſe ſtatuit, ſuccum illum tam probe coctum, nutritionique deſtinatum, cum lotio mox foras protrudi.

Licet autem *Ysbrand. Diemerbroeckius Anat. lib.* 1. ut *obſ.* 35. *tom.* 1. *pag.* 143. diximus, ac *Mœbius fundam. med. phyſ. cap.* 17. *p.* 422. etiam renes quaidam recipere venas lacteas ſtatuant, haud dubie, ut chylus aquoſior illico ad renes abeat. Quamvis etiam chyli partem per vaſa illa adductam cum urina in veſicam eorum, quibus renes debiliores ſunt, tranſire contendant: Certum tamen eſt (quantum quidem ipſe ſciam) à nullo vaſa quædam lactea ad veſicam, vel renes tendentia huc uſque detecta eſſe, quæ ſi etiam ibidem exiſterent, haud dubie utilis quædam ſucci illius portio alicubi prius fuiſſet ſequeſtrata, antequam ad veſicam inutilis pars tenderet.

Caſus autem à nonnullis memorati in morboſis, maleque diſpoſitis maximam partem obſervati ſunt corporibus, in quibus non ita mirum eſt, ſi inſueti quandoque cum urina excernantur humores. Si vero illis hæc è vaſis lacteis ad veſicam excurrentibus immediatè proveniret materia, vix

red-

reddi poſſet ratio cur non continuè, & abſque prævià ſecretione illuc flueret. Sed nec neceſſe eſt, meo judicio, ut particularia quædam lactea ad chyli illius excretionem in veſicam implantarentur vaſa: ſiquidem omnibus ſanguiferis chylus continetur vaſis, qui interdum quoque ſatis copioſe emiſſo ſanguine venoſo mixtus repertus, imo etiam purum lac nonnunquam pro rubro ſanguine è venis emiſſum fuit.

Nec deſunt hujuſmodi exempla *Thomæ Bartholino de lact: thorac: cap:* 13. *fol. mihi* 55. 56. ut & *centur.* 1. *hiſt.* 17. *pag:* 29. *Steph. Blankardo collect. med. phyſ. cent.* 1. *hiſt.* 1. *fol.* 1. *Joh. Rhodio obſ. Med. cent.* 1. *hiſt.* 36. *fol. mihi* 25. nec non *cent:* 3. *obſ:* 32. *fol.* 151. *P. à Caſtro Medico Veronenſi*, *Williſio fol.* 108. *Marc. Donato, de hiſt. med. mirab. lib.* 1. *cap:* 4. *fol:* 50. *Ephem. eruditorum Galliæ an.* 1677. *p.* 155. *Act. Philoſ. Angliæ an:* 1665. *pag:* 197. *P. Borello cent.* 1. *obſ.* 25. *R. Graeffio de viror. org. generat: dicatis fol.* 84. *Miſcell. med. phyſ. curioſ. Germ. decur.* 1. *an* 1. *obſ.* 28. *p.* 98. *& ſeqq. Item obſ.* 132. *fol.* 294. *an.* 2. *App.* 31. *& pag.* 312. *an.* 3. *obſ.* 123. *p.* 195. *an.* 6. *obſ:* 214. *fol.* 313.

Animadvertimus inſuper album mulierum fluorem nihil, niſi chyloſam, & à ſanguine ſeparatam eſſe materiam: quamvis *G: Blaſius App. ad Veſlingium part.* 4. *cap.* 10. *fol.* 372. non dubitet, quin peculiaria quædam lactea è chylifero ſacco ad uterum diſpergantur vaſa: ſic in puerperis ſæpius

circa

circa finem depurationis lochia alba, lacteumque referentia colorem videmus, qui fluxus mammis ſuccum emittentibus facile evaneſcit.

Andr. Laurentius lib. 2. Anatom. quæſt. 10. non ſemel ſe vidiſſe puerperas tam ex utero, quam veſica, magnam egerentes lactis quantitatem tradit. Teſtatur *G. Blaſius* loco notato expertum ſe gravidas inſtante partu materiam ſubſtantia, ſapore, ac colore lacti ſimillimam per uterum excreviſſe, quod ipſis obſtetricibus certum inſtantis partus ſignum eſſe aſſerit.

Quænam autem cauſa fuit, cur lactea hæc noſtro ægro magis quam aliis efluxerit urina?

Illud fortean propter obſtructiones quaſdam in exiguis vaſis capillaribus, & canaliculis, ſive tubulis, qui nutritium ad partes ſolidas deferunt ſuccum, contigit. Sæpius enim hujuſmodi obſtructio è viſcoſo quodam, tenaci, & craſſo provenit ſanguine. Pauciora autem interdum, plura nonnunquam capillaria obſtruuntur vaſa, dum interea majora chylo referta, ſolidaſque partes propter capillarium obſtructionem nutrire neſcia chyli nonnihil in renes, & veſicam ejiciunt.

Ejuſdem autem *Guilhelmi* pulmo membranæ pleuræ firmiter annexus non eſt quod magnopere nos moveat, quoniam plures magis, minuſque iſto afficiuntur malo: moleſtior autem eo caſu, ac difficilior eſt reſpiratio.

Hepatis etiam præter morem magnitudo ſangui-

guinis craſſioris imputanda eſt obſtructioni, præſertim ſi acidæ quædam, auſteræque ei admiſtæ fuerint particulæ; niſi forte quis obſtructionem, & preſſionem in vaſis lacteis thoracici ductus ortam dicat; ita ut ſuperiores corporis partis nutrimento deſtituantur, unde hepati aucta fit magnitudo; quale exemplum apud *Bartholinum de lact. thorac. cap. 9. fol.* 42. extat. Tradit & idem *lib.* I. *Anat. reform. cap.* 14. ſe in cadaveribus tabe extinctorum maximum, imo vel quater, aut quinquies ſolito majus reperiſſe hepar.


Forſan etiam tam exiguus fuit ventriculus, quod ille propter appetitus defectum alimentis diutius non fuerit extenſus, unde haud dubie contractus, corrugatuſque tandem evaſit. Ventriculi autem debilitati, cibique faſtidii cauſam viſcoſa materia, quæ in illo reperta eſt, manifeſtavit.

Ipſius autem lienis tumorem, nec non inſolitam magnitudinem, ejuſdemque ut & pancreatis duritiem viſcoſæ cujuſdam materiæ à crudo provenientis chylo, tandemque induratæ, exſiccatæque obſtructionem credibile eſt produxiſſe.

OBSERVATIO XXXIX.

Urethra prope Scrotum aperta.

EXemplum petulantiæ puerilis ſatis gravi punitæ ſupplicio mihi menſe Febr. an. 1683. in adoleſcente quodam annos duodecim nato occurrit. Hic enim ante ſexennium præputium petulanter retrahens filo quodam non procul à ſcroto penem firmiter vinxit, unde hic ita intumuit, ut Chirurgus propter magnum undique tumorem filum, quod diſſecaret, non videret. In auxilium itaque advocatus *Corn. Solingius* Medicus, Chirurguſque Hagienſis tumorem digitis, quantum fieri poterat, comprimens filum conſpectum forcipe acutâ, tenuique ſecuit, animadvertitque per arctam fili conſtrictionem apertam fuiſſe urethram. Quapropter affectæ parti requiſita applicuit temedia. Adoleſcens autem poſtea curam neglexit, unde apertura propter urinæ illac continue pro parte affluentis acrimoniam callo un-


fig. 1.
fig. 2.
fig. 3.
tab:1
A
B
A
B
A
A
A

undique obducta ſanari nequiit. Poſt ſexennium tamen ejus amici (Parens enim jam tum obietat) *D. Solingii* denuo implorarunt opem. Conſultus itaque ipſe, aliique tolli malum poſſe negavimus, cum quod amplior apertura, vicinaque urethræ cutis nimis eſſet tenuis, tum quod ſpatium ſcrotum inter, factumque foramen non ita latum eſſet, quod commoda admitteret medicamina.

Tabulæ autem 13. fig. primæ littera A. penis glandem, B. retractum præputium, C. urethræ aperturam filo factam monſtrat. Secundæ fig. littera A. ſtylum in aperturam intruſum, B. ipſum foramen, in quo ſtylus hæret, oſtendit. Tertiæ fig. A. A. ſtylum per apertam tranſmiſſum urethram, atque extra ſcrotum prominentem notat.

IN OBSERVATIONEM XXXIX.

URinam, urethra, per quam excerni ſolet occluſâ, alium ſibi patefacere iter ad obſervationem 86. *tom.* 1. *p.* 366. annotavi, ibidemque id nonnunquam infra penis glandem, quandoque & in media urethra, interdum etiam

in ejuſdem extremitate, ac denique aliquando in ipſo fieri perinæo dixi. Hæc autem obſervatio de apertione urethræ in extremitate penis non procul à ſcroto ex petulantia ſuborta agit. Glans enim ſatis erat perforata. Quod vitium propter rationes ipſâ adductas obſervatione immedicabile judicabatur.

Verum quidem eſt nos ad *obſ.* 86. exemplum cujuſdam adſcripſiſſe, qui occluſa penis extremitate, liberos procreavit, verum illius penis immediate infra glandem perforatus erat. *Dionyſius etiam à Sterre tract. de generatione nuper edito p.* 37. ſe haud paucos noſſe teſtatur, qui pene ſive prope frenulum, ſive ad pollicis unius, dimidiique latitudinis ab extremitate diſtantiam perforato liberos progenerarint.

Meminit *D. Melchior Fribe miſcell. med. phyſ. German. decur.* 2. *an.* 3. *obſ.* 98. *fol.* 159. viri cujuſdam, cui penis in inferiori parte perforatus, glans autem non ſolum deformata, ſed inſuper imperforata erat, qui nihilominus aptiſſimum ſe ad generandam prolem oſtendit, utpote cujus ope ſex prodierint liberi. Congreſſum autem ille ſine obſtaculo maxima cum voluptate abſolvit. Emiſſum vero ſemen interdum orificio uteri communicari è glandis penis avida, & jucunda baſiatione, & complexu ſtatuit.

Hujuſmodi autem hominibus procreandi vim minus eſſe certam ex alio quodam ad eandem noſtram obſervationem adducto caſu conſtat.

An

An vero ejuſmodi vir, cui duobus locis, præſertim tam prope ſcrotum, perforatus eſt penis, ad generationem aptus ſit, non ita expeditum eſt. Conſiderationes autem quaſdam breviter proponam.

Felix Platerus obſ. lib. 3. pag. mihi 792. ſe nobilem quendam noviſſe ait, cujus in pene duo aperiebantur foramina, unum quidem in glande ipſa, ubi naturaliter apparere ſolet, alterum vero paulo infra circa glandis radicem ad præputii exortum, per hoc, autem tam urinam, quam genituram emittebat: non tantum, inquit, generationem præpediebat, ſed & patientem jugiter polluebat hic affectus; hujus autem geminati foraminis curatio, quamvis vitium ab ortu contractum fuerat, non difficile fuit, foraminis videlicet inferius inciſis, & abraſis labiis, inductâque interim antrorſum in penem plumbea, vel argentea fiſtula, donec cicatricem vulnus contraxerit, detinendâ.

Verum hoc modo puer, de quo egimus, ob rationes illas percurari nequiit.

Dubius autem ſum, hicne ad generationem plane ineptus ſit futurus, an ſecus. Statuunt enim plurimi eam uteris, præcipue avidarum, viraginumque, ineſſe vim, ut ſeminis virilis ſpiritum recens ad ora externa affuſi in interna, ac deinceps in ipſas admittant cavitates. Quamvis enim ſemen in vulvam non intromittatur, concipere tamen poſſunt.

Hoc autem ſi verum eſt, quid ni multo facilius quandam imprægnet puer noſter, cum ſemen, licet non omne, ad os uteri uſque effundere queat;

Ad aſtruendam illius opinionis veritatem, *H: Fabrit: ab Aquapendente lib. de Chirurg: operat. part*: 1. *fol. mihi* 93. narrat Adoleſcentes Marem, & fœminam, quos fax torrebat mutua, furtim conveniſſe, ſtanteſque oſculis, ac blanditiis indulſiſſe avidos. Cum vero utriuſque genitalia ſe invicem extrinſecus contingerent, factâ ex nimia voluptate ſeminis ad vulvæ oſtia effuſione, concepit virgo. Id autem haud ita mirum eſſe idem ait, quod, cum ambo eſſent Adoleſcentes, & tentigine arderent, glandis orificium Hymenis foramini apponi, conjungique, atque ita ſemen à Mari vi magna emiſſum per Hymenis orificium vulvam ingredi potuerit; adeo ut illa, vel integro Hymene gravida facta ſit. Vulvam enim inſigni vi attractrice, inquit idem, pollere teſtis eſt *Plato*, qui animali uterum comparat, & veluti animal eſſe aſſeverat. Ejuſmodi hiſtoriam *Joh: Fragoſo declarationum libro* narrat.

Ipſemet ego novi incolam, & Civem hujus urbis, qui, cum uxor, puerperii lecto per aliquod tempus affixa fuiſſet, tam diutinæ à coitu abſtinentiæ impatiens vicini filiam, qua cum familiariter antea vixerat, blande interdum contrectabat, adeo ut tandem, veretro illius pudendis

dendis admoto, ſemen ante vulvæ ejaculatus ſit oſtia, cujus turgidos, ferventeſque ſpiritus illa ad venerem jam ante incitata, & ſummopere pruriens faucibus uteri hiantibus hauſit, indeque pene in vulvam non immiſſo, virginitatiſque clauſtris illæſis, concepit, & nihil initio ex iſto actu ſuſpicata, gravidaque permanens tandem peperit.

Refert *G: Fabrit: Hildanus cent.* 3, *obſ.* 60. de conjugata quadam, cujus collo matricis dura admodum membrana interpoſita erat, quæ, quo minus penis intraret, obſtabat; unde maximus dolor, dum Maritus inibat, exoriebatur. Ea autem nihilominus, antequam membrana incideretur, gravida facta eſt.

Virginem citra virginitatis jacturam, virginalique ſepto illæſo imprægnari poſſe *Ariſtoteles* etiam 2. *de generat: Animal: cap* 6. innuere videtur. Quod nec *Galenus* negat, cum *lib:* 1. *de ſemine cap:* 4. uterum collo, tanquam manibus, ad attrahendum maris ſemen uti dicit.

Teſte etiam *Hippocrate*, & *Avicenna ſen:* 21. *lib.* 3. *tr:* 4. *cap:* 1. Atretæ, ſeu imperforatæ mulieres concipere poſſunt. Memorat & tres *Riolanus filius lib.* 2. *Anthropogr: cap:* 31. de hiſce hiſtorias. Idem affirmant *Peramatus append:* 1. *de conceptu fol.* 98. §. 2. *H: Mercurialis lib:* 4. *de morb: mulier: cap:* 14. *Sinibaldus lib.* 1. *Gene-anthr. tr:* 3. *cap:* 6. nec non *P. Zacchias quæſt:*

Med: legal: lib: 3. *tit:* 1. *quæſt:* 8. ac *Jac. Guillemæus de puerperiis lib:* 2. *cap:* 10.

G: Harvæus lib: de generat: animal: exercitat: de partu fol: mihi 511. memorabile de equâ candidiſſimâ formaque præſtante recitat exemplum, quam Sereniſſima Angliæ Regina dono acceperat, ac cujus genitalia, ne ab equis admiſſariis inita corporis gratiam, equitandique corrumperent uſum, Equiſones, ut fit, annulis infibulaverant ferreis. Eadem tamen, neſcio quo pacto, inquit, neque enim Cuſtodes mihi indicare poterant, facta eſt gravida, tandemque, cum nihil tale ſuſpicarentur, noctu peperit, pulluſque vivens mane ad matris latera conſpicitur, ambobus vulvæ labiis annulis antea conſutis, totoque pudendo verſus ſiniſtrum latus detruſis, & à dextrâ coxendice avulſis.

Idem de generat: Animal: exercitat: 6. & 39. galli genituram gallinæ uterum non ingredi, & *exercitat:* 67. 68. in nullo animalium genere ſemen maris in uterum recipi ait.

Poſſe autem homines concipi, ſpiritibus tantum ſeminalibus à viro emiſſis abſque ulla genituræ effuſione exemplo probat *Sinibaldus* de viro, qui non effundebat in coitu ſemen, ſed tantum ſpiritus maximo cum delectamento; imò tali, ut voluptatis impotens, & ſenſibus fere omnibus deſtitutus humi concideret. Hic autem nihilominus mulierem gravidam reddidit. Unde virtutem ſeminis activam in ſpiritibus conſiſtere, ac in

ſemine

ſemine duas conſiderandas eſſe partes concludit, materialem videlicet, & formalem, ſeu materiam, & facultatem. Quin etiam in ſpiritibus æthereo calore præditis, omniaque pervadentibus facultatem reſidere, materiam vero lentum illum humorem, & fluxile eſſe excrementum ſtatuit, quod tantum vehiculum ſit ſpiritus intra uterum delaturum. Si igitur, inquit, ſpiritus intra uterum tutò immitti poſſunt, abſque hac materia, haud dubie generatio perfecta ſuccedet. Ejuſdem opinionis fuere *Denſingius, Regn. Graefſius*, aliique.

Recentiores quidam non ſemen virile, ſed ejus ſpiritus tantum in uteri cavum, ejuſque poros, fungoſamque ſubſtantiam ferri, ſicque humoribus illic circulantibus admiſceri, eoſque alterare, ſanguiniſque maſſam tandem ingredi, atque alterare, & hinc mulieres non diu a conceptione in horrores, & lypothymiam labi ſtatuunt.

OBSERVATIO XL.

Urethra calloſis obſtructa excreſcentiis.

QUicunque cum impudicis rem habent mulieribus, laxaſque voluptatibus permittunt habenas, ſupplicia quoque ineluctabilia inviti, dolores videlicet, ac miſerias ſæpiſſime ferunt. Hoc

autem Normanno cuidam *Alberto Horn* nomen erat, contigit, qui, poſtquam diu ſub invicto Heroe *C. Trompio* claſſium Batavicarum præfecto militaſſet, in patriam reverſus de vitio quodam viæ urinariæ, quo ita urinæ impediebatur excretio, ut Med. Chirurgi *C. Solingii* auxilium petierit, conqueſtus eſt. Hic autem, inquiſitione factâ, totam fere urethram malignis, callofiſque excreſcentiis repletam reperit: quapropter ſpecillum argenteum incurvatum, ac undique crenis ſive inciſuris tuſum in illam immiſit, cujus ope, quamvis non ſine vehementi dolore, tantum ibidem effecit ſpatium, ut illico urinam quodammodo reddiderit miſer. Reliqua autem medicamenta poſtea ab eodem *Solingio* ad tollendas calloſitates incaſſum fuere adhibita. Quapropter cavum ſpecillum in urethram, quantum fieri poterat, ad ipſum uſque corpus nervoſum intruſit, ut ita totius penis latus (exceptâ glande) incideret, quod & ſe antea Lyburni feciſſe dicebat. Hac autem operatione peractâ, corrodente quodem medicamento calloſam ſenſim conſumpſit ſubſtan-

tiam,

tiam, poſteaque penem parvis acubus argenteis (qualibus ad ſuturam labiorum leporinorum utuntur Chirurgi) diverſis in locis conſuit: Atque iſta quidem ita ſucceſſiſſe ait, ut tenuis cujuſdam, flexiliſque catheteris ope urinam laborans continuè excreverit; ſicque ſatis feliciter malo iſto abſque urinæ ſtillicidio liberatus fuerit. Poſtea autem idem *A. Horn*, non ſine dedecore ſe propter nodoſos in pene cicatrices Italis multo, quam ante, acceptiorem fuiſſe meretriculis jactabat.

IN OBSERVATIONEM XL.

INter varia illa, doloriſque immenſi plena mala, quæ ſcortatoribus, adulteriſque juſto Dei judicio obveniunt, jure merito recenſentur carnoſæ excreſcentiæ, calli, & verrucæ, quæ intus in urethra ſeſe manifeſtant, primoque è fœtidis quibuſdam ibidem naſcuntur ulceribus, unde ſenſim ſpongioſa quædam excreſcit caro, quæ indureſcit tandem, calleſcitque, nec dolorem tantum ingentem, ardoremque producit, ſed & urinæ impedit exitum; unde afflictos intolerabiles premunt, anguntque miſeriæ.

Optimum autem ad hujuſmodi carnoſas accreſcen-

centias tollendas ſtatuerim, ut, univerſalibus præmiſſis, ſequentia uſurpentur topica. Habeat Chirurgus eum in finem candelam quandam ceream oleo amygdal. dulc. oblitam, quam leviter in urethram immittat, ac, ubinam hæc obſtruatur, inquirat. Loco autem invento notanda eſt longitudo, ad quam candela fuerat immiſſa, poſtea autem nonnihil attenuata, maſſâque quapam exſiccante, conſumente, ac corrodente obducta candelæ extremitas denuo in urethram ad partem uſque affectam erit intromittenda.

Huic autem rei *Ioh. Schmidius miſcel: med: phyſ: curioſ: decur:* 1. *an:* 8. *obſ:* 92, *fol:* 153. maſſam ex viridi ære, & Mercurio ſublimato utiliſſimam eſſe ſcribit, quam ſe non improſpere uſum teſtatur: hanc enim poſt momenti circa excreſcentiam moram mox eſcharam abſque majori dolore producere ait, quâ poſtea ſeparatâ, urinæ conceditur tranſitus.

Cavendum autem *Henr. à Moïnichen obſ.* 17. dicit, ne acria, & corroſiva adhibeantur, utpote quibus quandoque non tantum urethræ ſubſtantiæ amiſſionem, ſed & gangrænam proveniſſe viderit, ita ut præter perinæum interna utriuſque femoris infecta, ac maximo laborantis damno poſtea fuerint latera. Quapropter quod urethra ſenſibilis admodum ſit, medicamentis ex arſenico, oleo vitrioli, ſulphuris &c. compoſitis abſtinendum ait, ſiquidem non vehementes tantum

tum

tum inde dolores, ſed & inflammatio, febris, dyſuria, imò ipſa quandoque proveniat mors: quale exemplum *G: Fabritius Hildanus centur*: 4. *obſ*: 55. *fol*: 322. adducit. Sequentia itaque longe prætulerim eo, quem diximus, modo applicanda.

Memorat *Anthon: Fuchſius* ſe carnoſas haſce excreſcentias, non ſine ſucceſſu, multis abſtuliſſe oleo ſuccini cum vitello ovi mixto, quod ita, ut modo retuli, in urethram intruſit.

Lazar: Riverius cent: 2. *obſ*: 14. candela quadam cereâ, veterique, ac tenui quodam linteo involutâ, nec non extremitate poſtea hujuſmodi unguento obductâ, utitur.

℞. *Ol. Roſarum* ℔ j.
Ceruſæ Venet: ℥ iv.
Caphuræ.
Tuth: aq: roſar. præp: ã ℥ ß.
Litharg: auri præp. ℥ iij.
Antimon: opt: pulv. ℥ j. ß.
Opii.
Thuris maſc.
Maſtich.
Aloes Hepat. ã ℈ ij.
Miſceantur omnia & in pyxide plumbea ſerventur ad uſum.

Ipſemet ego quatuor homines, quibus tota fere occluſa erat urethra, ita ut per anguſtiſſimnm

tan-

tantum effluerет urina foramen, quorumque duobus virulenta gonorrhæa, tertio urethræ ablata cutis acrique exeſa humore, quarto ſimiliter ſublata cutis, cujus quidem cauſa fuerat angularis, ſcaberque calculus, id mali attulerat, intra paucos ſequenti remedio percuravi dies.

℞. *Oſſis ſepiæ.*
Tuth. præp. ā ʒ ij.
Corn: cerv: uſt:
Aloes lotæ.
Ariſtol: Rot: ā ʒ j.
Alum: uſt: ʒ ß.
Fiat pulvis ſubtiliſſ.

Poſtea:

℞. *Ol. roſar.* ℥ ij.
Litharg. auri. ʒ j.

Fiat decoctio, quouſque acquirat Emplaſtri conſiſtentiam, dein ab igne ſepoſito adde illum pulverem, & ad ignem tractato, & miſceto, donec medicamentum evadat duriuſculum.

Hoc autem remedium emplaſtri habet conſiſtentiam, extremitatique candelæ cereæ, præſertim ſi illa tenuior facta ſit, ſatis commode annecti poteſt.

Simile medicamen, quamvis paulò magis corroſivum, deſcribit *Amatus Luſitanus curat: med: centur*: 4. *curat*: 19. *fol*: 384. quod & valde laudat. *H: Fabrit: ab Aquapendente Operat: Chi-*

Chirurg: ſummis laudibus extollit pulv. Sabinæ. Aſt *G*: *H*: *Velſchius Cent*: 2. *obſ*: 26. pulv. rad. *Petaſitidis* ſummopere commendat. His autem herbis non calefaciens tantum, & exſiccans, ſed & diſcutiens, conſumenſque ineſt vis.

Verum poſteriora hæc remedia certior ſequitur eventus, quando carnoſæ excreſcentiæ nondum diuturniore morâ, ut ei, de quo memorabam, contigerat, calloſæ evaſerunt.

Hoc autem loco tacere nequeo vile, at quod miſeris quandoque prodeſſe queat remedium, quod Monachi cujuſdam excreſcentiæ colli veſicæ carneæ tollendæ admotum fuit. Hic inter mingendum vehementi afficiebatur dolore multiſque necquicquam per quinquennium adhibitis, tandem ad *Riverii* confugit auxilium, ut idem *centur*: 4. *pag*: 67. refert. Ille autem Monachum perpetuo plumbeum in urethra geſtare tubulum, quem ſenſim eouſque intruderet, ut, quoad fieri poſſet, leniter per anguſtius collum ipſam ingrederetur veſicam, juſſit; Quod cum initio rotundo, tenuiſſimoque tentatum eſſet ſpecillo, craſſius deinde adhibitum fuit, ita ut laborans illud tandem in veſicam immitteret; quo ſactum eſt, ut intra binas tantum profecerit hebdomadas, ùt abſque impedimento poſtea urinas egeſſerit.

Ioh: *Baptiſta à Lamzweerde App*: *obſ*: *pag*: 260. *obſ*: 45. non diſſimilis mali, quod inſtrumento quodam argenteo urente ſublatum fuit, meminit.

Ver;

Verrucæ, quæ extrinſecus nonnunquam in glande penis ſub præputio hærent, tantâ ſæpe accreſcunt mole, ut, quò minus glans tegatur, impediant. Hæ autem abſcindendæ, vel filo ſerico ſenſim comprimendæ ſunt, donec decidant, poſteaque affecta pars alumine conſpergenda, nec non aquâ roſarum cui tuthiæ nonnihil admiſtum ſit, fovenda eſt, ut *Aquapendens operat: Chirurg:* aliique monent. Vel denique, ut ille ſuadet, per argenteum tubulum exurendæ ſunt verrucæ.

Verrucas ego, inquit *H: ab Heers obſ: pag:* 84. in imâ glande cujuſdam viri amputavi, quarum maxima ſexaginta quinque capitella manifeſta, ſive verrucas minores oſtentabat, eratque juglande major, quæ illi etiam cum latiſſimis coëundi poteſtatem tollebat, qua ablatâ ter uxorem duxit, atque ex omnibus ſubolem ſuſcepit.

OBSERVATIO XLI.

Subita coëundi impotentia.

IDem ille, cujus *obſ.* 42. *Tom.* 1. memini, mihi faſſus eſt ſe poſt dimidiæ dragmæ opii uſum ſubito, cum paulo ante nocturnis ſatis ſtrenuus fuiſſet præliis, in coëundi incidiſſe impotentiam, utut interim plurima noctis parte erecto dor-

dormiret pene, expergefactum autem omnino impotem ſe dicebat. Quare hujus rei cauſam me rogavit.

IN OBSERVATIONEM XLI.

VAriæ nonnunquam Medicis occurrunt cauſæ, quæ virum etiamſi partibus genitalibus non careat, ſuboli procreandæ minus reddant idoneum.

Ita apud plurimos varia extant exempla eorum, qui capitis vulnere omnem generandi amiſerint vim. Qua de re videatur *Nicol: Nicolus ſerm*: 6. *cap*: 6, & *Avicenn*: *fen*: 20. *tr*: 1. *cap*: 5. ut & *Rhaſ*: 24. *continent*. Hinc & *Hippocrates lib*: *de loc*: *affect*: *num*: 10. Venæ ſectionem pone aures tarditatis in actu venereo cauſam eſſe dixit, quod præcipuorum quorundam Scytarum exemplis probare geſtit, qui propter dolores lumborum nimia equitatione ortos venas pone aures ſecari juſſerant, unde procreandi ipſis adempta ſit potentia.

Mihi autem hujuſmodi imbecillitatis cauſam non innoteſcere ingenue fateor: niſi quiſquam nimia venæſectione ſpiritus diſſipatos, ſicque homines illos aliquamdiu debilitatos dicat, præſertim quia hæ gentes frigidiores plerumque, humidioreſque debili dotantur cerebro. Hoc autem caſu vitium iſtud æque aliarum venarum ſectione, ac pone aures produceretur.

Fuerunt, quibus frigida, ſive extrinſecus admota, ſive intrinſecus aſſumpta genitalium attulerint debilitatem. Sicque aquæ gelidæ, teſte *Ariſtotele 6. de generat. animal. cap. 2*, homines in venerem ſegnes reddere queunt: Hinc *Hippocrates lib. 6. de aere, aquis, & locis* mulieres in regionibus ſeptentrionalibus degentes propter magnum aquarum frigus ſæpe infœcundas eſſe ſcribit. Sæpe etiam ſubita in aquam gelidam immerſio, ejuſue copioſus, & ſubitaneus potus ſterilitatis quandoque cauſa fuit.

Schenckius lib: 6. fol: mihi 589 exemplum è *Iacob: Oetheo lib: 6. obſ: propr*: de ſubitaneo defectu è genitalium unctione proveniente, quæ unguento mercuriali ad tollendos pediculos inguinales facta erat, memorat. Hoc autem quicquid erat vitii illitu olei ſpicæ ſublatum eſt.

Paralyſis etiam in muſculis penis, nervis ab oſſe ſacro per foramen oſſis pubis excurrentibus humore quodam obſtructis, oriri poteſt, vel etiam quando iidem tumore, cujus cauſa lapſus, ictuſve fuit, comprimuntur, vel vulneratione abſciſſi, aut lapſu, ſaltuve rupti ſunt.

Opium autem veneris minuere, ac auferre deſiderium jam olim *Garcias ab Horto* Inditæ Proregis Medicus, *Hiſtor: aromat: apud Indos naſcentium lib: 1. cap: 4. fol: mihi* 30. indicavit Scribit enim ſe Luſitanos quoſdam, qui opii uſu ad coëundum inepti evaſerint, noviſſe.

Reno-

Renodæus lib: 1. *de materia Medicâ ſect*: 13. *cap*: 2 coëundi appetitum opii infringi uſu conſtare ait.

Scribit *Rod. à Caſtro de morb*: *mulier*: *lib*: 3. *cap*: 3. *pag*: 371 opium, cicutam, mandragoram, ſimiliaque narcotica virorum teſtibus aliquamdiu admota, aut peſſi forma in muliebria immiſſa ſterilitatis eſſe cauſam.

Cicutam autem pollutiones nocturnas, quæ vel propter abundantiam, vel ardorem, acrimoniamve ſeminis fiunt, inhibere poſſe, quidam Athenienſes exemplo docent Eccleſiaſtici, quos, quod cicutæ ſorpſiſſent ſuccos, veluti caſtratos *P*: *Hieronymus l.* 1. *adverſus Iovinianum* prodit. Illud autem neutiquam mirum eſſe *Ioh*: *Rhodius annot*: *in Scribonium Largum compoſit*: 179. ſcribit: ſiquidem *Galenus lib*: 5. *de ſimpl*: *medicam*: *facult*: Hoc ipſum modico tantum ejus uſu effici poſſe teſtatur. Quare *Tragus* etiam Theologis cicutæ uſum, ut caſtitatis vota tanto facilius ſolvant, commendat. Hanc autem contuſam, ac teſtibus applicitam nocturnis ſeminis fluxibus ſupprimendis, cohibendæque ſomniantium laſciviæ utiliſſimam eſſe herbam, utpote quæ genitales reſolvat partes, puerorumque teſticulis marcorem inducat, teſtatur *Dioſcorides*.

Franciſc. Hildesheym Spicilegio 2. *de mania pag*: 151. genitalia, renes, & epigaſtrium aqua, in qua opium diſſolutum fuit, ad venereum appetitum cöercendum humectanda ait. Hunc etiam

in uſum *Hartmannus prax: Chymiatr. cap.* 275 opium unguento refrigeranti Galeni, & populeo miſcet.

Opium autem nonnulli libidinem incitare veneream, quod illud calidæ exiſtiment virtutis, ſtatuunt. Verum *Garcias ab Horto* his ſeſe loco adducto opponit, fatuoſque, ac nimium credulos, quotquot hæc, tanquam vera, admittunt, dicit.

Hinc *Amatus Luſitanus centur.* 2. *curat*: 18. *fol. mihi* 160, *Amphion, ſive opium*, quo Turcæ ad libidinem augendam utuntur, non papaveris, ſed alterius cujuſdam herbæ ſuccum eſſe ſcribit.

Idem aſſerit *Oberndorffius Apolog. Chym-med.* dicens *Turcas* haud dubie diverſo quodam ab opio ad Martium vigorem excitandum uti ſucco, cujus uſu temulenti vel inermes in prælia trudantur.

Camerarius oper. ſubciſ. lib. 1. *cap.* 39. *pag.* 43. Turcas præter opium alio quodam, cui *Maſlach* nomen, uti pulvere perhibet. Quod & *Thom. Eraſtus diſputat. de narcoticis* affirmat, quem nonnulli è *Solano fœtido, pomo ſpinoſo, ſem. nigr. Bauhini*, C. *Hofmannus* autem *Medicinal. officina cap.* 2. *fol.* 169. §. 22. è *Datura Turcarum* confici contendit.

Scriptor libri de Plantis Indicis lib. 3. *cap.* 25. plantæ cujuſdam *Bangue* nomine, cannabique ſimillimæ meminit, cujus ſemine Indi ad vene-

rem

rem ſtimulandam utuntur; hujus ſuccum quem itidem *Bangue* vocitant, colligunt, cui nonnulli virentem herbam *Fauſel*, vel nucem moſchatum, macemve, aut cariophyllos, alii camphoram, ambramve, aut moſchum, ipſumve denique opium, ut *Mauritani*, jungunt, de quibus legatur *Marcellus Donatus cap.* 18. *lib.* 4. *fol.* 402. ac *W. Wedelius Opiolog. lib.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 1. *fol.* 167.

Abſit tamen, ut opium calidum eſſe negem, quod illius oleaginoſitas, quâ accendi poteſt, nec non gravis, fœtenſque odor, ac amarus, atque acer ſapor, quem in lingua aliquamdiu ore contentum excitat, ſatis indicat.

Prælium etiam inituri Turcæ opii nonnihil devorant, unde, referente *Scaligero exercit.* 154. ac *Verulamio hiſt. vit. & mortis p.* 223. nec non *P. Bellonio lib.* 3. *memorab. obſ. cap.* 15. ad pugnam fiunt alacriores, ut tanquam ebrii vel amentes ad pericula quævis minus formiduloſe ſubeunda ſeſe præcipitent. Eâdem de cauſâ *P. I. Sachs tom.* 2. *Ephem. Germ. Decur.* 1. *obſ.* 69. *pag.* 126. paucos ante annos poſt pugnam in Hungaria ad *Levenz* oppidum commiſſam Chriſtianos milites Turcas occiſos ſpoliantes pleroſque erectâ haſtâ, & priapiſmo fœdatos inveniſſe ait. Hoc enim, ut veriſſimum, plurimorumque teſtimonio ſibi relatum teſtatur.

Nec diſſentit *L: Germann: de miraculis mortuorum lib:* 1. *tit:* 2. §. 6. *fol.* 103.

Referri & huc poteſt *obſervat*: 29. *centur*: 3. *Ph. Salmuth.* de præfecto quodam venationum, qui ſenex juvenculam uxorem duxerat. Huic ne aliis ſe ſubſternendi feneſtram aperiret, ſed debitum ſolvere, atque ſtrenuum veneris militem ſe præbere valeret, multis, ac variis uſus erat aphrodiſiis. Verum altera ſtatim nuptiarum die cum veſtes induiſſet, poſt aliquot paſſus in terram concidit, ac, pene continue erecto, extinctus eſt.

Ipſe tamen *Opium*, quamquam initio vigoris nonnihil adferat nervis, præcipue, ſi ſæpius, copioſiuſque ſumatur, nocere, nec non his venerem incendere, illis extinguere exiſtimem.

Sed nec erraverit, quiſquis effectus opii, ut & aliorum medicaminum, pro regionum, quantitatiſque, nec non temperiei hominum, ac modi, quo præparantur diverſitate, uſuſque conſuetudine &c. admodum varios eſſe dixerit. Ita quotidie vini effectus pro ſoli, è quo prodiit, ut & bibentium varietate plurimum differre videmus. Quoſdam enim hilares ad cantandum, ſaltandumque, ac venerem concitat, nonnullos ira, rixis, audaciaque, & dementi ferociâ turgidos, alios denique tacitos, atque triſtes, nec non melancholicos, ac multa ſibi pollicentes, vel etiam flentes, tardos, ac ſomnolentos reddit.

Vini autem nimiam copiam nervos immane quantum debilitare, tandemque imprægnandi tollere vim jam olim 7. *Saturnalium cap*: 6. tradidit *Macrobius*; qui, *hauſto autem*, inquit *mero*

ro plurimo, fiunt viri ad coitum pigriores. Sed nec idoneum conceptioni ferunt: quia vini nimietas, ut frigidi, facit ſemen exile, vel debile. Huic ſententiæ ſubſcribit *Plutarch.* 3. *Sympoſ. quæſt.* 5. Problematice autem *Ariſtoteles quæſt.* 3. hanc rem proponit.

Unde autem, quæſo, papaver fœcundum dictum eſt? Quænam etiam fuit cauſa, quod olim fœcunditatem Venus papaver manu gerens hieroglyphicè ſignificaverit? Illud, quia copioſiſſimo gaudet ſemine, minimè autem, quod generandi vim mortalibus augeat papaver, factum fuit.

Quî denique contigit, ut ille, de quo retuli, ſomni tempore ſucci, ardoriſque plenus ſibi viſus, vigil autem ad opus omnino fuerit ineptus?

Somni quidem tempore veluti torpere ſenſus, ſpirituſque ad illorum functiones non impendi quivis ſciat: tunc enim maxima ſpirituum cohors intus convertitur, unde illi copioſiores longe ad partes deferuntur genitales, cum in vigilantis corpore quaquavorſum ad munia obeunda diſpergantur.

Ita fuere, qui cum uxoribus æſtu libidinis perciti coituri nihil emitterent ſeminis, quod ſomni tempore effluebat abunde. Hæc autem eſt ratio, cur ſemen copioſius à ſomniantibus, quam vigilantibus coitus tempore expellatur, illique majori, quam hi, voluptate fruantur, citiuſque rore madeant.

Marcellus Donatus hiſt. med. mirabili lib: 6. *cap*: 18. *fol*: *mihi* 397. illuſtris mentionem facit juvenis, qui congreſſus, quod ſomnians, maſturbatuſque nullo egerebat negotio, ſemen emittere non poterat. Illud ipſum & præcipuo urbis ſuæ accidiſſe viro teſtatur. Simile quid *Ætius ex Ruffo ad calcem l.* 11. *& Tetrab*: 3. *ſerm*: 3. *c*: *ult*: nec non *Foreſtus l.* 26. *obſ*: 18. *ſcholiis* memorant.

OBSERVATIO XLII.

Infans intra tres hebdomadas variolis bis impetitus.

VArios inter infantum morbos, de quibus multi ſpeciatim egerunt, nulli variolis, morbilliſque, qui gradu tantum, ut ajunt, differunt, ſunt familiariores.

Initio Decembris an. 1682. duo Infantes hic Hagæ variolis, non tamen copioſis corripiebantur; unde febri acutiore, gravibuſve non laborabant ſymptomatibus. Verum, tribus hebdomadis elapſis, natu minorem, exſiccatis variolis, denuo in morbum incidiſſe mirabundus intellexi, quem triduo poſt aliæ, at ſextuplo majore quantitate erumpentes comita-

mitabantur variolæ. Convaluit tamen iterum infans.

IN OBSERVATIONEM XLII.

JUxta Veterum, Recentiorumque opinionem pauci admodum variolarum, morbillorumque immunes ſunt: etiamſi illarum fomes, diutius quandoque in corporibus antequam erumpant, hæreat, ita ut nonnulli in ipſâ adoleſcentia, vel juventute, quidam autem ſerâ in ſenecta, alii denique ſemel, ſæpiuſve iiſdem corripiantur.

Franciſcus Ignatius Thiermairius lib. 1. *conſ. c.* 7. *fol. mihi* 91. Monialem ſeptuaginta annorum variolis vere laborantem, iiſque conſuetis liberatam remediis ſe vidiſſe ait.

Accepi à fide dignis nobilem quandam matronam, cujus mariti cognomen *Moelaart* fuerat, ante viginti annos ætatis octuageſimo ſecundo anno in prædio prope Civitatem *Lingenſem* variolis fuiſſe extinctam.

Expertiſſ. Medicus *Theod. Liebergius* ſe mulierem quandam hîc Hagæ in Noſocomio variolis anno ætatis 80. correptam non ſine multorum admiratione percuraſſe mihi retulit.

P. Borellus hiſtor. & obſervat. rar. med. Phyſ. centur. 3. *obſ.* 10. *fol.* 202. multos, qui nunquam variolis laboraſſent, alioſque, qui duo, vel tria grana habuiſſent, iterumque alios, qui bis, & ter, imo in ſenectute iis cruciati fuiſſent, ſe vidiſ-

diſſe ait: ſed nihil, inquit, adeo mirum mihi occurrit, quam mulier quædam Bononienſis Galla, quæ ſepties eas paſſa anno centeſimo, & decimo octavo tandem eo morbo periit.

Ipſe ego fœtus non ſine variolarum labe editos conſpexi, quod & *G. Fabrit. Hildano centur.* 4. *obſ.* 55. *&* 56. *fol. mihi* 328. *accidit.*

Nec hujuſmodi caſus *miſcell. curioſ. med. phyſ. German. decur.* 1. *an.* 1. *obſ.* 13. *pag.* 156. *& an.* 3. *obſ.* 347. *pag.* 554. *Joh. Fernelius lib.* 2. *de abdit. cap.* 12. *fol.* 503. *P. Foreſtus lib.* 6. *obſ* 44. *pag. mihi* 196. *Th. Bartholinus cent.* 4. *hiſt.* 50. *f.* 339. *& cent.* 4. *epiſtol. fol.* 488. aliive tacent.

Joh. Rhodius obſ. medic. cent. 3. *obſ.* 83. infantis, qui lue infectus venerea prodierit, mentionem facit, qualia plura nos *Scholio obſervat.* 100. *tom.* 1. *fol.* 428.

Veteres Medici, & inter eos primi Arabes variolas menſtrui ſanguinis, quo fœtum nutriri putabant, contagio provenire crediderunt: quare quemvis, cui maternus incrementa dediſſet ſanguis, ſerius, aut tardius corripiendum ſtatuerunt. Hæc autem non uſque adeo vera eſſe quis non videt?

Neque enim quarumvis mulierum æque male ſe habet ſanguis, ſiquidem prægnantes quædam ſanæ admodum fuerint, nullo ſanguinis animadverſo vitio. Hac autem de re prolixius ad obſervat. 19. actum.

Sed nec, quiſquis veteri Teſtamento immundas

das menſtrui fluxus tempore habitas fuiſſe mulieres dixerit, certi quidquam de maligna humoris iſtius profert qualitate, quandoquidem multa tunc temporis impura exiſtimata nobis ſatis munda habentur alimenta.

Nec malignitatem (inquit *Caſp. Barth. Thomæ filius exercit.* 1. *fol.* 13.) *hujus magis, quam gonorrhea virilis, per ſe arguit Lex Divina, Levitic.* 15. *v.* 19. 25. *& cap.* 18. *v.* 29. *Quia prohibetur, ne vir cum muliere menſtruata, tanquam immunda, congrediatur; Eſt enim Lex Ceremonialis, Judæis ſolis lata, nihil minus reſpiciens, quam maligni ſanguinis infectionem, ſed ne impuretur Tabernaculum Jehovæ, Levit.* 15. *v.* 31. *Forſan etiam, ut venerii illi Nepotuli coercerentur, & ad honeſtam munditiem incitarentur; Naturalis forſan etiam ratio ſubeſt, ad præcavenda alia mala ex iſta conſuetudine oriri ſolita.*

Quamquam autem vitii nonnihil materno ineſſet ſanguini, fœtus parum inde pateretur detrimenti, quia intra uterum non ſanguine ſed chylo nutritur. Quin etiam, licet minor quædam ejuſdem ſanguinis portio nutrimentum præſtaret, haud dubie in placenta purificaretur.

Eadem etiam, ſi quodammodo inquinatus eſſet Matris cruor, fœtum mox inficeret labes; uti in papula peſtifera, ſive febre petechiali, varioliſque, & venerea lue, nec non minus naturali-

bus

bus ſanguinis motibus aliiſque morbis, quibus immundarum matrum mox infeſtantur fœtus, obſervare eſt.

Denique, ſi variolæ ſanguini imputandæ ſint menſtruo, Italorum etiam, Hiſpanorumque iiſdem corriperentur infantes, quorum genitricibus æque, ac noſtris, menſtruus fluit liquor. Hos tamen rarius iſtis laborare conſtat, cum ſæpius quandoque noſtrates eodem affligantur incommodo.

Hujus autem ſeculi doctiores conceptus tempore in fœtus corpore nonnihil, quod craſſioris ſubſtantiæ, qualitatiſque acrioris ſit, ac è chylo (quo diverſæ admodum naturæ particulis conſtante fœtus viſcera concreta ſunt) tandem proveniat, produci, diverſiſque in ſolidarum partium tubulis diutius latere poſſe exiſtimant; donec à peregrino quodam in actum deducatur æthere, ſanguinique admiſceatur, vel exhalationes quædam peregrinæ ex hominibus variolis infectis erumpentes, atque alterius ingreſſæ poros latens malum ad fermentationem perducant.

Quamvis autem poſterior hæc ratio mihi magis arrideat, quam prior, neutiquam tamen ſufficit. Neque enim video, cur infantes iſtam, de qua loquuntur, materiam, variolarum cauſam, matrum in corporibus acquiſitam tam diu poſt partum retineant, cum poroſa admodum, fluidaque paſſim ſint humana corpora, neque quare

quare ea ipſa intra 50. 60. 70. 80. annos per poros non expellatur.

Nec magis liquet, cur, quidquid id ſit, non febribus, ſcabie, herpeteve, aut aliis, queis non ita raro vexamur, ante ſenectutem ejiciatur morbis; Aut, quid obſtet, quo minus ſemper omne ſemel, & ſimul erumpat malum.

Æque etiam incertum eſt, unde contingat, ne materia illa tot, tamque diverſis alimentis, nec non tempeſtatum, regionumque, ac ætatum multum degeneret mutationibus, niſi quis illam adeo viſcidam, immobilemve, ut tam facile matureſcere, vel avolare minime queat, etiam per hunc, illumve morbum non ſimul è latebris educi potuiſſe, vel denique adeo pertinacem dicat, ut nullo alimento, aeriſve, aut ætatis differentia immutata ad maturitatem pervenerit. Hæc autem minus perſpicua eſſe quis non videt?

Certum equidem eſt contagioſum, & malignum quendam, ſive ab aſtris, ſive ab infecto corpore manantem æthera plurimum huc conferre, nec non diverſas anni tempeſtates varie admodum corpora noſtra afficere, prout æther magis, minuſve fuerit malignus, vel infantum corpora ſe habuerint. Quapropter malignitatis illius diverſitate plures nonnunquam, pauciores ſque variolas, vel vehementiora, aut mitiora ſymptomata ſequi, ac veluti peſtem quandam in infantes furere experimur.

Un-

Unde variolæ, morbillique, quos nonnulli quandoque confundunt, ab Italis morbilli, ſive parua peſtis vocantur. Peſtis enim κατ᾽ ἐξοχὴν ipſis *Il morbo* eſt.

Interdum ita malignæ reperiuntur variolæ, ut plurimis exedentes admodum prava ulcera, membrorum convulſiones, epilepſiæ, aliaque gravia comitentur ſymptomata. Imo etiam oculos, malas, linguam, naſum, articulos, fauces, pulmones, inteſtina, aliaſque nonnunquam lædere, ac corrumpere partes, ipſaque quandoque erodere oſſa uiſæ ſunt. Qua de re legatur *Tulpius obſ. Med. lib. 6. cap. 51. fol. mihi* 379. ut & *Job. Mekeranus App. obſ. med. Chirurg. cap.* 10. *fol.* 472. nec non *P. Borell. cent.* 1. *obſ.* 34. *fol.* 38. *Zacut. Luſitan. prax. med. adm. lib.* 3. *obſ.* 47. ut & *Job. Fernelius lib.* 2. *de abdit. c.* 12. *fol.* 503. qui morbum hunc adeo malignum, fœdumque fuiſſe ſcribit, ut, occæcatis oculis, univerſa cutis in ſquammas ſoluta ſit fœtidas, cruſtaſque ingentes, nec non corpus omne non aliter contabuerit macie, nigroreque, ac ſi menſes quatuor è furca pependiſſet.

De variolarum gravioribus ſymptomatibus vide *N. Tulp.*, & *Mekeranum* locis adductis, nec non *Miſcell. med. phyſ. curioſ. decur.* 1. *an.* 3. *obſ.* 230. *fol.* 419. *&* 562.

Sub variolarum cruſtis vermiculos nonnunquam repertos tradunt *Fr. Joël lib.* 19. *prax. ſect.* 5. *cap.* 2, *Joh. Rhodius obſ. centur.* 3. *obſ.* 64.

fol. mihi 181. nec non *D. Sennertus part. 2. de infantium morbis cap. 2. Zacut. Luſitanus pr. admir. lib. 3. obſ. 46. fol. 355, Horat: Augenius lib. 9. de febribus cap. 7. & comm. lib. 1. art. cur. ad Glauconem.*

P. Borellus obſ. centur. 2. obſ. 72. fol. 168. item *obſ. microſcopica* 31. *fol. mihi* 21. vermiculos non diſſimiles ait illis, qui veteribus reperiuntur in fragis. *Ioh. Schmidius Ephem. curioſ. Germ. an. 1. obſ. 85. fol.* 142. plures quinquaginta vermiculos blattarum magnitudine poſt magnum pruritum, prodeuntiumque variolarum indicia exterius in collo infantis cujuſdam trium annorum apparuiſſe teſtatur. *Chriſtoph. Franciſcus Paulinus Ephem. earundem an. 6. obſ. 3. fol.* 8. puelli cujuſdam Pomerani meminit, qui an. ætatis 12 variolis correptus, intolerabilemque ſentiens pruritum, Matrem, ut fortiter ipſum fricaret, rogarit, cui cum illa morem gereret, augebatur pruritus, unde mater ejus perluſtrans corpus minutiſſimos vermiculos albos, nigra capitibus gerentes puncta è poris partim egreſſos, partim egreſſuros immenſâ animadvertit copiâ.

Multos vermiculos poſt variolas etiam cum urina excretos fuiſſe teſtatur *Ernhfr. Hagendornius miſcell. med. phyſ. curioſ. German. decur.* 1. *an. 3. obſ. 38. fol. 44.*

Hanc autem ob cauſam *Chriſtoph. Langius diſputat. de morbillis Lipſiæ an.* 1660. *habita* variolas, morbilloſque non niſi gradu differentes,

eâ-

eâdemque provenientes ſcaturigine nihil niſi verminoſos partus eſſe dixit. Quod variis experimentis microſcopii ope factis laborantum ſanguinem è naſo ſtillantem, ut & pus è variolis prodiens, ipſaſque inteſtinorum fœces vermibus fuiſſe repletas edoctus eſſet.

Athanaſ. Kircherus ſcrutinio Peſtis in ſanguine tempore febrium putridarum emiſſo vermiculos ſe animadvertiſſe refert, quod & teſtatur *P. à Caſtro ſect.* 1. *de Febre maligna aphor.* 15. *& ſect.* 4. *aphor.* 13.

Simile quid Hafniæ ſe vidiſſe memorat *Th: Bartholinus tract. de morb. Biblicis fol.* 103. nec non *P. Borellus cent.* 3. *obſ.* 4. *fol.* 189. ut & ſcriptor *Zod. med. Gallici an.* 2. *fol.* 76, & *Miſcell. med. phyſ. cur. German. an.* 2. *obſ.* 154. *p.* 243.

OBSERVATIO XLIII.

Totius corporis cutis ſenſu, ac calore deſtituta.

DIverſa inter cutis vitia non immerito recenſetur ſenſus abolitio, de qua, haud dubie, quod rarius occurrat, pauci admodum quidquam literis conſignarunt. Celeberrimus Medicinæ Doctor *Joh. Frederic. Helvetius* hujus mali exem-

exemplum ſatis memorabile mihi retulit, quod ipſi Amſtelodami An. 1678. in paupercula quadam vidua annorum 36 videre contigerat. Hujus enim partium externarum ſuperficiem marmor frigore non vincebat, utut membra ſatis moverentur. Rigida paſſim, & inſtar pellis, qualis tympana ſonora reddit, dura nihil fere ſenſus reliquum habebat. Huic autem incommodo *D. Helvetius* intra tres hebdomadas diaphoreticorum, antiſcorbuticorumque ope illam exemit.

IN OBSERVATIONEM XLIII.

DE ſimili mulieris vitio me aliquando legiſſe memini; Sed nec viri cujuſdam immemor ſum, qui graviori affectus ſcorbuto ex Indiâ Aſiatica huc percurandus venerat: quamvis autem ille membra pro lubitu moveret, cutis ſenſu uſque adeo erat obtuſo, ut vel prunis uſta nullum ſentiret dolorem: huic autem ſubjectis partibus pungentia, acrioraque ſatis afferebant doloris.

Elephantiaſi, ſive verâ Arabum Leprâ, olim correpti cute ſenſus experte fuiſſe, at, muſculis læſis, dolore non caruiſſe memorantur. Huic

autem vitio nomen eſt, quod omnis ejuſmodi hominum cutis elephantinæ ſimillima eſſet pelli: Maculis enim quibuſdam nigricantibus infecta, & inæqualiter ſcabra, craſſaque, ac veluti ſquammis erat obducta.

Cutis itaque ſenſu externo amiſſo, motuque muſculis ſuperſtite, ſentire tamen partes motum efficientes animadvertendum eſt: adeo, ut hæ ne tum quidem, cum partes exteriores, quæ muſculos contegunt, non amplius ſentiunt, ſenſu careant. Hinc itaque partium membri interiorum ſenſum, remanente motu, non amitti, at contra, muſculis motum auferri poſſe, ſuperſtite ſenſu patet. Pauciores enim ſpiritus ad ſenſum, plures ad motum requiruntur, quibus non ſatis abunde in muſculos influentibus, motus deperit, relicto, utut obtuſiore, ſenſu. Hoc tamen multorum Veterum, & præſtantium Medicorum opiniones evertit, qui nonnunquam unum, idemque membrum ſenſu deſtitui, motu non ſublato, ſæpius affirmarunt.

Hi autem non animadverterunt illam *ἀναισθησίαν* non in muſculis, ſed in cute tantum, vel forſan etiam in panniculo carnoſo fuiſſe, cujus vitio etiam externas laborare crediderunt partes.

Si quis, unde hujuſmodi ſenſus abolitio cuti obveniat, quærat; contingere quandoque ſciat, ut externum, intenſiuſque frigus, vel etiam humores quidam ita cutis obſtruentes poros, ut tran-

tranſitus ſpiritibus occludatur animalibus, illam producant: cutis enim hoſce etiam ſpiritus per nervos recipit, quorum ramuli, ac innumeræ eâdem terminantur fibrillæ, cui origo acutioris ſunt ſenſus.

OBSERVATIO XLIV.

Exoſtoſis, ſive oſſis excreſcentia.

QUam gravis ultor Deus T. O. M. ſcortatores à tergo ſequatur, evidenter, opinor, hac pateſcet obſervatione; qua cuivis innoteſcet, quomodo fœda veneris lues non ſolum carnoſas, ſed & oſſeas ita invadat partes, ut hæ intus (mirum!) undique nonnunquam integra exteriore membranâ, exedantur, corrumpanturque.

Hoc autem cuidam, nomine A. B. an. 1653. obvenit malum, quo ipſa tibiæ ſubſtantia haud aliter quam malignis ulceribus excreſcentia ſolet carnea, intumuerat: oſſea quippe iſthæc prominentia quartæ ulnæ partis longitudinem, ac ſuperne majoris latitudinem æquabat pollicis in acutam, ac à tibia ſeparatam

deſinens extremitatem: Hæc autem vitam miſero eripuit labes, qui tale libidinis pretium tulit. Oſſis à Chirurgo *Arnoldo ab Heck* cadavere exemti delineationem Tab. 14. prima ac ſecunda dabit Figura.

A. A. Os femoris

B. B. Oſſis naturalis Apophyſis

C. C. Epiphyſis naturalis

D. D. Exoſtoſis præternaturalis

E. E. Ligamentum oſſis femoris, quod anteriori coxendicum oſſis annectitur parti.

IN OBSERVATIONEM XLIV.


GAlenus lib. de tumoribus præter naturam cap. 15. *fol. mihi* 84. & 14. *meth. med. cap.* 17. *fol. mihi* 93. Exoſtoſin præternaturalem quandam oſſis vocat prominentiam ſuperfluo, terreſtrique, ac maligno ortam humore; quam etiam in Elephantiaſi laborantibus reperiri ait, quorum oſſa *Celſus* etiam corripi aſſerit.

Quamvis autem ſuſpectæ vulgo ſint hujuſmodi eminentiæ, nec, niſi lue venerea, eaque inveterata produci exiſtimentur, aliis tamen quandoque imputandæ ſunt cauſis.

Nic. de Blegny Zod. med. Gall. part. 2. *f.* 209.

Ju-

tab: 14





Juvenis fabri ferrarii meminit, cujus brachio ante annum, ac ſex menſes tumor ortus erat, qui paulatim auctus magnitudine tandem inſigni dolorem cieverat. Veroſimile, inquit, eſt, cum brachium ante fractum fuiſſet, (os enim quo loco tumor erat, omnino fuerat ruptum) citius coaluiſſe fracturam, interſtitiumque reliquiſſe fiſtulæ, per quam iter habuit ſuccus nutritius, à quo os conſolidationem obtinere debuerat, ita ut humor ille tuberi, quod mere oſſeum videbatur, materiam ſuppeditaverit.

Contingit interdum, ut vitium hocce tibiæ fiſſura equi calcitratione in ipſam penetrante oſſis medullam producat, qualis *obſ.* 95. *tom.* 1. memini. Hæc autem aſſeralis vulgo dicitur fractura, per quam ſenſim oſſis plerumque extillat nutrimentum; ibidem loci etiam ipſum tandem extenditur os, donec oriatur *Exoſtoſis*; de cujus curatione lege ſis *C. Solingium part.* 4. *manual. operat. Chirurg. cap.* 21. *fol.* 320.

In univerſo paſſim corpore, at præſertim in tenuiori, carne obductis *Exoſtoſes* proveniunt oſſibus, v. gr. ſyncipite, cubito, thorace, tibiis, manibus, pedibuſque. Contagioſæ autem tandem in fœtidas, ac pure manantes degenerant exulcerationes.

Sæpe etiam in pecudibus hujuſmodi prominentiæ animadvertuntur, quod mali genus veterinarii Itali, *Soproſſo* ſive oſſium exulcerationem dicunt-

Qui plura *de Exoſtoſeos* cauſis, ac curatione deſiderat, adeat *H. Fabrit. ab Aquapendente lib. 3. de ulceribus pag.* 141. *& operat. chirurg. fol.* 167., nec non *Aurel. Severini effic. Chirurg. cap.* 29., ac *de chirurgia, quæ ad oſſa pertinet cap.* 12. *fol.* 142. ut & quæ nos *obſ.* 94. *tom.* 1. ejuſque ſcholio.

OBSERVATIO XLV.

Diſciſſus, ac percuratus tendo.

Jobus Baſter celeber olim Chirurgus, nunc autem & Zirizeæ in Zelandia Med. Doctor, mihi, *Cornelioque Solingio* Anni 1682. menſe Auguſto retulit die 12. April: an. 1677. ſe juniori cuidam ruſtico è pago *Ooſterlant* medicas applicuiſſe manus, qui ſibi ſecuri, quali noſtrates arborum ramos deputare ſolent, muſculi ſupinatoris longioris tendinem, ubi radio implantatur (qui muſculi radiæi externi, ſive bicornis dicitur tendo) duorum digitorum latitudine ſupra ſiniſtræ manus ligamentum annulare uſque ad ipſum diſſecuerat os. Superior autem illius pars ad diſtantiam, quam

quam pollex cum dimidio latitudine impleret ſub communibus integumentis ſurſum in vaginam reſiluerat, infima vero, quæ paulo infra vulnus apparebat, non longe receſſerat. Medicus itaque, vulnere ante omnia aperto, brachioque, ac manu verſus interiora flexis, volſellâ tendinis extrema arripuit, conjunxitque acu triangulari per medii tendinis anteriorem partem verſus poſteriorem filum tranſmittens ad ſtraminis cum dimidio latitudinis ſupra extremitatem diſtantiam, illudque per inferiorem ſecti tendinis partem pari diſtantiâ modoque ab interiori latere per exterius reducens: diviſas dein fortiori filo ſerico adduxit, ac firmiter ligavit partes. Involucris etiam communibus ſutura una, atque altera conjunctis turundam planam balſamo quodam vulnerario oblitam, nec non tenax emplaſtrum cum pulvillo, faſciaque vulneribus admoveri ſolitis impoſuit, cubitumque, nequa vulneri vis fieret, perpetuo flectendum juſſit.

Tendinem autem hoc modo ſanatum, atque intra dies 14. abſque ullo ſympto-

mate conſolidatum fuiſſe, ruſticumque priſtinum brachii recuperaſſe uſum *D. Baſter* aſſeruit.

Illam etiam methodum ſe Lutetiæ Pariſiorum ab experto quodam Chirurgo, cui *Bienayſe* nomen, edoctum retulit.

Pari modo fabrum lignarium, cui medii ſiniſtræ manus digiti extenſorium cuneus pungens ſecuerat tendinem, matronamque quandam intra tres hebdomadas ſe curaſſe narravit, cui An. 1682. menſe julio in cellam labenti vas, quod manu tenebat, muſculi ſublimis tendinem, qui priorem intus in metacarpio flectit digitum, ruperat. Nihil autem mali tribus hiſce præter parvulum quendam tumorem, quo loco conſutus fuerat tendo, remanſit.

IN OBSERVATIONEM XLV.

DE nervis conſuendis non quondam tantum, ſed & hodieque inter Doctos, quorum alii hunc curandi probant, alii rejiciunt modum, exiſtit controverſia.

Hæc autem ut rite decidatur, quinam, ac cujus indolis nervi ſint, & quot lædantur modis, ſciendum eſt.

Quan-

Quantum ad primum: Notavit *Galenus* 1. *uſ. part. cap.* 17. Veteres vocaſſe tendines nervos. Hi namque, ut ait *lib. de oſſibus ad Tyrones proœmio*, triplices ſtatuebant nervos, arbitrarios videlicet è cerebro, ſpinalique oriundos medulla, ligamenta ex oſſibus provenientia, ac tendines denique, qui à muſculis deſcendunt, Confer ejus *lib. de decret. Hippocratis*, & *Platonis cap.* 9. ita ut *Galenus* ipſos tendines non ſimpliciter nervos, ſed corpora tantum dicat nervoſa, uti videre eſt *Comm.* 5. *Aphoriſm.* 1. Illos enim *lib.* 1. *de motu muſcul. cap.* 1. & 2. nec non *lib.* 6. *meth. med. cap.* 4. è compoſita quadam ligamentorum, nervorumque per muſculos diſperſorum, quaque hi deſinunt, concurrentium naturâ provenire docet, ut *lib.* 1. *uſ. part. cap.* 17. *&* *d. l.* 12. *cap.* 3. nec non *de placit. Hippocr. & Platonis cap. ultimo* patet.

Ejuſdem & Anatomicorum plerique ſunt opinionis, quales *Andreas Laurentius lib.* 4. *Anat. cap.* 13. *Picolhominus lib.* 1. *lect.* 7. & *G. Bauhinus lib.* 1. *theatri Anatom. cap.* 7. qui tendinem e ſubtilibus tam nervorum, quam ligamentorum compoſitum dicit filamentis, ita tamen, ut e pluribus ligamentorum, quam nervorum conſtet fibrillis.

Poſſitne autem tendo pars dici ſimilaris, quæ per univerſum corpus ſibi ſimilis ſit, nec ne, non ita convenit inter ſcriptores. Inter partes tamen ille ſimilares ut plurimum numeratur.

Quod vero ad nervorum, ſive nervoſarum partium indolem attinet, omnes frigidæ ſunt, & ſiccæ, juxta *Galeni lib.* 1. *de temperam. cap. ult.*, quod ſanguine careant. Ligamentis autem molliores, cute duriores eſſe, idem, *lib.* 2. *de temperam. cap.* 3. nec non 1. *de motu Muſcul. cap.* 2. *ſcripſit.* Verum nervus proprie dictus pars eſt fibroſa è plurimis, iiſque nervoſis, ac ſibi invicem, per membranas annexis conſtans filamentis, nec non longa, rotunda, albaque, ac poris, non aliter, quam Hiſpanicæ arundines, plena, ſpiritibuſque animalibus tranſmittendis, membriſque corporis movendis deſtinata. Hac de re legatur *Bartholini Anatomia fol.* 452.

Acuti etiam ſenſus nervi ſunt; teſte *Galeno lib.* 1. *de mot. muſcul.* minus autem ſentiunt tendines, quia è nervis, ligamentiſque, ut modo dictum, contexuntur; ligamenta enim nullo donantur ſenſu, quod nullos accipiant nervos, ſcribente *Galeno d. lib. cap.* 2. & *lib.* 1. *de uſ. part. cap.* 17. *ac lib.* 1. *de decret. cap.* 9. Idque ita providentiſſimus humanæ fabricæ artifex, ne membrorum motus doloris foret cauſa, voluit.

Ejus autem tendines ſunt qualitatis, ut hi in adultis rupti callo, ac neutiquam vero, uti pueris contingit, conſolidentur nexu: ut vel ideo nervorum ſutura in omni ætate, neceſſitate urgente, præſertim autem vulneribus inciſione factis, admittenda ſit.

Triplici autem modo, punctione videlicet, inci-

inciſione, ac contuſione nervos proprie dictos vulnerari *Galenus lib. 6. meth. med. cap.* 2. & 3. ſcribit, quibus contorſiones recentiores addunt. Punctura, ſcribente illo, vel cœca, & occluſa, vel aperta, ac hians eſt, inciſio autem, ut *lib.* 4 *meth. med. cap.* 3. ait, vel oblonge, vel tranſverſim, utroque caſu cum, vel ſine partium ſuperjacentium, cutis ſcilicet, carniſque deperditione fit.

Carne deficiente, nudus apparet nervus; tranſverſâ autem inciſione vel totus nervus, vel quædam læditur pars.

Periculoſa ſunt quævis nervorum vulnera propter binas *à Galeno art. parvâ* adductas rationes, ſcilicet quod acuti ſint ſenſus, unde immanes, atroceſque excitant dolores, nec non communionem quandam cum cerebro, quod illorum eſt initium, habeant.

Inter nervorum autem vulnera periculoſiſſima eſt cœca punctura, quia nullum eo caſu pus è vulnere educi poteſt, unde putreſcendo malignum evadit, dolore, convulſione, aliiſque accedentibus ſymptomatibus. Hæc autem ſpinis, acubuſque plerumque infliguntur vulnera. Cum vero circa puncturam apertio eſt, non tantum idoneis topicis applicandis, ſed & ſaniei, per quem effluat, conceditur locus.

Minus periculoſa eſt tranſverſa inciſio quâ utraque omnino ſeparatur extremitas, quia hujuſmodi nervus principio ſuo non amplius annectitur, unde diductis extremis pars affecta mutila

ma-

manet: ſævior eſt illa, quæ totum non diſiunxit nervum, quo caſu, teſte *Galeno 6. meth. med.* omnia cæcæ puncturæ metuenda ſunt ſymptomata.

Oblonga nervorum inciſio minimum ſecum trahit periculi juxta *Galeni*, & *Avicennæ* opinionem: ſiquidem hujuſmodi vulnus facilius coaleſcit, quia diſſectæ fibrillæ minus ſecedunt, ac aliquatenus integræ ſunt.

Contuſio, & contorſio dolore quidem non carent, quia partes illæ ſenſibiles admodum, adeoque humorum affluxui magis ſunt obnoxiæ, non tamen ita crudeles, quam punctura, vel ſciſſura, ſunt, quod conjunctæ maneant nervorum fibrillæ.

Quæcunque de nervorum vulneribus diximus etiam ad tendines pertinent. Tendinum autem vulnera minus ſenſibilia, adeoque non ita eſſe periculoſa obſervandum eſt.

Hæc ad meliorem rei cognitionem præmiſſa ſunto: de tendinum autem ſuturis jam ſermo ſit.

Sunt, qui tendines nec conſui permittant, nec poſſe aſſeverent: quia operatione illâ acus novam continuò producit puncturam, quæ, ut dixi, vulnerum eſt periculoſiſſima. 2. quoniam è quovis vulnere neceſſario, quicquid foris irrepſit, educendum eſt; quod imprimis in tendinum, nervorumque vulneribus, utpote periculoſioribus, quàm carnoſarum partium, obſer-

ſervandum ſit: ita ut filum in tendine relictum malorum ſymptomatum cauſa ſit futura. 3. Quod ſuturâ non dolor tantum, verum etiam peiora circa vulnus quæ eo caſu avertenda ſint, proveniant. 4. Quandoquidem ita læſa pars ſenſu, motuque deſtituitur. Denique 5. tendines ſpermaticas, ac coaleſcere neſcias dicunt eſſe partes.

Quantum ad primum: quia acus rectâ per tendinem tranſit viâ, vulnuſque ad puris exonerationem, medicamentorumque applicationem ſatis hiat, non magnum à punctura periculum eſſe dico.

Neque enim, admotis mox remediis, valde metuenda eſt.

Joh. Andr. à Cruce de vuln. tr. 2. *lib.* 2. *cap.* 8. *fol. m.* 92. Nec dolor, inquit, ab acu productus, dum nervi ſuuntur, timendus; tollitur enim, quamprimum à roſaceo tangitur, nervorum autem capita una cum extremitate muſculoſæ carnis aſſui debent, probatur autem hæc operatio ratione à praxi ſumpta, & à Galeno confirmatâ.

Sicut enim peritonæum, membrana quidem nervoſa inter abdominis muſculoſas ſubſtantias conſutum unitur, ſic pariter & cæteræ partes nervoſæ inter ſubſtantias carnoſas congeſtæ, conſolidari perſecte poſſunt.

Filum autem remanſurum humorum per fibrillas tendinoſas motus corruptionis modo, quæ ſana-

ſanationem præcedere ſolet, ſenſim expellet.

Poteſt & illud ſuprà pulvillum ligari, & comprimi, ſanatione peractâ recidendum.

Dolor ſuendo ortus tantus non eſt, quantus olim credebatur; Tendini enim non multum ſenſus eſſe uſus docet. Vaginam tamen, quam tendo liber, ac lubricus percurrit, aliquanto auctiori gaudere ſenſu, multo tamen obtuſiori, quam nervum, nullus negaverim: Horum enim extremitates vaginâ non contentæ juxta eandem inter manus, digitorumque terminantur muſculos. Hinc, læſâ vagina, tardius, quam vulnerato nervo, manifeſtantur ſymptomata.

Jobus Mekeranus obſ. 62. pag. 388. ſe tendines paulatim, ut, num ſentirent, videret, imo firmum, magnumque rotulæ, quem aliquando neceſſitas tollendum urgebat, diſſecuiſſe tendinem tradit. Hunc autem variis, lentiſque forcipis, de dolore minime conquerente ægro, recidit inciſionibus.

Transverſim autem diſſecti tendinis puncturam ideo non multum ciere doloris crediderim, quod diviſi tendinis filamenta non ita reſilire, ac contrahi queant, quam ſi ille foret integer; maximi enim doloris cauſa eſt ejuſmodi contractio.

Sed nec membri ſenſum, motumve capta tollit ſutura, uti non ſolum noſtra obſervatione, ſed & clarius ſequentibus patebit.

Quamvis autem ætate provectioribus quodammodo minueretur, non amitteretur tamen omnis motus. Quo

Quo accuratius tendinis diſciſſi adducuntur partes, eo minus alia accreſcet ſubſtantia, unde ſpiritus etiam aliquatenus perfluere poterunt, teſte *Guidone cap. 4. tr. 3. de vuln. fol.* 180.

Nec diſſidet *M. Aurel. Severinus lib. 2. de effic. Chirurg. cap.* 123. *fol. mihi* 127. *Neque illud obſtat*, inquit, *quod minime relevatur particula, propterea, quod inductus ulceri porus tranſitum prohibet ſpiritus, neque motus vendicatur, porro in pueris ſervatur functio feliciter, in adultis vero etiamſi non æque id eveniat, tamen quo maxime ſunt coalitæ nervi partes, maxime participare poſſunt ſpiritus illuſtratione, atque aliis naturæ muneribus, præterquam quod magis compoſitæ reſtant contiguæ particulæ.*

Idem confirmatur exemplo *A. Paræi lib. 22. cap.* 10. qui teſtatur ſe tendines Nobilis cujuſdam è *Mommorentiorum* familia, qui pollicem erigunt, penitus reſectos theca quadam è ferro albo formata, in quam pollicem indidit, duobus loris ad armillas duas ſupra manus articulum artificioſe hanc vincientibus, colligantibuſque, ut intentus, erectuſque maneret pollex, ita percuraſſe, ut militarium armorum genus omne captare, & tractare impoſterum poſſet, cum antea deſperato coälitu reſcindendum non ſemel vir ſtrenuus quæſiſſet pollicem.

Tendinum ſuturas etiam admitit *Avicenna fen. 4. tr. 4. cap.* 2. qui, ſi diſrumpatur, ait, in latitudinem nervus, tum neceſſarium eſt ipſum ſuere, etiamſi non conglutinetur.

Gui-

Guido tr. 3. *de vuln. nerv. cap.* 4. *fol.* 179. tres pro tendinum ſuturis exponit rationes: I. Quia ſic uniuntur ſeparata labia, 2. Quoniam nudus carne obtegitur, & ab aere externo defenditur tendo, 3. quod ſanationem promoveat ſutura, etiamſi nimis non ſit feſtinandum. Præterea tendinem conſuere, quam ad ſpaſmum avertendum omnino aliquando recidere ſatius eſt.

Ambroſ. Paræus lib. 4. *cap.* 36. de audacioribus quibuſdam Chirurgis, qui reſectos ſub genu tendines acu connectere, ac conſolidare auſi fuerint, ac potuerint, memorat.

M. Aurelius Severinus, *Chirurg. efficac. lib.* 2. *cap.* 123. tendinem etiam conſui permittit.

Chalmetæus Encheirid. Chirurg. lib. 2. *c.* 11. *fol. mihi* 207. *Quando nervus*, inquit, *tranſverſim eſt omnino diſciſſus, præmiſſis univerſalibus, quæ ad curandi methodum pertinent, imprimis unà cum carne, ſi fieri poſſit, eſt ſutura reuniendus: quamquam nonnulli reclamant. Decliviori autem loco turunda eſt immittenda*, &c.

Jacob Boevaart, referente *Mekerano*, ſe aliquoties apud expertiſſimum Chirurgum *Maynart* digitorum tendines, gladio, cultrove diſſectos acu falcata, filoque, digitorum ſuperſtite motu, connexos vidiſſe ſancte aſſeveravit.

Fe-

Felix Wurtzius libr. 14. *de vuln. curat. fol.* 123. ubi de reciſo magni digiti agit tendine, *diſciſſus*, inquit, *nervus inſtrumento, ſi fieri poteſt, adducendus, conſuenduſque eſt; externum tamen vulnus conſuere non licet. Ita enim coaleſcente nervo, paralyſeos periculum non incurret læſus.*

Joh. Veſlingius Patavii quondam Anatomiæ Profeſſor exempla quædam *obſ. anatom.* 15. *f. m.* 90. diſciſſorum, conſutorumque habet tendinum: deteſtatumque ſe olim fuiſſe hominum audaciam, ſed felicem ſucceſſum, & vix notabile à peractâ curatione detrimentum, timoris vanitatem arguiſſe ait.

Expertiſſimus Medicus *Joh. Baptiſt. à Lamzweerde App. ad armament. Chir. Joh. Sculteti, fol.* 137. ,, *De modo*, inquit, *nervos conſuen-*
,, *di*, magna inter Veteres, & Neotericos lis
,, eſt. Ut autem me ex hac difficultate extrica-
,, rem, in cane experimentum inſtitui, cujus
,, nervum, & tendinem pedis poſterioris prius
,, abſciſſum, deinde communi acu, & filo,
,, imbuto tamen oleo therebint: conſui, &
,, vulnere coöperto communi emplaſtro, illæſo
,, inceſſu, intra paucos dies reſtitutus eſt. Sed
,, hac uſus ſum methodo, abſciſſo medio nervo,
,, & tendine, præciſam medietatem ope acus
,, prius arcte conjunxi antequam medietatem
,, diſſecuerim alteram, & acum uſurpavi, nullo
,, alio oleo, aut emplaſtro, quam prædicto,

,, impoſito: Hoc mihi dubium movit, prorſus abſciſſum nervum melius adnaſci, quam illum, cujus aliqua filamenta intacta remanſerint: nam plane abſciſſus nullos dolores, convulſiones, aut febres adfert quæ omnia non ſolum agglutinationem impediunt, ſed & mortem accelerant.

Non ita pridem etiam Celeberrimus noſter Anatomicus, & Medicus Hagienſis *Anth. Nuck* canini anterioris pedis flexorem carpi externum diſſecuit, conſutaſque ſalvâ actione priſtinâ, ſanavit extremitates.

Quid ni autem tendinum, extremitates æque, ac tenues læſorum inteſtinorum tunicæ, nec non ipſa oſſa omnes partes duritie ſuperantia, conſolidentur? Quamvis etiam *Galenus* hanc tendinum coniunctionem propter periculoſa, quæ ipſi metuebantur, ſymptomata repudiare videatur, *libr. tamen 6. meth. med., & de compoſit. medicam. per genera cap.* 12. *fol. mihi* 23. muſculorum tendines, vulnerato abdomine, conſuit; Infimæ etiam femoris partis transverſo vulnere læſæ labia ſuturis univit, quam operationem, non perforato membranoſo, qui femur cingit, tendine fieri potuiſſe negat *Veſlingius.*

Per diſiunctum autem, calloque unitum tendinem, nervumve ſpiritus ad ſenſum requiſitos, ut neceſſe eſt, fluere non poſſe quiſpiam dicet, quod denſa,& craſſior ſit calli ſubſtantia.

Verum

Verum ſicuti fracta, ac reſtituta oſſa facile, quamvis non perfecte coaleſcunt; teſte *Galeno comm: aph.* 19. *libr.* 6. *Hippocratis*, qui, *ſi quis*, inquit, *rupta animantum oſſa, poroque jam firmata, ſive viva, ſive mortua contempletur, manifeſto partes oſſium ſeparatas poro quodam (ut cicatricē in cute) veluti vinculo circumjecto conſtrictas eſſe comperiet, quas ſi abraſerit, fracturæ profundum apparebit non glutinatum.* Ita etiam nervi, tendineſque conjungi poſſunt, quorum tamen intimæ partes non onmino uniuntur, ſcribente *Hippocrate d. Aph.* 19. *ſect.* 6. ubi, *Si diſſectum*, ait, *fuerit os, vel cartilago, nervusve, &c. neque augetur, neque coaleſcit.*

Quid etiam cauſæ eſt, quo minus tendinem, nervumve diſſectum non æque perfluerent ſpiritus, ac per mutilatum quoddam membrum ſanguis fertur? Hoc enim caſu per continuam ſanguinis circulationem vias manifeſtari cernimus, quibus nutritur membrum. Quapropter nervis valvulas tribuit *Carteſius*. *Regius* etiam inſuper ſpirituum non aliter, quam ſanguinis fieri circulationem dixit. Hoc autem quodammodo probatur, quod aliquo in membro, v. g. pedis digito majore, ſubito nonnunquam oriatur Epilepſia, quia malignus iſte vapor è membro ſubito per univerſum corpus diſpergitur, unde ſucceſſivis omnia convelluntur motibus.

Nonnulli autem membrum, cujus tendo ſe-

paratus, iterumque conſutus fuit, non ſpirituum, ſed antagoniſtæ ope moveri ſtatuunt.

OBSERVATIO XLVI.

Vas Lymphaticum vulneratum.

QUemadmodum arteriæ cujuſdam vulnus occluſuro multum difficultatis parit Chirurgo, ita minoris non eſt moleſtiæ vaſis cujuſdam lymphatici, & præſertim ſalivalis percuratio, uti exemplo naucleri cujuſdam Delphenſis, aliorumque abunde patuit. Ipſe namque anno 1668. nautam illum febricitantem reperi, quapropter ut Chirurgus venam ei ſcinderet, juſſi. Quo rite peracto, percuratoque vulnuſculo, è brachii apertura multum aquæ limpidæ poſtridie effluxiſſe animadvertimus, continuato, at abſque dolore, aut inflammatione per dies aliquot fluxu. Nos autem initio attoniti laborantem effluvio iſto debilitari admodum obſervavimus. Quare lymphaticum aliquod vas ſupra venam excurrens ſectione haud dubie læſum fuiſſe credidimus, Supprimi enim non po-

potuit fluxus, antequam calidum thereb. oleum per aperturam immitteretur, uti vulnerato tendine fieri ſolet: Ille autem ligaturis, commodiſque pulvillis, nec non adſtringentibus adjutus tandem convaluit.

IN OBSERVATIONEM XLVI.

HUmano in corpore varia exiſtere lymphatica vaſa multiplex viventium brutorum non ita dudum manifeſtavit diſſectio: quoniam autem tenuia admodum, ac tenera in hominibus hujuſmodi vaſa ſunt, providentiſſimus rerum Opifex, ut, quo commodius, ſecuriuſque univerſum percurrerent corpus, arterias magnas (uti in membris, ac portæ vena circa hepar videre eſt) inſtar hederæ hic illic amplecterentur, voluit. Lymphatica autem vocantur vaſa, quod tenuem quendam, ſeroſumque, ac limpidum contineant liquorem, qui chylo miſcetur, ut eo facilius per ductum thoracicum aſcendat, nec non ſanguinem venoſum ſero deſtitutum in vena axillari fluidiorem reddat: lympha hæc eadem eſt, quam vulgus laticem vocat nervoſum, læſis enim, exeſiſve vaſis illis ubertim ex ulcerum, vulnerumve cavitate profluit, ac dein aceſcens multum Chirurgis negotii faceſcit.

Quamvis autem de hujuſmodi vaſorum vul-

neribus, eorumque ſanatione pauca admodum exiſtant conſcripta, duos tamen noſtro omnino ſimiles reperio caſus apud Medicum, Chirurgumque noſtrum *Cornelium Solingium quartâ part. manual. operat. Chirurg. cap.* 34. *fol.* 325. quorum primus eſt viri cujuſdam, qui *Aponeuroſin*, ſive muſculi Solei caput læſerat, cujus cavi vulneris intra octiduum carne repleti infima pars pallida admodum apparuit, inferiore etiam diſſecti vaſis lymphatici parte, (quæ globuli inſtar intumuerat) quo minus liquoris animadverteretur effluxus, impediente. Quapropter ſenſim lympham verſus infimum labium pollice remotam expulit *Solingius*, atque ita, quod in medio globulo, ſive papilla ipſius vaſis lymphatici apparebat, facillime conſpexit oſtiolum, in quod uſque ad valvulam quandam, quæ obſtaculo erat, ſtylum immiſit tenuem, nullo, quamdiu valvula ſtylo occludebatur, humore exeunte. Illo autem preſſione continua educto, tantum effluxit liquoris, quantum cochleari implendo eſſet. Hunc autem ut ſiſteret fluxum, fruſtra vitrioli Cyprii pulverem loco impoſuit, poſtridie etiam cauterio, ut eſcharam induceret, incaſſum adhibito, hac enim ſeparata, humor, ut ante, fluebat. Tandem vero, uti læſis fit arteriis, vaſculum interceptum, compreſſumque ſupra pulvillum, latiore ligavit vitta, apertumque, & hians vaſis contraxit oſtiolum, fluxumque blando quodam adſtringente remedio intra pau-

paucos ſuppreſſit dies, vitta, quam ſenſim ſolvebat, donec callo obductum eſſet vulnus, relicta.

Alterum, quod narrat *Solingius*, rupti vaſis lymphatici exemplum *eodem lib.*, *& cap.* extat. Violenta autem corporis contorſione orta erat hæc ruptio, poſt quam è vaſe illo ſenſim juxta porum quendam cutis ſubſalſus abunde manabat humor, unde maxime debilitabatur læſus. Acceſitus itaque *Solingius* effluentem liquorem pulvillis, ligaturaque intercepit, ſcarificationeſque quaſdam circa porum inſtituit, quibus cauterium aliquod potentiale haud diffluens, ac ex Mercur. ſublimato, ſacch. Saturni, amylo, & ichtyocolla conſtans impoſuit, atque eſcharam, operatione peracta, cruciatim incidit, factaque ſeparatione, tandem vulnus ſanavit.

Quamvis autem humoris in vaſis lymphaticis tantus non ſit motus, quantus eſt ſanguinis in arteriis, veniſque, illorum tamen vaſorum difficulter percurantur vulnuſcula, quia liquor ille non eſt tam craſſæ, viſcoſæquæ, quam ſanguis, ſubſtantiæ, ideoque talis ejuſdem coagulatio, qualis in ſanguine fit, expectari nequit. Salivalia autem omnium difficilius curantur, teſtante eodem *Solingio lib. & cap.* adductis *fol.* 376. Ubi ſe, cum aliquando ductus ſalivalis ſuperioris vulnus adſtringentibus, ac conſolidantibus ſanare nequiret, inflexum aliquod inſtrumentum è chalybe effictum vaſi comprimendo, humorique

ſupprimendo idoneum adhibere neceſſe habuiſſe narrat. Idem etiam ejuſmodi occaſionibus internas è validis cicatrizantibus componendas eſſe oris collutiones ſcribit.

H. Roonhuyſius part. 2. obſ. cap. 39. fol. 246. de vaſe ſalivali in gena vulnerato memorat, cujus vulneris minor quidam tumor cauſa fuerat, qui commode occludi, lympha perpetuo, quando læſus maxillam inferiorem eſurus potaturuſve movebat, effluente, non poterat. Hic autem fluxus nullis actualibus (uti vocant) ſiſti poterat cauteriis, verum cataplaſmate quodam roborante, atque exſiccante, nec non diæta ſicca, fortioribuſque compreſſionibus, ac tenaci, & adhærente emplaſtro priorem ægrotans recuperavit valetudinem.

℞. *Reſinæ pini* ℥ iij.
Ol. maſtich. ℥ j.
Coq. ad conſiſtentiam Emplaſtri.

H. Fabrit. ab Aquapendente Append. lib. 2. de vulnerib. genarum, difficilia curatu, ait, genarum ſunt vulnera, quod ſanguinis profuſioni obnoxia ſint, propter venas, & arterias ſurſum per genas excurrentes, quæ ſanguinis profuſio vulneris glutinationem impedit. Non oportere vulneratum mandere, nec loqui, nec buccas inflare, neque ridere, neque flere, aut inclinato capite ſtare, vel ſpiritum cohibere ait. Verſus aurem etiam foraminulum anguſtiſſimum vix ocu-

lis

lis conſpicuum apparere ſcribit, è quo præſertim, cum laborantes mandunt, magna aquæ limpidæ manet copia, quam lacrymæ inſtar interdum longo tempore durare affirmat. Unde autem, & quomodo effluat, ſibi minus ſiquere ingenue profitetur.

Primo autem hic obſervandum eſt, quando iſtius lymphæ fluxus ſolo inferioris maxillæ augetur motu, liquidum aliquod alimentum per tubum in os immittendum eſſe. Secundo vaſorum lymphaticorum, ut & venarum interceptionem, compreſſionemve, ab illa, quæ fit in arteriis, omnino differre. In his enim infra vulnus, in illis autem ſupra illud, reliquis non differentibus, fit preſſio.

Nonnulli vaſculis lymphaticis læſis pulverem *centaurii minor.* non ſine ſucceſſu admovent, aliis non minus proſpere *oleum Sabinæ* calidum, ut eo melius penetret, imponentibus: quod & olim *Galenus* nervis, tendinibuſque vulneratis applicuit, uti *Meth. med. lib. 6. cap. 2. fol:* 37. & *lib:* 4. *cap:* 5. *fol.* 88. nec non *lib:* 6. *cap.* 3. *fol.* 38. patet. Idem etiam *lib.* 3. *de compoſit: pharmac: cap.* 1. *fol:* 140. & *ſec: loc. lib.* 1. *fol.* 122. oleum Sabinæ tenujum ait eſſe partium. Ante omnia autem inveteratum laudat.

OBSERVATIO XLVII.

Conchæ falſis gravidæ anſeribus.

QUemadmodum in homine, quem jure merito microcoſmum, ſive parvum dixeris mundum, variis animi paſſionibus humores præter morem celerrime, vehementerque moventur, unde omnia in ipſo, ſive bona, ſive mala, quæ ante latentia, ac quieta corpori nihil afferebant impedimenti, commoventur, ac perturbantur, ita etiam in macrocoſmo, ſive majore mundo ſe habent maria, quæ variis tempeſtatibus ferventia, vehementique concitata motu omnia pervertunt, atque è gremio non varios tantum piſces, & animalia, ſed & vegetabilia, plantaſque emittunt; quemadmodum ſuccino, ambra gryſea, nuce medica, corallo, &c. nec non hocce noſtro piſce conchato conſtat,

Sub finem æſtatis An. 1682. poſt horrendam tempeſtatem è mari Germanico, quod appellant, in Scheveringanum littus fruſtum mali cujuſdam navis ejec-

tab:15



tum eſt, cui innumeræ adhærebant variæ magnitudinis conchæ, quæ triangulares, ac planæ, nec non læves, lineiſque quibuſdam extrinſecus albo-cæruleis, ac ſplendidis notatæ ope tubuli fuſci, carnoſique, ac nodis interſtincti algæ annectebantur, è quo, tanquam umbilicali tubo, nutrimentum ſumere videbantur: quod à nonnullis ſurſum, & deorſum ferri animadverſum fuit. Has autem intra conchas rotundum quoddam, & informe conſpiciebatur corpuſculum, è quo varia brachia, pedeſve provenire videbantur, qui verſus interiora flexi multos quaſi parvos, breveſque, ac fuſco-lividos emittebant pilos, quorum ſupremi cæteris longiores erant, quos qualecunque hoc animal ad alimenta capienda extendere, & attrahere noverat. Decepti autem fuerunt haud ita pauci, qui pilos illos pennas eſſe credebant, cum ex hujus pedunculo utrimque plumæ utplurimum procedant.

Ad Lectoris captum figuram iſtius corpotis Tab. 15. expreſſam habet.

IN OBSERVATIONEM XLVII.

DIſcrepantes admodum iſtis de conchis fuerunt opiniones, hiſce piſces, illis anſerinos in iſtis latere fœtus ſtatuentibus.

Dum itaque, quibus accederem, neſcirem, accuratius inveſtigandi cupido me inceſſit.

Primò igitur *Matthiam Lobelium ſtirp. obſerv. ſub finem* perlegi, à quo non diſſentit *Petrus Pena*, qui corpora iſthæc Britannicas conchas anatiferas vocant, quemadmodum etiam ipſa figura anſeres exprimit Gallis *Maguerolles*, & *Macreuſes.*

Exiſtimant multi Scotos non ex ovis, ſed è mari provenire anſeres, quamvis non inter omnes de eorum origine conveniat.

Munſterus Coſmogr. libr. 2. *cap. de Scotia fol.* 49. in Scotia inveniri tradit arbores, quæ foliis conglomeratum producunt fructum, qui opportuno tempore in ſubjectam decidens aquam reviviſcat, atque in avem vivam, quam anſerem vocant arboreum, convertatur. Veteres quoque, inquit, Coſmographi, præſertim *Saxo Grammaticus*, hujus arboris mentionem faciunt, ne putes eſſe figmentum à nobis ſcriptoribus excogitatum.

Æneas Sylvius de hac arbore ita ſcribit.

„ Audiveramus nos olim arborem eſſe in Sco-
„ tia, quæ ſupra ripam fluminis enata fructus

pro-

„ produceret anatum formam habentes, & eos
„ quidem, cum maturitati proximi eſſent, ſponte
„ ſua decidere, alios in terram, alios in aquam,
„ & in terram dejectos putreſcere, in aquam
„ vero demerſos mox animatos enatare ſub
„ aquis, & in aëre plumis, penniſque evolare.
„ De qua re cum avidius inveſtigaremus, dum
„ eſſemus in Scotia apud *Jacobum* Regem,
„ hominem quadratum, multâque pinguedine
„ gravem, didicimus miracula ſemper remotius
„ fugere, famoſamque arborem non in Scotia
„ ſed apud *Orchades* inſulas inveniri.

Hanc etiam ſententiam *Odoricus Vtinenſis*, ſcribente *Fortun. Liceto de ſpont. vivent. ortu. libr.* 3. *cap.* 47. amplexus eſt.

Alii ex interiori malorum, aſſerumque in mari fluitantium medulla primo nonnihil educi, atque ex alga pici adhærente conchas, ſive mytulorum quandam pendere autumant ſpeciem, quæ tandem aliis in Ponto acquiſitis vel in aëre volitent, vel in aquas delapſæ natent; Quos inter *Turnerus*, qui hæc animalia *Berniclas* dicit, notante ibidem *Liceto*. Hæc autem omnes maris accolas in Britannia, Hyberniaque, ac Scotia, ut & celebrem Hyberniæ Hiſtorio graphum *Gyraldum*, alioſque confirmare ait.

Eadem ſedit opinio *Hectori Boëtio d. libr.* 1. nec non *Jul. Cæſari Scaligero Exercit.* 59. *ſect.* 2. ut & *Mich. Meyero* (teſte *Sennerto Hypomn. Phyſ.* 6. *cap.* 8.) *tract. de volucri arborea cap.* 31.

Cardano de Varietat. rerum, *Ortelio deſcript. Scotiæ*, & *Hyberniæ*, *Carnelio Scribonio Epitom. Hiſtor. de gentibus Septentr. Alex. ab Alexandro dierum genial. libr. 4. cap. 9. Anthon. Torquemado Hexam.*, *Joh. Baptiſt. Portæ Phytognom.*, *Aldrovando Ornithologiâ*, & *de Teſtaceis libr. 3. cap. 78. p. 166.* Illi tamen de iſtorum anſerum, vel anatum naſcendi modo maxime diſſentiunt. Hi enim ipſos in arboribus creſcere, illi maris, aut ligni munere oriri ſtatuunt.

Nonnulli autem primò vermem provenire, qui ſenſim in avem mutetur, alii mox intra conchas avis primordia poni contendunt. Has autem quidam ex alga, quidam pediculorum ope, aut denique è vermibus ligni produci, eique adhæreſcere tradunt.

Hæc itaque opinionum diverſitas ejuſmodi anſerum originem merum eſſe figmentum, quod conjecturis nitatur, evidenter probat. Siquidem autem res tam diverſimode memoratu, vero ſimillimum eſt, nullum ocularem eſſe teſtem. Erroris cauſa eſt, quod anſeres illi immenſo numero in Scotiam avolent, ubi autumnali tantum, & hyberno degunt tempore, ac quoniam natale eorum quondam ignorabatur ſolum, ex hujuſmodi conchis illos produci quidam crediderunt, præſertim, quia avis initium iis latere videbatur.

Rectius recentiores Scotos anſeres non illo modo, ſed ex ovis, ut alios prodire dixerunt.

Georg. Marcgravius de Liebſtad Hiſt. rer. na-

natural. Braſil. lib. 4. de piſcibus fol. mihi 188. *cap.* 22. *Reri Apya* Braſilienſium meminit, quæ cervicum oblongarum nomine vulgo veniunt. Has è pice navali ſubter naves immediate adhærentes tabulis innumerâ copiâ oriri, earumque corpus unum aut duos digitos longum, teres, æquali craſſitie, duplâ videlicet pennæ anſerinæ eſſe ait. Huic, inquit, annata eſt conchula figuræ ovalis, magnitudine olivæ, major, aut minor, conſtatque quinque partibus, albi coloris, ſed ubi partes coaluerunt crocei, non dura, ſed molliuſcula eſt conchula: In uno latere rimam habet, per quam capitulum ſuum exſerit, conſtans multis elegantibus quaſi tornatis filamentis, lunatis ſemidigitum longis, color corporis eſt fuſcus, ſeu nigricans, ut & filamenta capitis. Immediate autem pici inhærent, quaſi corpus abſciſſum eſſet, & agglutinatum abſciſſa parte, nec unquam à navi ſe poſſunt ſolvere, niſi vi abſtrahantur. Multa millia ſæpe uni navi adhærent; præſertim proram verſus inferius, & navis curſum retardare dicuntur. Sed de avibus ex iis prodeuntibus ne verbum quidem refert.

Olaus Vormius Muſeo hiſt. animal. lib. 3. *cap.* 7. *fol.* 256. ,, Concha, inquit anatifera triquetra ,, eſt, foris ex albo cœrulea, lucida, lævis, ,, compreſſa, unciali longitudine, & latitudine, ,, ad perfectionem ubi devenit, quatuor con- ,, ſtans valvis, interdum pluribus, quarum prio- ,, res duæ triplo majores poſterioribus, quæ iis

tan-

,, tanquam appendices adhærent, tenues valde;
,, circa partem craſſiorem, qua algæ adhærent,
,, apertæ, dum aperiuntur, oſtentant aviculæ
,, rudimenta, & pennas ſatis diſcretas. Hæ
,, aves, quas perperam olim putarunt ex his
,, conchis naſci, quaſque Galli *Maguerolles*, &
,, *Macreuſes* appellant, tempore quadrageſimali
,, ex Normannia Pariſios magnâ copiâ adferun-
,, tur, venduntu rque loco piſcium; Nam in
,, aliquibus locis pro piſcibus comeduntur ut-
,, pote carnem non habentes, nec ex carne pro-
,, ductæ. Imo à fide digno Gallo accepi, pu-
,, blica Theologorum Sorboniſtarum ſententia
,, in piſcium, non autem avium claſſem relatas
,, eſſe has aves. Idem confirmat *Rob. Sibbaldus*
Scotiæ Illuſtratæ part. 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *fol.* 21.

Verum *R. Dodonæus fol.* 1495. è conchis iſtis anates procedere negat.

Carolus Cluſius Auctario Exotic. ex *Hoiero*,
,, Claiks, ait, ſive Claikgees Scotis, Bernacles
,, Anglis, Rodgees Hitlandis, avis eſt per au-
,, tumnum, hyememque duntaxat conſpicua,
,, formâ Anati vicina. Hujus natalia cum igno-
,, rarentur, factum eſt, ut vulgus primum ejus
,, protoplaſma, ſive rudimentum cenſuerit eſſe
,, teſtas quaſdam albicantes, adnatas truncis,
,, ſive fragmentis ligneis, quæ maris fluctubus
,, in arenam, littuſque propelli hic ſolent, ubi
,, ligna alias non creſcunt, & formam aviculæ
,, iſtius quodammodo æmulantur. Vivam ta-
,, men,

„ men, & omnibus modis abſolutam avem ex „ maſſa illa teſtacea evaſiſſe, aut prodiiſſe, ne„ mo eſt inventus, qui ſe vidiſſe aſſerere fuit „ auſus.

Deinde, Aviculæ, inquit, porro non ſunt, quas in Orcadum arboribus mari vicinis naſci vulgo putant, & *Bernacles*, ſive *Rodgans* appellant, ſed aves, anate ferâ non minores, ut ego aliquoties vidi, imo ipſarum carnem etiam guſtavi: Meras autem fabulas eſſe, quæcunque de earum natalibus hactenus fuere tradita, à Batavis, qui ante paucos annos ad novam Zemblam navigarunt, & fretum Naſſovicum vulgo *Weygats* ſuperarunt, eſt deprehenſum. Eas etenim aves in aliquot ſcopulis incubantes ſuis ovis obſervarunt, quarum nonnullas cum plurimis in navem retulerunt ovis.

Convenit *Gerardus de Vera* Amſtelodamènſis *hiſtoria navigationis ad Sinas.* Tum remi„ gantes, inquit, ad Inſulam, quæ media erat, „ multa *Berniclarum*, quas Hollandi *Rotganſen* „ appellant ova, ipſaſque nidis incubantes inveni„ mus, quæ fugatæ clamare videbantur *Rot*, „ *Rot*: unde illis nomen. Lapide autem jacto „ unam occidimus, quam coctam cum 60. cir„ citer ovis, quæ in navem detuleramus, edi„ mus. Iſti autem anſeres, ſive *Berniclæ*, fue„ runt veri anſeres *Rotganſen*, quales quotan„ nis prope *Wieringam* (quæ eſt Hollandiæ in„ ſula Auſtrali prætenta ſinui) abunde capiuntur,

„ utut ignoto, quo ova ponant, pulloſve edu-
„ cant, ſolo.

Ideo autem nonnulli eos in Scotiæ creſcere arboribus ſcripſere: Mirum autem non eſt, ut *Vera* ait, ſi minus notus priſcis fuerit illorum originis locus, quoniam necdum cognita erat tum temporis terra illa, quam ego *Groenlandiam* eſſe arbitror.

Ortum autem iſtud videtur figmentum, ut idem ſtatuit, quod nautæ olim ad *Hebrides*, & *Orcadas*, totumque iſtum tractum navigantes immenſum anatum, ſive anſerum, aliarumque avium animadverterint numerum, quas, cum, unde venirent, neſcirent, è ligno, ac conchis produci hallucinati ſunt, quoniam ex his magnum animalculorum etiam pennatorum prodire obſervabant numerum.

G: *Harvæus* quoque *lib*: *de generat*: *animal*: *Exercitat*: 11. *fol.* 88. relationem illam minus veram ait. *Quæ ipſemet vidi*, inquit, *bona fide diſſeram. Eſt inſula parva, Scoti Baſſe nominant* (*ex hac una noſce omnes*) *non procul à littore in alto mari ſita abrupto, & confragoſo clivo editiſſima, verius ſaxum ingens aut ſcopulum dixeris; haud amplius mille paſſuum circuitu amplitudo ejus clauditur. Hujus inſulæ ſuperficies* (*menſibus Majo, & Junio*) *nidis, ovis, pulliſque, propemodum tota inſtrata eſt, adeo, ut vix uſpiam, præ eorum copia, pedem libere ponere liceat: tantaque ſupervolantium turba, ut*

ut (nubium inſtar) ſolem, cœlumque auferant; tantuſque vociferantium clangor, & ſtrepitus, ut prope alloquentes vix audias. Si ſubjectum mare inde, (tanquam ex edita turri, & altiſſimo præcipitio) deſpexeris, idem quoquoverſum infinitis diverſorum generum avibus natantibus, prædæque inhiantibus opertum videas, &c. Si circumnavigando imminentem clivum ſuſpicere libuerit, videas in ſingulis prærupti loci crepidinibus, & receſſibus, avium cujuſlibet generis, & magnitudinis ordines innumerabiles: plures ſane, quam illuni nocte, ſereno cœlo ſtellæ conſpiciuntur: ſi advolantes, avolanteſque eminus adſpexeris, apum profecto ingens examen credas. Haud facile dixerim, quantus reditus quotannis ex plumis, & nidorum, foco utilium reliquiis, ovorumque coctorum commercio Poſſeßori accedat: adeo, quod ipſe mihi narravit, fidem exſuperat.

Rondeletius de Balanis hiſt: piſcium, lib. 1. de Teſtaceis cap. 29. haſce anatiferas, quas vocant, in Normannia, Britanniaque reperiri tradit conchas. Aves tamen hinc prodire ſilet: Illas autem Balanorum quandam eſſe ſpeciem dicit.

Thom. Bartholinus hiſt: anatom: med: Cent. 6. cap. 49. fol. 273. conchas ſibi ſemper ſui generis, non avium feraces viſas fuiſſe tradit: harum rudimenta, inquit, interiora vix referre poſſunt avium pennas. Univerſam concham replent,

 ut

ut pro capite, reliquoque corpore parum ſuperſit. Quod caput eſſe debet, rotunda eſt portio quaſi muſcæ majoris. Certè pennæ avium in ovis parciores cernuntur ,& in excluſis magis excreſcunt. Quantum oculo accuratiori, & microſcopio aſſequi potui, videntur potius cancelli cujuſdam, vel aranearum pedes ſubtili lanugine eleganter, & certo ordine diſtincti, hirſuti, ut ſicut in buccinis, ita & in his conchis non anates, ſed cancellos ſui generis enaſci ſit vero ſimilius. In opinione (ita pergit) præconcepta exinde confirmor, quod inter Muſei arcana ſervem conchas ejuſmodi algæ annexas, inter quas una concha prægnans aliam ex ſe profert, & valvis apertis excludit, quo indicio perfectæ ſuique generis conchæ ſe tueri poſſunt, quæ alias ejuſdem ſpeciei conchas generant.

Has autem in maris plerumque fundo creſcere conchas, ac poſtea tempeſtatum vi ejectas, ſolutaſque hic illic lignis adhærere certum eſt.

Hoc etiam confirmat quidam, qui cum hiſce de rebus fide maiora audiviſſet, legiſſetque, nec ipſos unquam vidiſſet, ſciendi cupidus aliquando tempore brumali poſt magnam tempeſtatem famulum ad littus miſit, ut quædam eorum, quæ in illud ejecta eſſent ſecum adferret, inter illa etiam hæ, inquit, fuere conchæ, (vulgo anatiferæ) quæ intus erant ſcabræ, ac qua in longum ex tendebantur, pennam quandam, ſive incurvatam galli gallinacei caudam abſcondere videban-

bantur, unde quidam caudæ has eſſe exiſtimarunt pennas, verum cincinnis illæ, animaliſque cujuſdam conchæ incluſi ſimiliores apparebant pedibus, quibus alimenta quærere, ac conſervare queant: Fruſtra enim qualeſcunque hæ conchæ accepiſſent, quam conſervare nequirent, vitam.

OBSERVATIO XLVIII.

Inſolitus cervicis galli gallinacei tumor.

VIles nimium fortaſſis quiſpiam dicet, quas de animalibus quibuſdam adiecimus, obſervationes, verum quæ contemnenda nonnullis videntur, juvare interdum conſtat, multi enim, iis accuratius perſpectis, maiorem longe acquiſiverunt rerum cognitionem,

Exemplo ſit *Democritus Abderita*, qui quod paſſim diſſecandis occupatus eſſet animalibus, nonnullis parum mentis compos videbatur, quamvis *Hippocrates Cous* à miſerantibus, ut ſententiam diceret, arceſſitus longe aliter exiſtimaverit. Illius itaque Philoſophi exemplo neutiquam animalium reiiciens diſſectionem, die 24. Novembr. an. 1682. domi D. Samuelis Cabeliavii Medici non incele-

 bris,

bris, ubi & D. *Cornelius Solingius* erat, fui, qui tunc temporis gallum, qui annum vixerat, diſſecabat, cui inter palearia magnus erat rumor, qui ipſi cantum adeo impediverat, ut vix audiri poſſet. Tumore aperto multas conglobatas, conglomeratasque reperimus glandulas, quæ diſtinctis ſeparatæ membranulis ovi gallinacei æquabant magnitudinem, ac in quibus hîc illic quædam reperiebantur vaſcula, quæ verſus interiora in communem quendam concurrebant ductum.

In ventriculo præter fruſta quædam carbonum Scoticorum extinctorum, vitri etiam pellucidi inuſitatæ craſſitiei invenimus fruſtum, cui glabro admodum phaſeoli minoris figura erat, angulis acutioribus, qui attriti haud dubie fuerunt, deficientibus. Tandem & cor longe apparuit maximum, ſive longitudinis, ſive craſſitiei habeatur ratio, quod piſtachiæ nuci magnitudine par erat. Intra illud autem, ac præſertim in ventriculo ſiniſtro magnam coagulati vidimus ſanguinis copiam, unde nobis orta credebatur extenſio mortis certiſſima cauſa.

IN

IN OBSERVATIONEM XLVIII.

DE tumore iſto heic loci quidquam dicere non equidem libet.

Vitrum autem detritum, glabrumque adeo crediderim fuiſſe, quod Galli, Gallo-pavoneſque fermentum, ſuccumque diſſolventem admodum, humanoque longe potentiorem ventriculis gerant, qui non vitrum tantum, ſiliceſque, ſed & aurum, ut teſtantur, qui experti didicere, atterit, ac ſolvit.

Quapropter internas etiam ventriculorum gallinaceorum tunicas exſiccatas, contuſaſque Medici non ſine ſucceſſu debili ventriculo laborantibus, quod infirmum nimis eſſet illius fermentum, præbuerunt, notante *Galeno lib. 2. de ſimpl. med. falcultat. p. mihi* 80.

Struthiocamelum autem, ut multi putarunt, ferrum concoquere poſſe, ſi quid unquam, eſt falſiſſimum: Quod experientiâ ſe didiciſſe *Joh. Langius epiſt. med. lib.* 1. *epiſt.* 12. *fol.* 51. ait. Iſto autem præjudicio nitebantur, qui animal hocce ſoleam ferream equinam roſtro gerens depinxerunt.

Decepti autem fuere, quotquot avem illam deglutitum ventriculi ſucco diſſolvere poſſe crediderint ferrum, ut pote quod alioquin in interiora non immitteret.

Vana autem hæc eſt ratio: Multa enim ani-

malia non nutrimenti, ſed ſaporis, vel medicamenti ergo quædam deglutiunt. Ita gallinæ, & præſertim gallopavones per fauces tranſmittunt lapillos, aliaque ſubſtantiæ durioris corpora. *Thom. Brouwnius Pſeudodoxiæ epidemicæ cap.* 22. *fol.* 296. ſe in ventriculo gallo-pavonis 700. inveniſſe lapillos indicat, hos autem digeſtionem magis promovere, quam conſumi ait. Nonnunquam etiam illi in fæcibus horum animalium alvinis reperiuntur, licet difficilior eorum utplurimum ſit deſcenſus. Ipſis enim Brouwnius varios lapillos, fruſtulaque obtulit ferrea, quæ poſt octiduum in ventriculis fuere reperta.

Ipſe autem lapillos, induratamque calcem deglutitam gallinis medicamen præſtare reor, quia nimis acidum, aut acre hujuſmodi materiâ dulcius evadit fermentum. Hoc enim in illam vim ſuam convertens multum amittit acoris, obtunditurque admodum, cujus abundantiâ ſæpe abſque teſtis prodeunt ova; Aceto enim ova per aliquot dies immiſſa teſtas amittere videmus.

Peyerus tamen duriora non tam acido Gallinarum ſucco, quam lapillorum alliſione, & duobus internis duris, ac calloſis ventriculorum parietibus atteri ſtatuit.

Gramen etiam canibus remedium eſt, quod tamen non concoquunt. Columbæ quoque juniores ſalſos deglutiunt lapillos.

Struthiocamelos *Leo Africanus*, qui in regionibus, quæ iis abundant, vixit, magnam ferri quan-

quantitatem, lapilloſque deglutire, ſed & per aluum excernere tradit.

Vlyſſ. Aldrovandus, cum, inquit, Tridenti eſſem, Struthiocamelum ferrum deglutientem vidi, cujus ingentia poſtea egerebat fruſta..

O. Dapperus deſcriptione Africæ fol. mihi 214. *An.* 1659. tres Salæâ ad uniti Belgii proceres legatos veniſſe memorat, qui inter alia etiam Struthiocamelum adducebant dona. Quoniam autem hoc avium genus pueri ferrum concoquere poſſe crederent, plurimos illi objecerunt clavos ferreos, quos quidem deglutivit, ſed brevi poſt extinctus fuit, Ejus autem in ventriculo ultra 90. clavi ferrei reperti ſunt: Idem inſuper Struthiocamelum deglutitum ferrum, lapideſque integros non ſine inteſtinorum læſione rejicere aſſerit, unde in morbum, & atrophiam incidit, affirmante *Jonſtono fol.* 55.

Neutiquam tamen ferrum, lapideſve in ventriculo Struthiocameli aliquandiu detentos immutari, aut quodammodo deteri diffitemur. Id autem non tam concoctionis, quæ vi caloris cujuſdam fit (ut dixere veteres) quam quidem acris cujuſdam in ventriculo liquoris attritione contingit: quin & illud ipſum in homine interdum fieri poſſet. Ita nummus æneus, qui, ut tradit *Amatus Luſitanus curat. med. cent.* 2. *curat.* 59. *fol.* 216. per integrum annum in juvenis cujuſdam corpore latuerat, imminutus, detrituſque prodiit.

Meminerunt & *Acta Haffnienſia Thom. Bartholini volum.* 5. *obſ.* 107. *fol.* 278. *& ſeqq.* Londinenſis cujuſdam, qui varia fruſta ferrea, lapideſque aliquot rotundos avellanæ magnitudine devorabat, ſed poſt duos, pluresve dies per alvum reiiciebat, qui tamen ab acido, & acri ventriculi fermento aliquatenus erant detriti. Idem & baculum vitreum breviorem deglutierat, qui per dies quatuor in corpore retentus, cæruleo demum infectus colore, & velut ab aqua ſtygia corroſus per alvum exivit; Bacillus itidem alius poſtquam buxo, è per ſex hebdomadas in inteſtinis delituerat, in fruſtula demum diſruptus ſimiliter fuit eliminatus. Idem ferrivorus cardialgiam interdum lapillis deglutitis tollere potuiſſe dicitur. Quoſdam etiam nimis acido ventriculi fermento præditos poſt durorum, craſſorumque alimentorum uſum, v. g. carnis fumo induratæ, piſciumque exſiccatorum, fabarum &c. multo alacriores exiſtere experimur.

Rari cujuſdam tumoris in galli collo reperti meminit *Thom. Bartholinus centur.* 5. *hiſt.* 29. *fol.* 52. Tumor autem ille rotundus, rubicunduſque, & quaſi oculis, palpebris, & ore donatus conſpiciebatur, per quod foramen patebat. Oeſophagus liber erat. Preſſius intuentibus videbatur eſſe arteriæ aſperæ caput, neſcio quo vitio ad exteriora prolapſum, & dilatatum.

OBSER

OBSERVATIO XLIX.

Ovum in ovo repertum.

QUemadmodum à ſexu muliebri, non tantum bene conſtituti, ſed & minus conſueti producuntur fœtus, ita etiam à brutis, vegetabilibuſque, ac iis, quæ in mari gignuntur, mira quandoque proveniunt. Sæpe etiam fit, ut fructus quidam, v. g. citrea, aliaque mala, nec non ova ſui ſimilia intus abſcondant.

Non ita pridem conſanguineorum quidam ovum mihi dono dedit, intra quod, cum comedendum frangeretur, aliud quoddam ovulum durâ etiam obductum teſtâ, magnitudine ovi columbini, aut olivæ reperiebatur, quod vitello carens in medio majoris ovi vitello ſitum erat.

IN OBSERVATIONEM XLIX.

SImilis ovi mentionem facit *Th: Bartholinus act: med: part*: 5. *cap*: 17. ita ut exterius ovum albumen contineret, vitello minus complectente ovum.

De

De ſimili refert idem *Bartholinus*, *epiſt. med: centur.* 3. *epiſt.* 63. *fol.* 387. quod inter Regis Daniæ rariora ſervabatur. *G: Harvæus exerc:* 11. *de generat: Animal. fol.*26. ſe perexiguum cruſta intra gallinæ ovum majus perfectum, & cortice undique obductum vidiſſe ovum ſcribit. De malo citreo fructifero *Chriſtian: Willichius ad Th. Bartholinum Epiſt.* 4. *cent*, 3. *fol.* 153. & *epiſt.* 63. *cent.* 3. *fol.* 385. nec non *Ol. Vormius Muſei lib.* 2. *cap*, 28. *fol.* 206. & *Harvæus d: lib. & cap*· de malo quodam Citreo, intra quod aliud perfectum, ſed minus, flavoque obductum cortice inventum fuerit memorant.

Joh. Baptiſt. Ferrarius gravidum malum citreum deſcripſit, delineatumque exhibuit *lib.* 3. *Heſperid. cap*, 19. Simile quid de aurantio annotavit malo.

Michael Doringius idem Uratiſlaviæ obſervavit in quodam pomo, uti literis *D. Sennerto An.* 1632. ſignificavit-

Ova autem in ovis reperta, teſtaque contecta duriore Ariſtotelis, Pliniique opinionem deſtruere videntur, qui teſtam non intus in corpore gallinæ, ſed externo aëre indureſcere ſcripſere eodem modo quo cæruleus lapis, aliaque in terra nec non corallum ſub aquis reperiuntur mollia, atque educta aëre indureſcunt.

Marſilius Cagnatus lib· 1. *variar. obſ. cap.* 9.
„ Ariſtotelem, & Plininm oppugnans, per-
„ ſpicuum, inquit, *ſatis eſt* intra alvum ipſa-
„ rum

„ rum avium, quæ mox parituræ ſunt, duro „ putamine ova reperiri, quod cuivis licet „ ſumptu leviſſimo experiri, ſcilicet ſi quam „ partui proximam viventem volucrem incidere „ non pigeat, quod eſt præſtantiſſimum adve- „ ritatem hujus rei cognoſcendam. Manibus „ etiam tenuimus gallinam, cui repente ovum „ excidens durum idem perſuaſit: fregimus „ etiam in cujuſdam ventre ovum, eaque diſſe- „ cta apparuerunt putaminis fragmenta omnino „ illis ſimilia, quæ naturaliter emergunt, &c.

Eadem eſt *Harvæi* ſententia *d. l.*, quam ovo intra ovum concluſo, teſtâque ſatis durâ veſtito confirmat.

Idem quoque clarum eſt ovo, quod *Bartholinus centur.* 5. *hiſt.* 95. *fol. mihi* 176. duplici, at ſeparata donatum reperit teſta. Nec non eo, quod in technicotheca Regis Danorum Frederici tertii olim ſpectabatur poſtquam in gallinæ utero in Norvegia lapideam induiſſet duritiem.

Monſtra etiam in ovis interdum reperiri teſtatur *Vlyſſes Aldrovandus hiſt. monſtr. fol.* 389. *ex Fortun. Liceti relatione de monſtris*, ubi, Gallinam, ait, ego domi alui quinque digitos habentem in utroque pede, quæ poſt ova multa, mediocria, puſillum edidit, infra columbaceum, ſine luteo, in cujus albumine ſerpens, ac veluti vermis erat, in quem luteum mutatum fuiſſe ſuſpicor: etenim novi clariſſ. virum *H. Fabrit. ab Aquapendente*, in ovi luteo vermem

ſa-

ſatis magnum inter comedendum comperiſſe; quo mire ſtomachatus ovorum eſum dilectiſſimum diutius intermiſit.

Meminit *Ambroſ. Paræus de monſtris lib.* 24. *cap.* 2. *fol.* 545. monſtri cujuſdam mirandi, quod in ædibus Juriſconſulti Auguſtoduni in Burgundiâ conſpectum fuit.

Joh. Faber Lynceus expoſit. in Nardum Recchum fol. 773. de ſcorpionibus in ovo repertis memorat. De his plura ſecuturæ obſervationis habet ſcholium.

Quamvis autem mirum ſit, ſi fructus fructum, atque ovum ovum contineat, magis tamen admirandum eſt ſcribere *Thom. Bartholinum tract. de inſolitis partus viis cap.* 16. *pag.* 133. mures interdum fœtus producere prægnantes, nec non olim in Hiſpania equam excluſiſſe mulam ventre mulam gerentem.

Omnium autem maxime mirandum eſt, hujuſmodi imprægnationem, ut teſtantur nonnulli, in hominibus etiam interdum conſpici, cujus rei exemplum memorat *Thom: Bartholinus d. lib. cap.* 2. *fol.* 124., &c. & *cent.* 6. *hiſt. anat. obſ.* 100. de filia mortua in lucem editâ, in cujus diſtento ventre poſt diſſectionem reperta fuit filiola, qua de re legantur quoque *Ephemerides Eruditorum Galliæ an.* 1676. *fol.* 182.

Non minus inſoliti partus mentionem facit *Gabr. Clauderus miſcell: med: phyſ. curioſ. dec:* 2. *an.* 3. *obſ.* 72. *fol.* 164. Ubi prope Naumburgum

gum Thuringiæ oppidum in pago *Bezgendorff* molitoris cujuſdam uxorem ſolito tempore filiolam peperiſſe narrat, cui abdomen præter morem tumebat. Hæc autem filiola poſt octiduum ſubito maximis corripiebatur torminibus, prout continui fletus, inquietudo, corporiſque abunde ſignificabant motitationes, ac poſt aquæ cruentæ fluxum mox filiolam promebat viventem, hanc ſecundinæ lochiorumque fluxus, quæque ſolitum comitantur partum, ſequebantur.

Poſterior hæc filiola dimidium longitudine æquabat digitum. Tenera autem mater cum infante, avia, ſive priore puerpera, ſuperſtite, interiit. Memorabilem hunc caſum non tacuit, qui *Reipubl: literariæ Acta menſis Octobris an.* 1685. *fol.* 1092. gallica conſcripſit lingua.

Similis etiam hiſtoriæ, quæ ante ſecula aliquot accidit, mentio fit breviario rerum memorabilium Iſibordi ab *Amelunxen App. anni* 4. *dec.* 2. *Ephemerid. German. hiſt.* 20. *fol.* 198.

Exiſtimat *Thom. Bartholinus d. l.* naturam ejuſmodi caſu (ut ejus verbis utar) gemellas molitam errore, aut luſu quodam, alteram in alterius uterum inducta detruſiſſe cuticula. Hanc autem rem (modo iſta vera ſint exempla) longe melius per ova muliebria, quæ ante annos aliquot ab accuratioribus quibuſdam anatomiæ indagatoribus reperta ſunt, exponi poſſe crediderim; favente etiam noſtro ovi in ovo inventi exemplo.

O B-

OBSERVATIO L.

Non dari Baſiliſcum infeſtiorem demonſtrat.

VIx ullum verius dictum eſt, quam quod *mundum decipi velle* affirmat. Uſque adeo enim plurimi vanis præjudiciorum ſeſe obruunt involucris, ut hiſce ſolis vanos paſcentes animos ingenitam Judicii, rationiſque corrumpant vim.

Advena quidam hic Hagæ anno 1681. moriturus Baſiliſcum, quem vocabat, reliquit. Litis autem de lana hac caprina ſubortæ fama ad noſtras pervenit aures. Viſendi itaque cupidus letale ſpectavi monſtrum, quod pedis fere unius longitudine è Raja quadam effictum alas, &, ne quid deeſſe videretur, terna capite gerebat cornua. Incurvata ei cauda veluti unco ſpiculi in morem ære munita, pedeſque galli gallinacei, omniaque ad horrorem, vulgique captum efformata erant. Figura plane ei talis erat, qualem celeberrimus *Joh. Jonſtonus*, clariſſi-

ſimuſque deſcripſit *Vedelius*. Quam inane autem *Baſiliſcus* ille terribilior nomen ſit, oſtendere aggredior.

IN OBSERVATIONEM L.

Baſiliſcus ἀπὸ τοῦ Βασιλέως dicitur, quia horrorem draconibus, & ſerpentibus incutit, vel forſitan, quod tria capite gerat cornua, quæ totidem coronæ quibuſdam videntur, unde Rex vocatur Draconum; vel denique, quia, ut nonnulli tradunt, anteriore corporis parte erectus incedit.

De hoc multa Veteres memorant; quales *Plinius natural. hiſt. lib.* 8. *cap.* 21. *Solinus Polyhiſtor cap.* 49. *Archelaus lib.* 2. *cap.* 9. *Ætius tetrabibl. ſerm.* 1. *cap.* 29. *&* 33. *Ælianus lib.* 7. *hiſtor. animal. cap.* 1. *Avicenna fen.* 6. *quinti*, *Iſidorus lib.* 12. *Dioſcorides*, *Ardoynus*, *Grevinus*, *&c.* quæ nec à Recentiorum nonnullis rejecta, apud emunctæ naris homines fidem non invenerunt: quamquam non deſint, qui veterum figmentis plura addant.

Nullius autem animalis æque abſtruſa eſt, ac Baſiliſci, & Unicornu origo: obſervandum etiam putem, ſicuti hoc contra quævis venena præſtantiſſimum miniſtrat remedium, ita illum ex adverſo non Stygio tantum oris halitu, ſed & aſpectu quævis interimere dici.

Duplicem Baſiliſci ſpeciem docti quidam deſcribunt, alteram ſerpentis è ſimili animali prodeuntis, alteram verò ſerpentis quidem, ſed volucris, atque è galli ovo emiſſi.

De poſteriore valde dubitatur, multique præclari ſcriptores iſtam opinionem figmentis annumerant. Hos inter familiam ducunt *Matthiolus in Dioſcordem lib.* 6. *cap.* ultimo, *Julius Cæſ. Baricellus hortulo geniali*, *Mizaldus memorabil. centur.* 9. *aph.* 53. *Cardanus lib.* 1. *de Venenis*, *& Albertus Magnus de animal.* 25. Hic enim è galli ovo Baſiliſcum produci falſiſſimum ait; Cui accedunt *Aldrovandus*, *Geſnerus Grevinus*, *G. Charleton Onomaſt. Zoico cap. de ſerpent. terreſtr. fol.* 32. omnia, quæ tam de Baſiliſci ex annoſi galli ortu, quam de funeſto aſpectu traduntur, meras dicit fabulas. Quamvis *Levinus Lemnius*, utut non abſque ſcrupulo, *lib.* 4. *de naturæ miraculis cap.* 12. *fol.* 402. gallum ætatis nono, duodecimove anno ovum quoddam figuræ rotundæ, variique coloris parere ſcribat, quod ab ipſo, aut bufone fotum Baſiliſcum producat, uti & avium ſerpentumque ovis contingere nonnulli ſtatuunt, ſi aliquatenus putrefacta à bufone, venenatove foveantur animali.

Iſthæc autem Clariſſ. *Vedelius*, *miſcellan. med. phyſ. decur.* 1. *an.* 3. *fol.* 202. *obſ.* 127. ac *Harvæus de generat. animal. exercit.* 13. *fol.* 51. ad aniles relegant nugas. *Jon-*

Jonſtonus hiſt. natur: de avibus lib. 2. fol. mihi 79. Baſiliſcum veteris galli ovo produci, præſertim ſi bufo incubuerit falſum eſſe ſcribit. Gallum enim non magis ovum teſta cinctum, quam virum fœtum edere poſſe certum eſt.

Quis autem, quæſo, bufonem galli inſidentem ovo unquam invenit? Plurima profectò ſunt, quæ figmentum detegant. Neque enim in aqua tantum, ſed & in terra bufo degit nulla pariens ova, quæ corporis fotu fertilia reddat. Quis autem hujuſmodi animal, ut ovo galli gallinacei tanto incumbat tempore, quo ſuis incubare non ſolet ovis, ſponte concitari credat? Innatus quidem appititus quædam animalia, ut ovis ſuis ſive alienis, neque enim dignoſcunt, inſideant, impellet: hoc autem impulſu animalia, quæ ſimili modo ſua non excludunt ova, ferri nemo ſibi perſuadeat.

Bufo inſuper frigidæ eſt temperiei, requiſitoque ad excluſionem deſtituitur calore. Quamvis autem hic foveret ovum, non tamen prodiret Baſiliſcus. Pullos enim matribus ſimiles produci, qualeſcunque tandem fuerint, quis ignorat?

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus Hædos
Noram. - - - - -

Anne etiam bombycum ovula, quæ

 pue-

pueri fovent, ſimiles omnino vermes producunt? Sed nec pro incubantium varietate ova mutantur: quod avium aliena excludentium ova exemplo conſtat.

Ita ex anſerinis, vel anatinis ſub gallina poſitis ovis non gallinaceos, ſed anſerinos, vel anatinos emitti videmus pullos. Cuculi etiam ova aliarum in avium nidis excluſa non niſi cuculos promunt, &c. Quare nec buſo incubatione, & fotu, ut è galli ovo animal diſſimilis omnino generis, ac naturæ prodeat, efficiet.

Quod ſi etiam iis incumbens buſo multum produceret varietatis, æquum certe eſſet, ut pulli & gallum, & buſonem referrent.

Thom. Brouwn Pſeudo-doxiæ epidem. p: 218. gallos quoſdam annoſos, atque ad ſemen ejaculandum inhabiles nonnihil tamen ſemini ſimile ejicere aſſerit, quod in figuram ovi concreſcens ſubſtantiæ ſit infœcundæ, ſiquidem iis, quæ generationi inſerviant, caret. Deeſt enim utriuſque generis coitus. Hoc etiam intactarum gallinarum ova demonſtrant, atque ipſe, ut ait, in iis, quæ gallorum ova appellant, expertus eſt.

Gallum autem ova producere dictu difficile eſt, quod non niſi à fœmellis, quas ille fœcundas reddidit, procedere, ratio, uſuſque docet. Ita etiam *Harvæus exercitat*. 28 *p*: 108., *&c*. ſtatuit: ita ut abſque utriuſque commixtione non ma-

magis ovum producatur, quam fructus abſque arbore. Ideoque rerum Parens utrumque evidenter diſtinxit ſexum, ut mutua gignerentur ope fœtus. Quod ita verum eſt, ut nullum excipiatur animalium genus; neque enim mares, ſed fœminæ ovariis donantur. Hæc autem gallis deeſſe expertus aſſerit *Thom. Bartholinus qui cent.* 1. *hiſt.* 99. *pag. mihi* 48., *& Actis Haffnienſ. an.* 1673. *obſ.* 10. *fol.* 14. ſe coram *Frederico* Tertio Daniæ Rege an. 1651. Hafniæ veterem quendam gallum, qui ovum produxiſſe certò affirmabatur, diſſecuiſſe, verum ne minimum quidem ovarii indicium animadvertiſſe refert. Quando itaque gallo non eſt uterus (ut ſcribit *Jonſtonus hiſt. natur. de ſerpent. lib.* 1. *fol.* 39.) neſcio profecto quo tandem pacto Baſiliſcus à gallo intra ovum formetur. Gallum equidem gallinarum ovis quandoque incubuiſſe nullus diffiteor: verum ex iis, quæ Gallus prompſiſſe fingitur, ſive ea ſub gallinis poſita, ſive aliis modis, inſolitoque calore foveantur (ut in Ægypto, alibique fieri ſolet) nihil omnino, ac multo minus Baſiliſcus proſiliet.

Ita ut, quæ gallis vulgo tribuuntur, vel immatura, vel monſtroſa, aut ſubventanea eſſe ova conſtet, quæ gallinæ ſteriles produxerunt: quamvis ea gallus in nido non ſuo forte repertus protuliſſe putetur.

Quamquam autem interdum varii admodum

coloris, figuræque reperiantur, gallinarum tamen ſunt ova. Licet enim aliquando gallinarum in nidis inveniatur gallus, nihil tamen ovorum excluſiſſe dicendus eſt.

Utut autem uteris galli carent, docti tamen nonnulli, ac Philoſophi (quos inter & *Levinus Lemnius*) ex interno ejus, putrefactoque ſemine aliquid ovo non diſſimile, quod cuticulâ teſtæ loco obducatur, prodire poſſe affirmant. Sunt etiam, qui Baſiliſcum non vera ſolum generatione, uti ſerpentes, verum è quibuſvis putridis produci rebus, atque ideo in fœtidioribus plerumque ſub terræ ſuperficie locis degere aſſerant: ſed non ego credulus illis. Quamvis enim, quod tamen neutiquam ſtatuerim, annoſi galli è putrido ova producerent ſemine, illud certe, quod poſt incubationem, aliumve modum ex iis proveniret, non ejuſdem, cujus gallus, naturæ, ſed monſtrum quoddam imperfectum foret, haud aliter, quam è corporis humani (ut quidam autumant) putridis humoribus per varios putredinis modos inſolitæ interdum figuræ vermes producuntur. Horrendi quippe vermes, aliaque miranda inſecta in gallinarum ovis nonnunquam, ut fol. 477. memoravi, reperta fuerunt.

Ex ovis autem putridis, fætidoque humore repletis varia quandoque producta fuiſſe animalcu-

malcula teſtatur *Galenus* 11. *ſimpl. & 3. de temperam. cap.* 22. nec non *Plinius lib.* 10. *cap.* 53. & *Ælianus lib.* 10. aliique, quamvis nonnulli qualemcunque hanc productionem non putrefactioni, ſed alii imputent cauſæ, quam mox recenſebo.

Steph. Blankardus collect. Med. Phyſ. cent. 3. *obſ.* 90. Lugduni Batavorum an. 1636. apud *Petrum à Wellen* mercatorem ova quædam præparata fuiſſe, in quorum aliquo animal quoddam ſerpenti ſimile cum vitello latuerit, memorat.

Thom. Bartholinus hiſt. centur. 6. *obſ.* 87. *fol.* 348. vivi cujuſdam vermis intra ovum in horto ſuo profundè ſub terra fodiendo inventi mentionem facit.

H. Fabrit. ab Aquapendente inter comedendum etiam aliquando in ovi vitello magnum animadvertit vermem, uti *Scholio obſervationis* 49. *fol.* 477. monimus.

Non ita pridem ad celeberrimum *Stenonem* Florentiâ quidam litteras miſit, quibus ſerpentem ex ovo quodam prodiiſſe Significavit, cum ex ovis forte ferculum ſereniſſimæ Principis menſis imponendum pararetur, teſte *Bartholino Actis Haffn. an.* 1673. *part.* 2. *cap.* 10. *fol.* 16. Felis in gallinæ ovo repertæ Med. *D. Comes Zod. Med. Gallici an.* 1. *obſ.* 7. *fol.* 147. meminit.

Ovi cometæ figuram referentis *D. Des-Noües* eodem *Zod. an.* 3. *obſ.* 8. *fol.* 30. mentionem facit; hoc autem gallina primum poſt vehementes glocidationes Romæ ſecundo Decembris an. 1680. excluſerat, quo tempore conſpicuus ſuit cometes, cujus figura d. l. videri poteſt. Hujus quoque *Ephemerides Gallicæ an.* 1981. *fol.* 86. meminere.

Verum qua ratione qualiſcunqne hæc tandem fiat productio, non ita dicere promptum eſt. Omnes autem illæ, tamque diverſæ putrefactioni non debentur figuræ.

Dubitandum non eſſe *Bartholinus centur.* 6. *hiſt.* 87. ſcribit, quin gallina ſerpentem pariens à ſimili imprægnata fuerit animali. Hoc autem *Licetus lib. ac. cap. adſcriptis pag. mihi* 253. famulam quandam cui *Juliæ* nomen, ſibi teſtatam aſſerit, quæ ſe non ſemel gallinam ab aſpide comprimi obſervaſſe dixit, cujus ova fota non pullos, ſed parvos excluſerint ſerpentes. Gallina autem diluculo egreſſa glocidans, maritum aſpidem vocavit, ac per totum diem cum eo commorata frequenter ſuccubuit, nec non niſi ſero ad tugurium regreſſa eſt.

D. Segerus miſcell. Med. phyſ. Germ. Decur. 1. *an.* 3. *obſ.* 190. *p.* 358. gallinas animalia eſſe panphaga, & non ſolum omnibus fere granorum generibus, ſed omnium animantium, cum terreſtrium, tum aquatilium, imò ip-

ipſorum ſerpentum, ſcorpionum, aliorumque venenatorum carnibus, ſtercoribus item humanis, ſemine, & ſanguine menſtruo, arenis, ac lapillis delectari dicit, unde facile ſimilia quædam deglutiunt. Verum iſtæc rationi conſentanea non putem.

Imaginationis vim, quæ circa humanorum fœtuum formationem maxima eſt, in nonnulla etiam animalia agere crediderim.

Fienus lib. de viribus imaginationis quæſt. 20. *fol.* 332. non tantum, ait, hominum, ſed & brutotum imaginatio ſignat; ita ut ſimiles ſint iis rebus, quæ tempore coïtus parentum phantaſiæ imprimebantur.

Nec diſcrepat *Valleſii libr. de ſacra Philoſophia cap.* 11. opinio. Idem quoque *Ariſtoteles ſect.* 10. *problem.* 12. nec non *Plinius* 7. *hiſtor. natural. cap.* 12. ſtatuunt, additâ & ratione, cur hominum magis ſint diſſimiles parentibus, quam brutorum proles. Hominibus enim magis vagam, & celerem in coïtu imaginationem eſſe, quam brutis affirmant. *Ariſtoteles* etiam brutis imaginationem *lib.* 3. *de animalibus comm.* 157. tribuit. Quamvis brutorum minus valida ad ſignandum, quam hominum ſit imaginatio, ut res ipſa clamat.

Qui vero rationem brutis denegant, etiam imaginationem tollunt.

Isbr. de Diemerbroeck Anatom. corp. humani

ni lib. 2. *cap.* 2. *fol.* 413. Quamvis, ait, bruta animalia imaginatione, intellectu, & memoriâ carere quidam dicant, habent tamen quidpiam hiſce non multum diſſimile, quod operibus aperte indicant.

Hoc autem hodiernis non memoriæ, ſed reminiſcentiæ nomine intelligitur.

Secundum teſtimonium Prophetæ *Jeſajæ cap.* 1. *v.* 3. cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. *Jeremias cap.* 8. *v.* 7. Etiam ciconia, ait, in cœlo cognovit tempus ſuum, turturque, & grus, & hirundo obſervant tempus adventus ſui. Similiter canis herum, domeſticoſque diſtinguit, eorumque dictis eſt audiens. Sed & plura in hiſce animalibus rationis reperiuntur veſtigia. Hac de re *Rorarjus lib.* 1. *de ratione brutorum* memorabile adducit exemplum, quod in aulâ *Cardinalis* Alexandri contigerat. Hujus enim amicus, ſolo cane comite, venatus, cervumque in vaſta ſylva, magno perſecutus ſtudio in profundiorem forte inciderat puteum, unde nunquam prodiiſſet, niſi domum reverſus, aulamque latratibus complens, nec non huc illuc diſcurrens domeſticis, uti ipſum ſequerentur, ſignificaſſet canis, quo animadverſo, herique abſentiâ intellectâ, protinus, ut canem nonnulli ſequerentur, Cardinalis juſſit. Quo duce cum ad puteum perveniſſent repertum eduxerunt

erunt herum. Similia canum exempla paſſim legere eſt.

Quis autem canem herum aliquamdiu relinquere, hominumque implorare opem docuit?

Nonne igitur illi veluti rationis quandam ineſſe umbram confiteri neceſſe habemus? Multa etiam hoſtes diſcernunt, fœtuſque ab illorum rabie defendunt animalia. Cervum aggreſſura, teſte eodem *Rorario*, primo ſe in arena convolvit, multoque alas onerat pulvere aquila, quem deinde in cervi, ſupra quo volat, cujuſve in cornibus ſedet, oculos conjiciat, ut occæcatus à rupibus præceps ruat.

Simiæ aſtutiam plurimis oſtendunt rebus. Elephas etiam tanquam magna ratione gaudens multa miranda exſequitur, teſtibus *Plutarcho*, *Æliano*, *Plinio*, *Lipſio*, *Acoſta*, *Garcia ab Horto*, *Jacob.* *Bontio*, aliiſque fide dignis.

Rhinoceros Elephantem invaſurus cornu ad durius quoddam acuit corpus, quo illius ventrem, qua tenuiſſima eſt cutis, terebret.

De formicarum autem, apumque, atque avium, quæ nidos, & araneæ, quæ telam tam artificioſe texit, cognitione nihil dicam.

Nonne etiam Chriſtus brutorum quibuſdam majorem, quibuſdam minorem tribuit intellectum, qui *Matth. cap.* 10. *v.* 16. *Eſtote*, ait, *prudentes tanquam ſerpentes, & ſinceri, tanquam columbæ?*

Ga-

Galenus etiam, cum iſthæc recte examinaſſet, *exhortat. ad. art. liberal. ſtudia*, bruta non prorſus ratione carere dixit: & *lib. de arte cap.* 12. hiſce plus, illis minus rationis concedendum ſcribit.

Nec diſſidet *Ariſtoteles lib.* 8. *hiſtor animal. cap.* 3. *&c.* qui hominibus artem, ſapientiam, prudentiamque, brutis autem quicquam ſimile eſſe dicit: paulo ante brutis etiam modeſtiam, ferociam, humilitatem atrocitatemque, nec non robur, pigritiam, atque animoſitatem, ac denique ſapientiæ, prudentiæque attribuerat ſpecimen.

Nonnihil etiam brutis ineſſe, quod imaginationi non omnino ſit diſſimile, ſacer docet Codex. Hoc autem circa conceptum non uſque adeo invalidum eſſe oves probant *Jacobi Geneſ.* 30. *verſ.* 37. Quid enim, quæſo, ſi de divina taceamus providentia, effecit, ut illæ variegatæ naſcerentur, niſi diſcolores virgæ canalibus, quos potaturæ accedebant oves, impoſitæ?

D: Auguſtinus lib. 3, *de trinit. cap.* 12: & *lib*: 12: *de civitate Dei cap*: 25. in hanc commentaturus hiſtoriam imaginationi etiam immutandæ corporis fœtus figuræ vim adſcribit. Et *lib*: 18: *de civitat: Dei cap*: 5: ubi de bove Ægyptio variegato loquitur, quem *Apim*, quod extincti Regis nomen erat, tan-

quam

quam Deum indigitabant Ægyptii, rationem reddit, cur nunquam talis Ægyptiis defecerit Bos: hoc autem dæmonis ope factum putat, cui non difficile ſit variegatum concipientis vaccæ imaginationi offerre taurum. Quod enim in brutis veris coloribus, corporibuſque fit, dæmones fictis, falſiſque figuris in concipientibus perficere poſſe autumat.

Qualiſcunque autem hæc opjnio *Auguſtinum* fateri brutorum figuras in utero imaginationis vi mutari poſſe evidenter oſtendit. Hæc etiam *Hieronymi*, *Pereryque*, ac *Valleſy* opinio eſt in eundem *Geneſeos* locum.

Imaginationis etiam facultas in aliis animalibus non ſemel obſervata eſt. Memorat *Isbr: de Diemerbroeck anatom: lib:* 1: *cap:* 17: *fol:* 279. ſemet cum pluribus an. 1626. Montfurti Camelum Dromada, vulgo Dromedarium, quem Herus pretio videndum exhibebat, vidiſſe. Huic autem maximo animali latæ, & rotundæ, ſed fiſſæ ungulæ, genua autem admodum craſſa, ac tumida, capitiſque humani majoris magnitudine erant: Equa forte huic facta eſt obviam, quam caballus triduo, aut quatriduo ante iniverat, quæ ſubitaneo hujus animalis ita territa fuit occurſu, ut repente retrorſum reſiliens inſidentem ruſticum in terram excuſſerit. Illa, tandem completo ingravidationis tempore, peperit pullum,

cujus

cujus totum dextrum anterius omnino Dromedarii crus referebat. Hic autem pullus poſtea equus evaſit validus, quem multis annis ſcriptor aratra, & currus cum aliis equis trahentem ſe vidiſſe affirmat.

Lycoſthenes de operibus Dei fol. 550. ex *Fincelio an.* 1555. non procul Regiomonto equum fuiſſe refert, cui thoracis, braccæque varie admodum inciſæ, viriſque tum temporis geſtari ſolitæ inſtar, cutis fuerit. Ejus figura apud *Scottum lib.* 5. *mirabil. cap.* 16. *fol.* 603. exſtat. *Avicenna*, ac *Albertus Magnus* 9. *de animalibus* pullum, cui accipitris cervix eſſet, è gallinæ ovo prodiiſſe aſſeverant, quod gallinam prætervolans hujuſmodi avis terruiſſet.

Andr: Cleyerus ſocietatis orientalis Javæ majoris protomedicus *Miſcell: Med: phyſ: curioſ. Germ. decur* 2. *an*: 5. *obſ*: 16. *fol*: 36. de ovo gallinaceo memorat, in cujus teſta ſerpentis reperta ſit imago, cujus cauſam ſubitum ſtatuit horrorem, adſtipulante etiam *Sebaſt: Scheffero Schol. præcedentis obſ: fol*: 37.

Joh: Baptiſta Porta magiæ nat: lib: 2. *cap*: 19. *fol*: 22. Si variegatos, inquit, produci cupias equos, ſtabula, locave, ubi admittuntur ad coitum equi ſimilibus ornanda erunt aulæis, harum namque colorem referunt equuli. Idem *Oppianus lib: de venatione* indicat, qui modum demonſtrat, quo diſcolores comparentur colum-

lumbæ: huic adde *Aldrovandum Ornithol. lib*: 14. *cap*: 1. *de monſtris f.* 225. *Iſidorum lib.* 12. *Origin*: *cap.* 1. *Cœlius Rhodiginus lib*: 20. *cap*: 14. aliique in animalibus alba naſci ex genitoribus alba imaginantibus produnt, ſicuti de pavonibus refertur. Sed ipſum id in equarum quoque gregibus in Hiſpania factitatum legit Rhodiginus, quod Jacobus Hæbræus fecit.

Celeberrimus *Simon Vireſius magno Theatro Hiſtorico part*: 2. *fol*: 575. variegata producta fuiſſe animalia uſu conſtare ſcribit, loco, ubi parentes coïturi eſſent, albis, nigriſque, tigriumve maculis, aut pomorum, ceraſorumque coloribus diſtinctis velis contecto. *Joh*: *Baptiſta Porta* eodem libro, quo pacto hirſuti canes, albæque ſues, nec non candida comparari queant pecora, docet.

Quandoquidem ergo humani fœtus prægnantium imaginatione varia admodum ſigna, impreſſioneſque, ac figuras recipere poſſunt, quid ni & in brutorum fœtibus (ſiquidem hæc non omnino imaginatione deſtituuntur) ſimile quid interdum conſpiciatur?

Jacobi Hæbræi autem ovium maculas divinâ quadam ortas providentiâ nonnulli dicent.

Ioh: *de Mey Phyſiolog*: *ſacr*: *cap*: 28. *fol*: 71. Probabile, inquit, eſt, naturalem fuiſſe hunc effectum: intenſiſſimum enim obtutum in aliquam rem cum vehementi ejus imaginatione in ip-

ipſo ardore coëuntium, atque in articulo conceptionis, valere plurimum ad varie colorandum, & afficiendum conceptum, ad ſimilitudinem nempe illius rei, quæ tunc viſa, & cogitata fuerit, multis auctoritatibus, & certiſſimis conſtat experimentis. Ars igitur, qua *Iacobus* uſus eſt, naturalis dici poteſt, ut effectus, qui conſequutus eſt, naturalis etiam fuit; verum huic *Iacobi* artificio Deus ita benedixit, ut prorſus ex voto ſucceſſerit, quod ſuſceperat. Ubi ſingularis etiam poteſt obſervari divinæ providentiæ adminiſtratio, quia cauſa illa non eſt adeo efficax, & neceſſaria, quin ſæpe fallat; cum ſit cauſa partialis, quæ à fortiori ſæpe vinci poteſt. Quod etiam nunc experiuntur, qui eadem arte conantur canes, aves, aliaque animalia variis coloribus diſtincta procurare, quos ſæpe deſtituit ſpes, etſi omnem moverint lapidem. Statuendum igitur videtur, ita pergit idem, Deum peculiari ſuo concurſu, ut benediceret *Iacobo*, atque eum ditaret, applicuiſſe phantaſiam ad hanc verſicolorem virgarum imaginationem, & ita cauſas ſecundas moviſſe, ut in effectu producendo nihil impediret, quo minus omnia ſecundum *Iacobi* procederent intentionem.

Hæc de *Baſiliſco* ex annoſi galli ovo productione; nunc an è ſerpente proveniat, videamus.

Hoc autem ſerpentum genus non tantum,

an

an exiſtat, ſed etiam an unquam extiterit, dubitatur.

Galenus lib: 10. *de ſimpl*: *medicam*: *facult*: *fol*: *mihi* 72. ſe nunquam beſtiam, ſeu feram regiam, quam vocant *Baſiliſcum*, vidiſſe ſcribit: &, ſi vera ſunt, inquit, quæ de hac referuntur, periculoſum etiam eſt vel prope ad illam accedere.

Eadem ſcribunt *Cardanus de venenis lib.* 1. *cap*. 16. & *Andr. Matthiolus comm. ad Dioſcorid*: *lib*. 6. *cap. ult*.

Rhaſes accuratus rerum novarum indagator, aliique, qui in Africa degerunt, in qua regione, ut tradit *Avicenna lib*. 4. *fen*. 7. *tr*. 4. *cap*. 22, *Solinuſque cap*. 40. & *Ælianus* 3. *animal*. ortus eſt *Baſiliſcus*, nullam illius mentionem faciunt; quamvis autem nonnulli ejus meminerint, non male tamen indicaſſe videtur *Hermolaus Barbarus*, qui *lib*. 2. *Coroll. in Dioſcorid. cap*. 219 Arabes, ac præcipue quidem *Avicennam* deſcriptis ſerpentibus non paucos commiſiſſe errores, incertoſque admodum plurima perperam non abſque mendaciorum nævis ſtatuiſſe aſſerit.

P. Bellonius, qui in Orientalibus diutius vixit regionibus, multa quidem de venenatis animalibus obſervavit, nuſpiam tamen *Baſiliſci* meminit. Hic equidem *obſervationibus ſingularibus*, & *memorab. rerum. lib*. 2. *cap*. 73. *pag*. 132. ubi

de ſerpentibus agit, alatos dari teſtatur Dracones; hiſce autem *Baſiliſci* minime tribuuntur qualitates.

Bochartus de Animal. S. Script. part. 2. cap. 10. *p.* 404. ubi de vero Baſiliſco, qui ſerpens eſt infeſtiſſimus, agit, quem ego, utut de hujus forma, viribuſque non ita inter omnes conveniat, dari cum viris maximis crediderim, *abſit*, inquit, *igitur à nobis, ut alas addamus tali monſtro, quod vel ſola reputatione tam eſt terribile.*

Sed nec noſtris temporibus ullus unquam viſus eſt talis, qualem deſcripſere Veteres, nec ullibi terrarum reperitur *Baſiliſcus.*

Recentiorum tamen nonnulli hiſtorias quaſdam de eo lectoribus obtrudere geſtiunt.

Refert *Platina de vitis Pontificum* de *Baſiliſco*, cujus veneno Romæ ſub fornice quodam prope ſanctæ *Luciæ* templum degentis tota infecta fuerit urbs, quique *Leonis IV. Pontificis Max.* precibus, memorante *Scaligero exercitat.* 546. §. 4. extinctus fuerit. Verum, quia nec *Platina*, nec *Scaliger* figuram ejus expreſſit, anne ibidem venenatus ſerpens, an aliud quoddam latuerit monſtrum, aſſeri non poteſt. Neque enim letalem dari Baſiliſcum, ſed animal quoddam pro eo habitum fuiſſe hæc probant teſtimonia. Idem de ſerpente, cujus cadaver ſe inter *Cæſaris Maximiliani* theſauros vidiſſe refert

fert *H. Mercurialis de venenis lib.* 1. *cap.* 21, ac de *Baſiliſco* ſylveſtri dicendum eſt, quem *Chriſtoph. Encelius lib*: 3. *de re metalli cap.* 54. à Paſtore quodam acutâ ſecuri occiſum ſe vidiſſe tradit: Nam nec *Encelius* forte, nec Paſtor *Baſiliſcum* novit, quod vel hinc patet, quia neuter eminentiarum quarundam capitis mentionem fecit, quas haud dubie non minus obſervaſſent, quam alii, modo verus fuiſſet *Baſiliſcus.* Quod ſi etiam Paſtor hunc ſerpentem ranas, vermeſque comedentem vidiſſet, ut ſibi ab hoc narratum ait *Encelius* teſte *Nierenbergio lib.* 6. *cap.* 20. non adeo funeſtus fuit, ut fingitur, cum aſpectu non necaret: Quare etiam *Nierenbergius*, an *Baſiliſcus* Afer fuerit, dubitat.

Rarum admodum exemplum refert *Joh. Pincierius* Medicinæ Profeſſor Marpurgenſis *lib*: 3. *Ænigm*: 22: quod à D. *Moſano* Archiepiſcopo Caſalenſi ſe accepiſſe dicit. Narrat enim *Baſiliſcum* Warſaviæ an. 1587. extitiſſe, qui adultam magnitudine æquans gallinam caput, quod tanquam galli Indici fuerit criſtâ, veluti coronâ inſigne, flavoque, ac cœruleo diſtinctum colore extulerit. Oculi ei erant, quales bufonis, corpuſque alis præditum, miriſque variegatum coloribus, qui flavi imprimis, cœruleique, ac rubri, vel etiam virides apparebant. Longis ille flaveſcentibuſque gallo ſimilis inceſſerat pe-

dibus, poſt quos duo, quales bufonibus ſunt, conſpiciebantur. Incurvata denique ei, erectaque erat cauda, cujus ſuperior pars maculis notata erat, flaveſcebat autem inferior, extremitate bufonis colorem referente. *Joh.* quidam *Jaurerus* è Sileſia oriundus monſtrum hoc libertatis ſpe ex antro educturus ſpeculis quorundam conſilium ſecutus ſe totum cinxit, unde *Baſiliſcus*, formâ ſuâ conſpectâ, extinctus fuerit.

Hæc autem ita quidem traduntur, ſed plus mererentur fidei, ſi oculatum ſe dixiſſet teſtem *Moſanus*.

Tacent etiam hac de re omnia temporis illius hiſtoriarum monumenta.

Sed nec in ſubterraneis antris, in quæ demiſſi homines illico intereunt, ſuffocanturve, Baſiliſci latere dicendi ſunt, qui toxico necent. Vapores enim maligni antra implentes vitam homini quam citiſſime eripere valent, cujuſmodi exemplorum vetuſtas plena eſt, ac cauſa innoteſcit. Qua de re legatur *Lycoſthenes tract. de operibus Dei*, nec non *Licetus*, qui referunt è ſepulchris, quæ diutius occluſa fuerant, apertis erumpentes plurimos ſtrangulaſſe vapores.

De venenato quodam puteo in oppidulo, *Tilliers* non procul Vernolio Normanniæ *Simon Vireſius pag.* 2. *fol.* 202. agit.

Seneca quæſt. naturalibus multarum Italiæ viarum antra venenoſum exhalare vaporem, quo inſpi-

ſpirato homines, brutaque extincti fuerint, teſtatur, ita ut & aves eo tactæ deciderint mortuæ.

Plura apud *Fontanum analect. obſ.* 22. ac *Marcell. Donatum lib* 2. *hiſt. med. mirab. cap.* 6. extant. Quin etiam ſulphureum carbonum extinctorum vaporem pulmonum vias omnino occludere, hominemque ſubito ſuffocare videmus.

Quamvis autem vel mille homines, ut retulit *Moſanus*, *Baſiliſcum* illum viderint, unjus tamen tantum adducitur, Teſſerarii videlicet teſtimonium, qui prædæ precium haud dubie in caſtris meljus, quam naturalium rerum diſtinguere novit formas.

Egregium, ſi dis placet, hac in re latet myſterium. Solus in ſpecu repertus fuit *Baſiliſcus*. Ubi autem gallus pater erat? Scilicet ille ſolus per longos viarum errores ex Africa in Europam pervenit.

Statuunt recentiores multi omnia ex ovis prodire animalia: quod & juxta Veteres in ſerpentibus verum eſt. Sacer etiam Codex *Eſajæ* 59. *v.* 5. ſerpentes, lacertoſque ex ovis produci teſtatur. An vero ovum quoddam illuc tranſlatum erat ex Africa? Sed quomodo in antro illud fovebatur? Quid ni etiam talibus in locis poſtea hujuſmodi reperta fuerunt animalia?

Unde, quæſo, animal illud nutrimentum accepit, quo ita increſceret?

Maxima autem de Baſiliſco terribiliore, alatoque, quem fictum ſtatuo, dubitandi cauſa eſt ſcribentium diſſenſus. Ita ut vel diverſas deſcripſerint animalium ſpecies, quæ uno, eodemque comprehenderint nomine, vel chymæram, aut Poëticam fictionem protulerint. Neque enim deſcriptio tantum, ſed & effectus illorum animalium immane quantum diſcrepant.

Ætius tetrab. 4. *ſerm.* 1. *cap.* 33. *fol.* 699. Baſiliſci capiti tres adſcribit eminentias, nullâ maculæ albæ mentione factâ, cujus nec *Galenus lib. de theriaca ad Piſonem* meminit, qui flavum Baſiliſcum, prominentiiſque caput decorum ſcribit.

Plinius lib. 8. *cap.* 21. illum 12. non amplius digitorum magnitudine, albaque, veluti corona, macula inſignem è Cyrenaica Africæ regione ortum ſcribit. Nec diſcrepat *Ælianus de animalibus hiſt.* 2. *cap.* 5. *fol.* 38. nec *Solinus Polyhiſt. cap.* 40. Qui, ſerpens eſt, inquit, pene ad ſemipedem longitudinis, albâ quaſi mitrula lineatus caput.

Avicenna lib. 4. *fen.* 7. *tr.* 4. *cap.* 22. eundem coronato, acutoque capite, duarumque palmarum longitudine, nec non rubris oculis, ac colore nigro-flavo eſſe ait. *Ariſtoteles lib.* 8. *hiſt. animal.* ipſum ſeſquipedem longum dicit, ut &

Lev.

Lev. Lemnius lib. 4. *de occult. nat. miraculis cap.* 12., *Grevinus lib.* 1. *de venenis cap.* 18. *p.* 86 trium illum palmarum longitudinis eſſe tradit. *Encelius* autem apud *Nierenbergium* majorem, ac valde craſſum aſſerit. Quotquot autem ejus expreſſerunt figuram, non minus diſſentiunt, ut ex *Geſnero*, *Grevino*, *Paræo*, *Aldrovando*, aliiſque liquet.

Veteres etiam pari diſcordia qualitates ejus narrarunt. *Galenus* enim *d. l.* ſolo adſpectu, halituque homines interimere, tactuque animalia cætera necare ſcribit, *Heliodorus Æthiop. lib.* 3. illum ſpiritu, viſuque omnia loca vicina inficere ſtatuit. *Eraſiſtratus* apud *Dioſcoridem* eum mordere teſtatur, ut & *Actuarins lib.* 6. *Meth. Medendi cap.* 11. Illum viſu interimere non credit *Jonſtonus*, quis enim ipſum primò vidiſſet. Tot denique de eo figmenta, fabulæque exſtant, ut riſum vix tenere queat lector.

Horum inſigniora vide apud *Albertum Magnum lib. de animalib.* Nonnulli, & inter eos *Fracaſtorius lib.* 2. *de Antipath. rer. cap.* 1. *&* 9. omnes, qui ipſum intuentur, etiamſi vel mille diſtent paſſus, mori, Arabeſque ſibilum ejus tantum audientes interire mentiuntur.

Denique *R. Selomo* apud Bochartum *d. l. pag.* 407. quemvis ſerpentem, poſtquam 70. annos vixit, Baſiliſcum fieri, & tunc obturare

aurem, ne incantationes audiat, nugatur.

Ideoque non immerito *Cardanus*, ſi omnes, qui *Baſiliſcum* viderant, vel audiverant, obiiſſent, neminem unquam vidiſſe ſe *Baſiliſcum* referre potuiſſe ſtatuit.

Meminit *Plinius lib.* 8. *cap.* 21. Equitis, qui equo inſidens haſta *Baſiliſcum* interfecerat, quemque veneni vis per haſtam penetrans non tantum necaverit, ſed & ipſum neci dederit equum. Similia habet *Avicenna d. lib.* 1. *Ælianus loco adſcripto* illico extingui tradit homines baculum manu gerentes, quem *Baſiliſcus* forte mordet.

Solinus d. cap. 40. Nec hominis, inquit, tantum, vel aliorum animantium exitiis datus, ſed terræ quoque ipſius, quam pollunt, & exurit, ubicumque ferale ſortitur receptaculum. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras, ita ut aëra nulla alitum impune tranſvolet infectum ſpiritu peſtilenti. Cum movetur media corporis parte ſerpit, media arduus eſt, & excelſus.

Quin etiam, quod magis mirere, nonnulli aliud animal *Baſiliſcum* mortuum attingens, propiuſve accedens extemplo extingui ſcribere non verentur. Quod & affirmat *Solinus*, qui ne defuncto quidem vim deeſſe ſcribit.

Quæ ſi vera ſint, quo quæſo pacto tot viri celebres *Baſiliſcum* non vivum tantum, ſed & mortuum

tuum tam accurate deſcripſerunt? Eſt enim animal non ingens, ac propius conſpiciendum.

Quomodo ille, qui ſpeculis undique munitus erat, ad *Baſiliſcum* abſque certo vitæ diſcrimine properavit? vel an reſpiratione tam diu caruit? Quidam enim extitiſſe memorantur *Baſiliſci*, qui non ſolum vicinum locum, ſed & totas, teſte *Philoſtrato vitâ Apollonii*, infecerint regiones.

Quare autem ſuo monſtrum extinguitur veneno? Hoc enim ſi certum eſt, illi etiam; qui alios afflatu necarunt (qualis erat virgo *Alexandro Magno* dono data, nec non Italus ille, quorum ſcholio ad *obſ.* 22. de eſu Aranearum mentio facta) cognato interiiſſent toxico.

Quomodo *Avicenna* rubros ei oculos, aliive flavos, aut flammeos eſſe dixiſſent?

Cur autem contra letalem *Baſiliſci* morſum remedia præſcribuntur, cum ſit inſanabile vulnus? nec quiſquam ei ita appropinquare poſſit, ut morſu lædatur? Hæc certe non ſolo adſpectu, ſed ſerpentum more, morſu videlicet, illum nocere indicant.

De remediis parti venenato Baſiliſci dente læſæ adhibendis legatur *Caſpar Bartholinus Th. fil. exercit. miſcell. p.* 50. *Dioſcorides l.* 6. *cap. ult.* atque *Eraſiſtratus* Caſtoreum prodeſſe aſſerunt.

Ætius autem *tetrab.* 4. *ſerm.* 1. *cap.* 33. quævis incaſſum applicari ſcribit medicamina; cum immedicabilem Baſiliſci morſum, ſubita morte me-

medentium conatus fruſtrante, veteres ſtatuerint.

Ita ut vero ſimile ſit omnia, quæ de Baſiliſco circumferuntur, mera eſſe figmenta, nec non monſtra, quæ nobis hodie occurrunt, non niſi artificis opus eſſe, quemadmodum *Aldrovandus, Jonſtonuſque* piſcium artificialium delineationem exhibent.

Recte itaque *Magnus Scaliger comm. in hiſt: animal: lib: 2. cap:* 8. multos formam B*aſiliſci* gallo ſimilem artificio expreſſiſſe teſtatur.

Joh: Iœniſch: ſchol: ad obſ: Vedelii miſcellan: med: phyſ: curioſ: Germ: Decur: 1. *an:* 3. *fol:* 204. Ejuſdem individui, inquit, exuvias, & hic Uratiſlaviæ menſe Majo currentis anni à nobis viſas eſſe nulli dubitamus. Affabre ſatis, & ſecundum Auctorum deſcriptiones erat formatum: verum poſſeſſor, fraude detecta, nobis faſſus eſt non eſſe B*aſiliſcum*, ſed ex certa Rajæ ſpecie per artem ſic formatum animalculum, pedes ſcilicet gallinaceos, eminentias capiti adhærentes inſerendo, alias partes reſcindendo, eo prorſus modo, quo ruſtici joci ergo gallis caſtratis calcaria pedum reſcindunt, & vertici per inciſionem prius factam criſtæ loco inſerunt, ſicque vere cornutos reddunt. Exuvias iſtas artificio quodam conjunctas, & in B*aſiliſci* formam ad Auctorum mentem, & hiſtoriam effictas fuiſſe, poſſeſſor illarum Hamburgi, & alibi ſponte faſſus eſt. Quæ cum

cum Clariſſ. *D. Vedelius* in itinere ſuo curioſo reſciviſſet, quod olim cum aliis ſubolfecerat, ne falſa pro veris obtruderentur, Amſtelodamo an. 1672. 8. Novembr. monuit D. *Salomonem Reyſelium.*

Non diſſimilem cornuti galli effigiem D. *Steph. Blankardus collect: med: phyſ: centur: 6. p:* 82. exhibet, ac p. 209. D. *Corn. Dykium* ſæpius vidiſſe refert, qui tumentem illam partem, unde calcar prodit, abſciſſæ junioris galli criſtæ infigerent loco, ubi nihilominus illud creſceret.

Hæc autem ut plus mereantur fidei, quædam è *Conradi Geſneri Nomenclatore Aquatilium pag.* 139. addam. Pharmacopolæ, inquit, & alii quidam Rajas exſiccare, & ſceleton in varias, admirabileſque vulgo figuras effingere ſolent, cum alias, tum quæ ſerpentem, aut Draconem verum præ ſe ferunt. Corpus enim inflectunt, caput, & os diſtorquent, aliaque incidunt, & circumcidunt, laterum anteriorem partem aliquouſque reſcindunt: reliquum erigunt, ut alas ſimulet, & alia pro arbitrio comminiſcuntur.

Sic olim *Thom. Bartholinus* filio *Caſpari*, tunc temporis Leydæ degenti, per literas ſignificavit ſimile quoddam artificiale corpus rajæ falſò Hafniæ pro *Baſiliſco* fuiſſe obtruſum.

Petrus Borellus hiſt. & obſerv. rarior. med. phyſ. centur. 2. *obſ.* 74. *fol.* 169 Multi, inquit, in muſeis oſtendunt *Baſiliſcos*, dracones alatos, man-

mandragoras figuram humanam referentes, quæ multos ad horum realitatem aſſeverandam monuere, licet certo ſciam arte hæc omnia parari; ſi enim exiſterent, rariora reperirentur. Vidi enim ex mure excoriato, & exſiccato Baſiliſcum confectum, ex piſce vero Raja exenterato, collo oblongato, & coronâ inciſionibus factâ fit Draco volans coronatus, qui ab aliis etiam *Baſiliſci* nomine inſignitur. Multos ejuſmodi vidi apud Italum quendam, qui iis ſibi victum quærebat, curioſi enim eas ab illo emebant; Ipſe autem oſtendit mihi modum eos conficiendi.

Denique ſi *Baſiliſcus* animal eſſet certum, in Noë etiam fuiſſet arca, rerum enim Creator *Geneſ. cap.* 6. *v.* 7. ſe deleturum omnia reptilia è terra dicit, & *v.* 19. 20. *Noachum*, ut ex ſingulis univerſæ terræ animalium ſpeciebus bina, maſculum nempe, & fœminam in arcam introducat, & *cap.* 7. *v.* 8. 9. ex omnibus univerſæ carnis animalibus bina in *Noachi* arcam ingreſſa teſtatur. *Cap.* autem 8. *v.* 19. omnes beſtias, repentes, ac volantes, vel ſuper terram ſeſe moventes ex arca egreſſas fuiſſe legimus. Horum animalium in numero *Baſiliſcus* fuerit neceſſe eſt, ſiquidem juxta communem opinionem nulla animalium ſpecies perierit, nec poſt creationem nova generata fuerit. Baſiliſcum autem in Arca fuiſſe vero ſimile non eſt, Reliqua namque interfeciſſet animalia veneno. Vel ſi fuit, viſu non

non necavit; Neque enim alias evaſiſſet ſummus cuſtos *Noachus*. Niſi forte miraculo contigiſſe quis dicat, ut nulli *Baſiliſcus* intulerit noxam, ſiquidem ex diluvii Hiſtoria quævis animalia ſolitas in arca exercuiſſe operationes, nec non naturali, ac cujuſque naturæ conveniente vixiſſe conſtet alimento.

Nec cuivis, opinor, uſque adeo perſpicuum erit, cur Veteres hoc animal, de cujus indole valde dubitatur, tam varie deſcripſerint.

Ne tamen omnis in ipſos coniiciatur culpa, ſciendum eſt, hieroglyphicam eorum in ſcriptis latere veritatem, qua ingratus, ac malignus exprimitur homo. Eſt enim illis *Baſiliſcus* quoddam uſus non exigui emblema.

W. Franzius de hiſtor. animal. ſacra part. 4. *cap.* 5. *fol.* 529. Etſi, inquit, hoc animal quoque eſt imago Diaboli, cujus tanta eſt pernicies, ut ſeducantur, qui non tantum converſantur cum ipſis diabolis, tamen commode referri poteſt ad maleficos. Sicut igitur halitu interficit *Baſiliſcus*, ita malefici voce calumniante plurimis nocent.

Nonnulli, ut eum exiſtere oſtendant, urbi Baſileæ à *Baſiliſco* nomen obtigiſſe ſtatuunt, qui ibidem loci ſub ponte quodam repertus ſit. Hæc autem à plurimis exploſa eſt opinio, quam nullâ niti ratione *Munſterus lib.* 3. *Coſmographiæ* ſcribit.

Varia

Varia equidem de nominis iſtius origine proferuntur. Nonnulli enim illud à Rheni trajectu ortum tradunt, unde *Paſſilea* vernacule, ſive *Paſſil*, teſte *Beato Rhenano*, dicta ſit urbs.

Ejuſdem quoque *Ammianus Marcellinus lib. hiſt.* 30. meminit, Baſiliamque vocat, alii autem *Baſileam* dicunt, ac ſi regia ſignificetur urbs. Quidam à *Baſilina Cæſaris Iuliani* Matre dictam putant. A quibus diverſi *Baſilio* præcipuo quodam Romano deberi originem ſtatuunt. A *Baſilicâ* nonnulli, ſive Templo ab *Auguſta*, ſive *Augſt*, illuc translato proveniſſe autumant. *P: Cluverius* denique *Germaniæ antiq. lib.* 2: *cap*: 5: *fol*: 22: à magna quadam quercu deo cuidam *Baſil* ſacra, atque Imperatoris *Valentiniani* tempore, qui *Baſileam* an. Chriſti 374. condidiſſe fertur, ſuperſtite denominatam memorat urbem.

Quid autem S. Scripturæ locis adeo clare de B*aſiliſco* agentibus fiet;

Certum utique eſt, quoties in hac illius fit mentio, regiam quandam, malignamque admodum ſerpentis, qui ſummâ veneni alios ſuperet vehementiâ, intelligi ſpeciem, qua hominum vitia, malignique notantur animi. Ita cape *Proverb. cap.* 23. *v.* 32. *Velut ſerpens mordebit, & velut tſiphoni* (quidam vertunt B*aſiliſcus*) *punget*; nec non *Ieremiam cap.* 8. *v.* 17. *Immittam in eos ſerpentes, & Baſiliſcos in quos nulla eſt incantatio, & mordebunt vos, ait Domi-*

minus. Per hoſce Aſſyrii commode intelligi poſſe ſunt.

Legimus & *Eſajæ cap.* 11. *v.* 8. *oblectabit ſe lactens infans ſuper foramen aſpidis*; *& ſuper cavernam*, *tſiphonis* (nonnullis *Baſiliſci*) *qui nuper ablactatus eſt*, *manum mittet*. Præcedente *v.* 6. Eccleſiæ prædicitur pax ſubita gentium ad Chriſtianiſmum converſione futura.

Deinde Orthodoxorum, paganorumque cohabitatio, veræque Eccleſiæ ab hæreticis portenditur ſeparatio, quorum doctrinam veluti veneno quodam infectam Baſiliſcus ſignificat: qui ſerpens longe peſſimus Antichriſti quædam eſt effigies. Aſpidis autem antrum hujus ſedem, templa, & cætus notat. Lactens ille puer veritatis ſunt Doctores (quamvis *Pſ.* 8. *v.* 2. ita etiam vocentur Apoſtoli) qui variis ac præſertim reformationis temporibus Antichriſto ſe oppoſuerunt. Per delectationen ſuper aſpidis cavernam, manumque in eam immiſſam pugna verorum Paſtorum contra Romani Pontificis tyrannidem, eorumque ſignificatur victoria.

Præterea *Eſaiæ c.* 14. *v.* 29. *Ne læteris Palæſtina tota*, *quod confracta ſit virga percutientis te*, *nam è radice ſerpentis exit Baſiliſcus*. Hunc locum *B. Hieronymus* de *Ozia* agere ſcribit, qui ſerpentis inſtar Palæſtinos pupugerat. Ejus enim de ſtirpe alius ſerpens, *Ezechias* ſcilicet. gravior, infeſtiorque, ac veluti Baſiliſcus, prodit.

dit. Atque iſta quidem egregie ita exponuntur, quamvis & de Meſſia hic ſermonem eſſe hieroglyphicum ſuſpicari liceat. Vide ſis viri excellentiſſ. *Sam: Bocharti Hierozoicon.*, ſive *de Animal. S. Scripturæ part.* 2. *cap.* 10. *pag*: 405., *&* 406. quod eſt omnigena eruditione, atque doctrina locupletiſſimum opus. Denique *Cap.* 59. *v.* 5. ejuſdem: *Ova* Baſiliſci *excludunt*, *&c. qui comedit de ovis eorum*, *morietur*: *& ſi quis ea conterat*, *erumpet vipera.* Ova hæc ſunt crimina, & ſcelera, quæ cogitatione concepta per opera excluduntur. Plura *Bochartus* d.l. Sed iſta hujus non ſunt fori.

Quare verum quidem ſerpentem exiſtere, qui *Baſiliſcus* vocetur, cum tantis viris, atque ipſo Sacro Codice teſte, qui à figmentis non mutuatur ſimilitudines, exiſtimaverim. Illum autem omnium longe peſſimum nemo ignorare poteſt. Ita enim *Lucanus lib.* 9. *Pharſal.*

Sibilaque effundens cunctas terrentia peſtes,
Ante venena nocens latè ſibi ſubmovet omne
Vulgus, & in vacuâ regnat Baſiliſcus arenâ.

Verum quicquid de illo ſupra modum traditur, damnandum cenſeo. Alas itaque, funeſtumque ſibilum, atque adſpectum (non tamen halitum) nugis deberi, quæque interdum hiſce in regionibus circumferuntur, cadavera ex aliis animalibus arte efficta aſſero.

F I N I S.

INDEX RERUM,

Quæſtionumque Tomi hujus ſecundi.

Circa capitis vulnerum, utcunque levium, prognoſtica valde circumſpectum decet eſſe Medicum. pag. 1
An capitis vulnus cum pericranii contuſione minime letale ſit? p. 3
Exempla quorundam, qui, capite pugno cæſo, ſine ullo externo vulnere obiêre. p. 6
Capitis vulnera leviter inflicta, ſegniterque tractata letalia evadunt. p. 7
Graviſſima vulnera cum ipſa etiam cerebri ſubſtantiæ deperditione ab expertis Chirurgis curata. p. 8
Cur contuſio, vulnuſque pericranii Medico ſint ſuſpecta? p. 8
Num caput vulneratis poſt diem quadrageſimum reſpectu iſtius vulneris nihil ſit timendum? p. 9
In omni capitis contuſione quam gravia comitantur ſymptomata, non ſtatim ad cutis apertionem, craniive terebrationem recurrendum. p. 13
Unde fiat, ut quiſquam, vulnerato capite, ſanguinem non ſolum per os evomat, ſed & poſtea per alvum ejiciat? p. 20. &c.
Unde quibuſdam abſceſſus in hepate à capitis gravi vulnere oriatur? p. 22. &c.
Quibus oſſis ſyncipitis cavitas ſupra palpebras magna, quibus parva ſit, nec non quibus plane deſit? p. 30. 31
Quis ſit hujus cavitatis uſus? p. 32. &c.
Paralyſes inveteratæ irâ, terroreve ſubito ſublatæ. p. 39
Muti continuo vocales. p. 41. &c.
Quænam ſit cauſa, quod paralyticis motus, mutiſque ſu-

ſubito reſtituatur vox? p. 40. 43.
Viſus longo tempore deficiens fœminæ feliciter poſt longam à cibo abſtinentiam reſtitutus. p. 44
Utrum ſternutatio levis epilepſia dici queat? p. 45
Sternutationis cauſæ variæ. p. 46. &c
Sternutationes interdum ſalutares, interdum vero noxiæ. p. 48
Unde orta ſternutantibus bene precandi conſuetudo? p. 50
Superſtitioſum olim hujus conſuetudinis initium. p. 50
Cur epilepſia Græcis morbus ſacer dictus? p. 51. 178
An perverſa ſit conſuetudo etiam hodie ſternutantibus bene precari? p. 52
Teſtium cum plurimis aliis corporis partibus, imprimis cum cerebro, & nervis valde magna ſympathia. p. 56
Damna quamplurima, imo mors ſubitanea ex immodico veneris uſu. p. 57
Membranæ naſum intus cingentis magna cum meningibus cerebri affinitas. p. 60
Anne humor aqueus poſt inflictum vulnus egreſſus ita reſtitui poſſit, ut viſus recuperetur? p. 65
Cur oculorum alterutro læſo, uterque curandi gratiâ ſit occludendus? p. 68
Utrum medicamentis humores è læſis oculis egreſſi reſtituantur? Ibid.
Sciverintne veteres reſtitutionem humorum in oculis? p. 69
Quo pacto humorum reſtitutio in oculis fiat? p. 70
Quo temporis ſpatio reſtituatur deperditus ille humor? p. 71
Cur medicamenta oculo humoribus orbato applicentur? Ibid.
Utrum humor è læſo oculo effluens ſit excrementitius?

tius? p. 73
Anne & ipſe reſtitui poſſit humor oculi cryſtallinus? p. 75
Exophthalmia non ſolum à cauſis externis, ſed & internis oritur. p. 79
Cur oculo multum propendente nervi optici non fiat ruptio? p. 83
Utrum cucurbitulæ nuchæ appoſitæ oculum procidentem juvent? p. 84
Hippoſne palpebrarum, an oculorum ſit vitium? p. 89
Inſecta in aures irrumpentia gravium ſymptomatum, imo interdum mortis cauſa, p. 93
Inſtrumenta, & medicamenta inſectis educendis, necandiſque idonea. p. 99. 100
Non omnis tortura oris ſpaſmus eſt Cynicus. p. 103
Unde illa plerumque oris diſtorſio? Ibid.
Inter tumores lividos, pravaque labiorum ulcera, & cancrum diſtinguendum eſt. p. 107
Hydrocephali humor variis colligitur capitis locis. p. 110
A partibuſne externis ille ad ventriculos, an vice verſa derivetur? p. 112
Utrum embryoni proveniat Hydrocephalus? p. 113. 117. 124
Cur hic humor cerebri ventriculos occupans apoplexiam non producat? p. 114
Quænam ſit hydrocephali cauſa. p. 116. 121.
Hydrocephalus puerorum morbus rariſſime in iis, quibus cranium omnino clauditur, exoritur. p. 118
Cur magis affectus ille in Infantibus, quam adultis obſervetur? p. 119
Anne & in brutis reperiantur hydrocephali? Ibid.
Quo pacto liquor ille in cerebri perveniat cavitates? p. 121

Quo pacto hydrochephalus oriatur externus? p. 122
Unde contingat, ut, ligata cani vena jugulari, omnes ſupraſiti muſculi, & glandulæ liquido, pellucidoque repleantur ſero? p. 123
Quomodo generetur hydrocephalus internus? Ibid.
Sæpe in hydrocephalo laborantium plexu choroïdeo glandulæ aquâ tumidæ, hydatideſque repertæ. p. 125
An in cerebro vaſcula dentur lymphatica? p. 126
Cur infimæ corporis partes hydrocephalo laborantibus macilentæ fiant? p. 127
An hydrocephali liquor ſucco conſtet nutritio? p. 128
Cur puer, de quo obſervavi, cæcus evaſerit? Ibid.
Utrum curationem admittat hydrocephalus? p. 129
An idem ſit incidendus? p. 131
Utrum quiſquam abſque nutrimento ultra VII. dies vivere queat? p. 147
Exempla eorum, qui diutius abſque alimentis ſuperfuere? p. 148
Utrum Dei hæc fuerint miracula, an veneficia, arteſve diabolicæ, aut impoſturæ, fallaciæve? p. 151
Quidnam appetitum imminuat, vel omnino auferat? p. 159
Num particulæ quædam corporis diſſolutæ, quales ſunt pingues, nec non medulla, viſcida pituita, &c. inediæ tempore alimentum præbeant? p. 162
An tabaco aliquamdiu vita ſuſtentari poſſit? p. 163
Quam ob rationem fames per aliquot dies ſedetur globo plumbeo in ore detento, volutatoque? p. 165
Diuturniores ſunt ciborum abſtinentiæ ægrotis, quam ſanis, robuſtiſque. p. 165
Unde multa animalia, & inſecta tota hyeme abſque alimento vivant? p. 169
Cur pueris familiarior ſit epilepſia, quam adultis?

ſit? p. 175
Cur olim hic morbus lunaticus dictus ſit? Ibid.
Unde quibusdam cachecticis materia nigra tam per os, quam per alvum ejiciatur? p. 186
Per quam viam ad ventriculum perveniat? p. 189
An per vaſa brevia communio detur ventriculo cum liene? Ibid.
Cum rami vaſorum brevium terminentur inter tunicas ventriculi, quî ſanguis in ejus cavum effluat? p. 194
Cur vas breve venoſum iis, qui vomitu ſanguinis obierunt, uſque adeo intumeſcat? p. 195
Per quas vias menſtruus per vomitum ejectus ſanguis quibuſdam mulieribus ad ventriculum pervenerit? p. 199
Cur ejuſmodi ſanguinis vomitus innuptis magis contingat, quam maritatis? Ibid.
Per quam viam glans plumbea deglutita in veſicam tranſierit? p. 202
Non per lactea, lymphaticave vaſa. p. 203
Scriptoris opinio. Ibid.
Acicula ureteri alteri inhærens reperta. p. 206
Dantur in veſica urinaria pori foras ſpectantes, & contra. p. 207
De duris quibusdam, ſolidiſque corporibus caſu deglutitis, poſteaque per urinarias vias excretis. p. 210
De mollioribus devoratis, quæ immutata cum urina exiere. p. 212
An Iliaco morbo afflictis glans plumbea, vel aurea prebenda? p. 214
Mutui inteſtinorum ingreſſus exempla. p. 216
Utrum hoc caſu Mercurius ſit propinandus? p. 217
Quænam ante ejus exhibitionem ſint obſervanda Medico? p. 218
Exempla eorum, qui hydrargyrum magnâ, abſque noxa,

noxa, ſumpſere copiâ. Ibid.
An philtris amor conciliari, vel aboleri poſſit? p. 222
Quid ſit Hippomanes? p. 223
Variorum exempla, quibus pro philtro menſtruus ſanguis fuerit exhibitus. p. 224
De ſymptomatibus poſt ejus aſſumtionem obortis. Ibid.
Sitne ſanguis menſtruus venenatus? p. 227
Utrum ejus uſu interno menſtrua obſtructa promoveri poſſint? p. 229
Anne vi fermentativa polleat? Ibid.
Unde hæc ei virtus? p. 230
Quænam ſit menſtrui fluxus cauſa? Ibid.
Quænam ſit ardoris, furoriſque animalium cauſa? p. 231
Utrum plethora vera ſit menſtrui fluxus cauſa? p. 232
Cur non uno, eodemque tempore mulieribus manet menſtruus cruor? p. 233
Quam ob cauſam prægnantes menſtruo plerumque non laborent fluxu? Ibid.
Cur quamplurima bruta menſtruis careant? p. 234
Inſignis fermentandi vis ſemini maſculino ineſt. p. 235
De piloſis globis in ventriculis quorundam animalium repertis. p. 237
In quadrupedum ventriculis duplex reperitur globorum genus, alterum omnino piloſum. p. 238
E filis intertextis herbarum, plantarumque fibrillis alterum. p. 240
Quomodo illi proveniant? p. 241
De corporibus quibuſdam duris, anguloſiſque acumine inteſtina perforantibus. p. 244
De inſectis devoratis. p. 248
Quantum valeat in aſſumendis tam nutrimentis, quam medicamentis conſuetudo. p. 250

Diuturnior ciborum flatulentorum uſus noxius. p. 255
Non omnia cordis vulnera letalia. p. 258
Utrum in hominum inteſtinis plurimæ reperiantur glandulæ ? p. 260
Utrum inteſtinorum, & præſertim tenuium, ſanabilia ſint vulnera ? p. 266
Quomodo intelligendus Aph. Hipp. 18. & 26. ſect. 6. p. 169
Immedicabile videtur Inteſtinorum tenuium vulnus, ſiquidem chyli, fœcumque portio ex iis in cavitatem abdominis deſcendat, ibique putreſcat. p. 271
Varia exeſionis ventriculi exempla. p. 275
Quid per ἔγκαυσιν Galeni intelligendum ? p. 277
Quibus remediis ardori ventriculi ſuccurratur. Ibid.
Dantur peculiares lymphæ collectiones in pluribus corporis partibus. p. 288
Utrum aſcites abſque ulla viſcerum læſione detur ? p. 295
Hydatides in cavitate abdominis. Ibid.
Eædem per alvum ejectæ. p. 296
An illæ interdum in ſteatomata, atheromata, &c. tractu temporis mutentur ? p. 298
Quænam hydropis, de quo obſervavimus, cauſa fuerit ? p. 305
Utrum à vaſculorum lymphaticorum ruptione orta ſit ? p. 306
Unde color rubicundus aquæ intra peritonæi duplicaturam contentæ ? Ibid.
An & bruta hydropi ſint obnoxia ? p. 308
Utrum vermes in quibuſvis produci poſſint corporis partibus ? p. 312
An gravidarum uterus increſcente fœtu craſſior fiat ? p. 317
Quænam ſit cauſa rupturæ gravidi uteri ? p. 316
Illæſa matrice fœtus in cavo abdominis repertus. 320

Quo pacto id fieri potuerit? p. 321
Fœtus mortuus per umbilicum, ſuppuratione facta, matre ſuperſtite exiens. p. 322
Cur mulieres quædam abſque ſanitatis detrimento fluxu menſtruo careant? p. 324
An præter vaſa umbilicalia alia detur via, per quam fœtus in utero nutriatur, reſpiretque? p. 331
Argumenta fœtum per os nutriri probantia. Ibid.
Epiglottis laryngis rimulæ embryonibus naturaliter eſt agglutinata. p. 333
Fœtum nutrimentum in utero per os admittere, præter recentiores aliquot, jam olim *Hippocrates*, *Galenus*, *Democritus*, *Epicurus*, *Plato*, *Ariſtoteles*, aliique docuere. p. 355
Unde generetur meconium? p. 340
Unde nigrum evadat? p. 341
In embryonibus non tantum humanis, ſed & brutis oculi clauſi, & ſub palpebris firmiter ſibi adhærentes occulti exiſtunt. p. 342
Labia illis ſunt à ſe invicem ſeparata. Ibid.
Linguam inter maxillas aliquo modo habent prominentem. Ibid. ut & p. 347
Occluſo, conſolidatoque umbilico in lucem prodeunt vituli. Ibid.
Utrum liquor, cui fœtus in utero innatat, nutritius, an excrementitius ſit? p. 343
Non eſt urina fœtus. Ibid.
Fœtus veſica in utero poſtremis geſtationis menſibus ſemper plena reperitur. Ibidem.
Utrum omnis in veſica colligatur, & ad partum uſque retineatur embryonibus urina? Ibid.
Imminuitur liquor, cui innatat, quo major evadit fœtus. p. 344
Reperitur & ille in omnibus, licet nec mingant, nec ſudent, animalibus. Ibid.

Sal-

Salſuſne liquor hic ſit, an acer. Ibid.
Utrum vivis carbonibus impoſitus, avolante portione humidiore, glutinoſus fiat, concreſcatque? Ibid.
Num lympha intra amnium contenta ſit ſudor fœtus? p. 346
Cur fœtus tanta lymphæ quantitate obrutus non ſuffocetur? Ibid.
Vitulis, equuliſque, antequam emittuntur in aerem, labia glanduloſo quodam corpore obſita. p. 347
Perperam hoc corpus veteres in equinis pullis Hippomanes dixere. Ibid.
Utrum equa mater, ſi quis carunculam hanc præripuerit, fœtum ad ubera non admittat? Ibid.
Caruncula hæc è multis inſtar ſpongiæ contexta eſt tubulis. p. 348
Per hos liquor membranis contentus in os vituli impellitur. Ibid.
Quo pacto hoc fiat? Ibid.
Caruncula etiam venis, arteriiſque inferne ab ore provenientibus prædita eſt. Ibid.
Cur rariſſime conſpiciatur? p. 349
Quamobrem in humanis fœtibus non reperiatur ſimile corpuſculum? p. 342. 347. 350
Quomodo obſtructo naſo, plenoque ore deglutiat, reſpiretque fœtus, cum id adultis factu perquam ſit difficile? Ibid.
An fœtus in utero omni careat aere? p. 356
Idem aliquatenus per os reſpirat. p. 352
Duplex eſt reſpiratio viſibilis, & minus viſibilis. p. 353.
Quomodo Judici conſtare poſſit, an mater fœtum interfecerit, an vero mortuus prodierit? Ibid.
Utrum liquores omnes præditi ſint corpuſculis quibuſdam aëreis? p. 354

Aëris etiam nonnihil aquæ admiſceri conſtat experimentis. p. 355
Fœtus extra uterum membranis incluſus ſine externa reſpiratione per horas aliquot vivere poteſt. Ibid.
Humorum motus in fœtu propter recens inſpirati, ac externi aëris defectum tardior eſt. p. 356
Utrum fœtus ante natalem ploret, pulluſque intra ovum pipiat? p. 357
Fœtum in utero reſpirare jam olim *Hippocrates*, *Galenuſque* docuit. p. 358
Cur umbilicalis funiculi à fœtus abdomine ſeparationem non ſequatur ſanguinis in membranis uteri profuſio? p. 359
De Italo annorum XL. qui ab ineunte ætate ſine podicis, peniſque nota vixerat. p. 363
Quænam ſit formationis monſtroſorum fœtuum cauſa? p. 370
Quomodo imaginationis maternæ operatio in fœtus tranſeat? p. 371
An imaginationis maternæ in fœtum poteſtas etiam in brutis animadvertatur? p. 379
Item Schol. Obſ. 50. p. 489
De nævorum uterinorum varietate. p. 380
Utrùm nævi, qui figuram fructuum referunt, colore, quo maturi fructus, quos mater deſideraverat, eodem tempore imbuantur? p. 381
Quænam hujus phænomeni ſit cauſa? p. 383
Quomodo hi nævi tollendi? p. 384
Utrùm conducat ſaliva jejunæ matris? p. 385
Utrum nævos abſcindere fas ſit? p. 386
Quænam cautio reſcindendis adhibenda ſit? p. 387
Utrum rene à calculo obſtructo, alter omnino ſanus urinæ tranſmittendæ ſufficiat? p. 390
An lactea ſubſtantia, quæ quibuſdam cum urina excreta fuit, chylus ſit? p. 396
Per

Per quas ille vias in veſicam perveniat? p.397
Num per vaſa lactea eò deferatur? Ibid.
An albus mulierum fluxus chyloſa ſit materia? p. 399
Quænam lacteæ urinæ ſit cauſa? p. 400
Utrum occluſa penis extremitate, urethrâque perforata liberos quis procreare poſſit? p. 404
Num mulier, ſemine virili in vulvam non intromiſſo, concipere queat? p. 405
Vtrum clauſo hymene virgo imprægnari poſſit? p.407
Quænam remedia tollendis urethræ excreſcentiis conveniant? p. 411
Num acria & corroſiva hiſce adhibere liceat? p. 412
Vtrum poſt irritum medicamentorum uſum ferro, vel igne tollendæ ſint? p. 416
Variæ ſunt cauſæ, quæ virum, etiamſi genitalibus gaudeat partibus, ſuboli procreandæ minus reddant idoneum. p. 417
Vrum venæ-ſectio pone aures, ut ſentit *Hippocrates*, tarditatis in actu venereo cauſa eſſe poſſit? Ibid.
Num frigida, cum extrinſecus admota, tum intrinſecus aſſumpta genitalium adferant debilitatem? 418
Vtrum opium, cicuta, mandragora, &c. veneris imminuant, auferantque deſiderium? Ibid.
Opiumne ſit papaveris, an alterius herbæ ſuccus? 420
An opium calidarum ſit partium? p. 421
Vtrum nervis noceat? p. 422
Varios pro utentium temperiebus, aliiſque circumſtantiis, haud ſecus ac vinum, producit effectus. Ibid.
Vnde papaver fœcundum dicatur. p. 423
Cur ille, de quo obſervatio noſtra, ſomni tempore veneris prælio ſtrenuus ſibi viſus, vigil autem ad pugnam plane ineptus fuerit miles? Ibid.
Exempla eorum, qui ſera in ſenecta variolis correpti fuerint. p. 425
Fœtus variolis laborantes in lucem editi. p. 426

Vtrum

Vtrum variolæ menſtrui ſanguinis contagio fœtui impreſſo proveniant? Ibid.
Monſtretne Vet. Teſtam. ſanguinem menſtruum malignitatis participem eſſe? p. 427
Cuinam cauſæ hujus ſeculi doctiores latentis tot annis in corpore humano materiæ malignæ moram adſcribant? p. 428
Vtrum ab aſtris contagioſus, malignuſque manans æther ad variolas producendas faciat? p. 429
Pro variis cœli tempeſtatibus, ætheriſque conſtitutione magis benignæ, vel malignæ ſunt variolæ. p. 430
Omni corporis externarum partium ablato ſenſu, internarum tamen, quamdiu movetur membrum, integer manet ſenſus. p. 434
Vtrum amiſſo membri alicujus ſenſu deperdatur ſimul motus, & contra amiſſo motu neceſſario auferatur & ſenſus? Ibid.
Quænam privationis cutis ſenſus cauſa ſit? Ibid.
Quid per exoſtoſin intelligatur? p. 435
An omnis exoſtoſis à lue venerea proveniat? p. 436
An & bruta exoſtoſi afficiantur? p. 437
Liceatne tendines diſſectos ſuere? p. 440. & 447. &c.
Quis ſit tendo? p. 441
Cujus naturæ? p. 442
Quot modis lædatur? Ibid:
Tendinis ſciſſi extremitates callo agglutinantur in adultis, ſecus ac in pueris. Ibid:
Cur è vulneribus tendinum punctura cæca ſit peſſima? p. 443
Minus periculoſa tendinum, quam nervorum vulnera. p. 444
Rationes ſuturam tendinum improbantium. Ibid.
Reſponſiones ad illas. p. 445
Cur punctura ad conſuendum tendinem reſectum acu facta

facta non tantum producat doloris, ac ſi tendo eſſet integer? p. 446
An pars, diſſecto tendine, poſt agglutinationem ſenſu, motuque privetur? Ibid.
Vtrum prorſus abſciſſus nervus melius adnaſcatur, quam ille cujus aliqua filamenta intacta remanſere? p. 450
Num per diſciſſum tendinem interventu duri, denſique calli agglutinatum ſpiritibus ad ſenſum requiſitis detur tranſitus? Ibid.
Lymphaticorum vaſorum uſus. p. 453
Lymphaticorum vaſorum, & præcipue ſalivalium ductuum ſuperiorum vulnera ſanatu difficillima. 455
Vtrum conchæ dentur anatiferæ? p. 460
Major fermento gallorum gallinaceorum, nec non gallo-pavonum ventriculis contento, quam hominum diſſolvendi eſt vis. p. 471
Perperam ſtrutiocameli ferrum digerere dicuntur. Ib
An gallinis proſit lapillorum, aliorumque duriorum corporum deglutitio? p. 472
In uterone gallinæ, an ab aëre externo duritiem acquirat ovi teſta? p. 476
Monſtra in ovis reperta. p. 477
De animalibus, quæ fœtus prægnantes produxere. 478
De mulieribus, quæ fœtus gravidos peperere. Ibid.
Vnde Baſiliſci denominatio? p. 481
Vtrum duplex detur Baſiliſci ſpecies? p. 482
Num gallus vetus pariat ovum? Ibid. & 484
An ex galli gallinacei veteris ovo prodeat Baſiliſcus? p. 483
An ex galli ovo à bufone foto Baſil. proſiliat? Ibid.
Vtrum Baſiliſcus è quibuſvis putridis generetur rebus, atque ideo in fœtidioribus plerumque ſub terra locis degat? p. 486
An ex ovo putrido varia interdum producantur animalia? p. 487

Vtrum productiones variorum animalculorum, diverſæque figuræ ex ovis prodeuntes putrefactioni debeantur? p. 488
An gallina ſerpentem pariens à ſimili imprægnata ſit animali? Ibid.
An imaginationis vis in nonnulla etiam agat animalia? p. 489. ut & 379
Num brutis quibuſdam rationis umbra, vel quidpiam rationi analogum inſit? p. 490
An è Serpente proveniat Baſiliſcus? p. 496
Vtrum is in Africa ortum habeat? p. 497
An ſit alatus ſerpens? p. 498.
Num ullibi terrarum, qualem deſcripſere Arabes, reperiatur Baſiliſcus? Ibid.
Vtrum veræ ſint hiſtoriæ, quas de eo lectoribus obtrudere quidam nituntur? Ibid.
Vtrum in ſubterraneis antris, in quæ demiſſi homines illico intereunt, Baſiliſcus toxico necans certo lateat? p. 500
Maxima de Baſiliſco hoc terribili dubitandi cauſa ſcribentium diſſenſus. p. 502
Omnia, quæ de Baſiliſco circumferuntur, mera ſunt figmenta? p. 506
Multi formam Baſiliſci gallo ſimilem artificio expreſſere, ut varii teſtantur. p. Ibid.
Hos è Raja piſce vulgo confici ſcriptores affirmant. Ibid.
Cur veteres hoc animal, de cujus indole valde dubitatur, tam varie deſcripſerint? p. 509
Vtrum Baſileæ urbi à Baſiliſco nomen? p. 510
Varia de iſtius oppidi nominis origine. Ibid.
S. Scripturæ locorum de Baſiliſco expoſitio. p. 511
Datur verus ſerpens, cui Baſiliſco nomen, eſtque omnium longe peſſimus. p. 511

FINIS.

ERRATA.

PAg. 45. lin. 5. ſit *Solita ſternutatio ante actum venereum.* p. 51. l. 17. adivet. leg. adjuvet. pag. 82. lin. 2. preffio, leg. preſſio. p. 123. l.25. fœminis, leg. fœmininis. l.19. Ilo, leg. illo. p. 159. lin.25. orram, leg. ortam. p. 177. deleantur lineæ 13, 14, 15, 16, 17. & 18. p. 178. lin. 3. ſubjacta, leg. ſubjecta. pag. 209. Succus, leg. Suecus. pag. 250. liu. 7. aſſueverate ſui, leg. aſſueverat eſui. pag. 281. lin. 10. orto, leg. ortæ. pag. 290. lin. 7. uſum, leg. uſu. pag. 293. lin. 6. largi. leg. largâ. pag. 301. lin. 5. adhitorum, leg. adhibitorum, pag. 313. lin. 3. reperi, leg. reperiri. p. 349. lin. 18. Dc. leg. De. pag. 362. lin. 2. geſſit, leg. egeſſit. p. 374. lin. 5. humoreſque, leg. humoriſque. pag. 411. lin. ult. acereſcentias. leg. excreſcentias. pag. 446. lin. 26. capta, leg. apta. pag. 461. lin. 20. aliis, leg. aliis. pag. 462. lin. 20. memoratu, leg. memoratur. p. 487. lin. 20. momimus, leg. monuimus. Plura erant, ſed iſthæc Benevoli Lectoris candori commiſſa ſunto.

ADMONITIO
AD
BIBLIOPEGUM,

In inſerendis Figuris obſervanda.

TABULA	1. - - -	pag. 63
	2. - - - -	110
	3. - - - -	239
	4. - - - -	329
	5. - - - -	347
	6. - - - -	349
	7. - - - -	362
	8. - - - -	365
	9. - - - -	369
	10. - - - -	369
	11. - - - -	376
	12. - - - -	376
	13. - - - -	403
	14. - - - -	436
	15. - - - -	459

P. STALP. VANDER WIEL
CORN. FIL. M. D.

DE NUTRITIONE FOETUS EXERCITATIO.

LUGDUNI BATAVORUM.
Apud PETRUM VANDER AA,
M. DC. LXXXVII.

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

PRopter materiæ affinitatem, quæ huic diſſertationi cum Obſervatione XXXII. eſt, tuamque in gratiam Inauguralis *D. Petri Stalpartii vander Wiel* Theſes anni 1686. menſe Auguſto Lugduni Batavorum propoſitas ad calcem adjeci, neque minus gratas fore confido.

LECTORIBUS S.

QUandoquidem omnes humanæ ſtructuræ morbi ſuos jam olim toties invenere explicatores, quænam mihi ſtudiorum prolaturo Primitias, morique recepto facturo ſatis, potiſſimum deligeretur materia, diu equidem, multumque dubitavi. Quota enim quæque eſt Academia, cui non recocta ſæpius obtrudatur crambe? Dum verò hyeme proximâ ſecundinis humanis purgandis, atque ad ceræ injectionem per ſiphonem præparandis incumberem ſedulò, novæ quidpiam rei, nec ullis, quod ſciam, etiamnum cognitæ videre contigit, quod uſque adeò me permovit, ut, exploſis veterum de venæ umbilicalis uſu commentis, minimè eorum de fœtus in utero productione, incrementis, ac nutritione opinionem amplexus ulteriorem hujus rei inſtituerim indagationem: Incenſum autem animum porrò inflammabat jam diu mihi nata hujuſce rei quàm accuratiſſimè pernoſcendæ cupido. Atque ita, dum ſingula penitius intueri geſtio, & nonnunquam non inutilia fortè annoto, crevere in juſti libelli (qualem diſputaturi pro more edunt) molem mea qualiacunque hæc obſervata. Atque

hæc quidem eſt opinionis noſtræ de Nutritione fœtus in utero *ſcripto publico divulgandæ occaſio. Tantum autem abeſt, ut quenquam his offendi velim, ut omnium contrà, quotquot hiſce meliora edocti ſunt, quibus mea ſubmitto, ad ulterius perveniendum opem implorem. Dabitur tamen, opinor, prolixius hæc noſtra demonſtrandi occaſio. Sed pergite, ſultis, en parturio.*

DE

DE
NUTRITIONE FOETUS
EXERCITATIO.

§. 1.

QUantum itaque ad rem. Fœtum ego non tantum pingui, reſinoſâve ali materiâ, ſed & hanc *per os tantum*, minimè verò *per venam umbilicalem cum ſanguine materno* admitti ſuppono. Ut autem hanc materiam ab ovo aggrediar, tribus, quod ajunt, verbis ejuſdem in uterum receptionem, ut tantò facilior ad ulteriora pateat tranſitus, proponam.

§. 2. Mutuo igitur congreſſu mare fermentum genitale æſtu venereo cum impetu in uteri vaginam ejaculante, ſubtilior ejus portio, quâ data via, abit, partim ſc. cum vaſorum ſanguiducorum, copioſè tortuoſo ductu vaginæ inſertorum, tum lymphæducorum poros ingreditur, partim internum uteri orificium penetrat, quod plerumque exactè clauſum dicitur in non gravidis, verùm ſufficienter cöitus tempore aperitur titillatione virilis fermenti, quam ingens, & copioſus ſpirituum in partes vicinas, & præſertim uteri, ſequitur influxus, quo partes ejus diducuntur, illo namque uterus, tubulis brevioribus redditis, fit rotundior, undè & ejus oſculum dehiſcit, fermentumque virile arvum genitale ingreditur, quod ſimulac ingreſſum eſt, ulterius penetrat illius fungoſæ ſubſtantiæ poros, humoribuſque illic circulantibus admiſcetur, ac per vaſa lympha-

1773

tica cum ſanguine venoſo tandem ad cor deducitur, atque ita toti maſſæ ſanguineæ, circulationibus tamen nonnullis intercedentibus, permiſcetur.

§. 3. Maſſæ ſanguineæ hoc fermento impraegnatæ neceſſario etiam portio quædam lege circulationis pervenit ad teſtes muliebres, *ovaria* (& quidem rectè) dictos, & illuc delata intrat vaſa per ova horum ovariorum diſſeminata, & tandem per poros illorum particulæ quædam hujus fermenti ovi ingrediuntur ſubſtantiam, & fermentationem in eâ excitant. Nec tamen aliter, quam in Macrocoſmo per terræ ſuccos ope Mat. Pr. Elem. ſemina fæcundantur, plantæque, vel arbores evadunt, ſuppono rem ſeſe habere in noſtro Microcoſmo; & ſic etiam ova in ovariis, ut ſemina in terrâ, turgidula facta tandem extrudi, & ita carceres nimis anguſtos linquere.

§. 4. Ovum autem è veteri ſede egreſſum magis commodam occupet, neceſſe eſt, ad quam non niſi per viam admodum anguſtam pervenit, nempe per tubam Fallopianam: quo pacto autem illam ſubintret, diu fuit litigatum, & adhuc ſub judice lis eſt. Quâ de cauſâ nonnulli ignorantiam ſuam diſſimulantes qualitatibus, neſcio quibus, occultis id adſcripſere: nobis autem ad has, ignorantiæ totidem aſyla, præſertim hic recurrendum minime eſt, quoniam hoc cuivis ad ſtructuram, & ſitum tam ovarii, quam tubæ Fallopianæ, ac ad illa, quæ, dum fermento virili ſubſtantia ovi eſt infecta, & turgeſ-

cit,

cit, fiunt, rectè attendenti ſatis clarum evadet. Ovario namque ſenſim turgeſcente, neceſſe eſt, ut etiam magis, ac magis orificio dictæ tubæ appropinquet, aut vice verſâ, dum ſitus hujus tubæ ita ſe habeat, ut ejus orificium ſemper ovarium ſpectet; & quando ovarium intumeſcit, non ſolum accedit ad tubam, reſpectu illius ſpatii, quod tum magis occupat, ſed etiam, quatenus increſcit, & intumeſcit, membranam inter tubam, & ovarium intermediam, ob figuram alam veſpertilionis dictam reddit breviorem, ac proindè orificium tubæ quaſi ad ſe attrahit, undè tandem illud (utero inſuper ſpirituum, humorumque in ejus ſubſtantiam per fœminarum ex voluptate palæſtræ venereæ, ejaculationeque virilis fermenti protractam imaginationem, majore influxu nonnihil tumefacto adjuvante) ovario, vel potius ovo, jam extra ovarium, ut ſolet vulgo ſemen extra terram, propullulanti fit contiguum: quo facto data eſt occaſio, ut ovum jam jam vinculis ſuis liberandum viribus, ut ita loquar, propriis, domicilium mutet.

§. 5. Ovum dictam tubam ingreſſum ulterius pergit, & gyris iſtis, qui tubæ, tanquam totidem valvulæ, ne illud repellatur, inſerviunt, poſt idem à preſſione partium circumjacentium, magis inflexis, uti & accedente majori ſpirituum influxu, ad tubam propellitur in uteri cavitatem, non aliter, ac fæces (comparationi ſit venia)

preſſione partium, inteſtina ambientium, ac continentium, & ſpirituum in eorum fibrarum interſtitia copioſiori influxu ſecundum ductum inteſtinalem per anum in latrinam propelluntur: Atque hæc de ovi in uterum ingreſſu.

§. 6. Nunc verò inveſtigandum erit, quid ovo in uterum demiſſo ulterius accidat. Hoc autem indies increſcere nemo, opinor, negabit, nec accretionem illam â nihilo procedere ullus contendet. Demonſtrandum itaque eſt, quomodo ovum illud, quod accreſcit indies, accipiat nutrimentum, ſive materiam incrementi cauſam; hanc per materna in embryonis, ſeu ovi, vaſa ſatis liquet non immitti, quoniam tum, uti plurimi teſtantur, nondum affigitur utero, vel ſaltem non ita notabiliter, ut ſanguis fœtæ queat tranſire (uti medici, & Anatomici id poſtea fieri volunt) in ovi, ſeu embryonis vaſa: Quoniam itaque materia illa, quâ ovum accreſcere debet, prædicto modo non deponitur, perſpicua magis quærenda eſt via; eamque non aliam ſuppono, quàm poros uteri intus foras, & poros membranularum ovi foris intrò ſpectantes, per quos materia illa nutritura formâ roris, aut vaporis, tranſmittitur ad augmentationem partium futuri, aut jam embryonis.

§. 7. Ovo itaque indies creſcente, uterus neceſſario fit amplior, ut embryoni locum cedat, uti loquuntur. Hanc autem ampliationem omninò

ninò automaticam, embryoniſque incrementum unicam cauſam cenſeo: illud namque, auctis etiam liquoribus, notabiliter increſcens, quamquam ſenſim, uteri ſubſtantiam diſtendit undique, dilatatque. Quod & in ſeminibus terræ commiſſis videre eſt, quæ diſtenſa, tandem contra vim aëris elaſticam, terram elevant, & ſe plerumque extra illam attollunt plus minus, prout vel terræ fuere profundius injecta, vel illa compactior eſt, ſolutiorve: Sic etiam videmus multis fructibus, dum creſcunt, figuras quasvis artificio quodam imprimi poſſe, ſi initio, vel antequam medium magnitudinis, ad quam vulgò excreſcere ſolent, adepti ſint, vaſe, quàm quo adulti caperentur, anguſtiore, & ad lubitum intus figurato, includantur. Similiter conſtat inciſuras arborum ſenſim dilatari non providentia quadam, interno trunco locum cedente cortice, ſed ipſius trunci incluſi motu, ſuccorumque propulſione, quibus nutritur, & augeſcit dimovente corticem, ac diſtendente. Eodem plane modo increſcens quotidie embryon uterum ſenſim reddit ampliorem, placentamque, ac membranas in illius cavernulas trudit, pellitque; non ſecus ac vaſi anguſtiori intus exarato incluſi fructus partes quædam, reliquis cedere neſciis, interno motu, & ſuccorum propulſione coguntur in inæqualitatis illi imaginem quandam imprimendi gratiâ factas: Et ſic tandem,

ut hepar, lien, inteſtina cum peritonæo, pulmones cum pleurâ, &c. mutua ſuperficierum convenientiâ, nec non preſſione (velut dicta viſcera tum vulgò ex ſtagnatione humorum viſcoſorum, aut terreſtrium, mole debitâ majora exiſtunt, undè per conſequens major diſtenſio) coaleſcunt, ipſi utero placenta affigitur, eique magis, minuſve arctè accreſcit, pro internæ uteri faciei inæqualitate, illiuſve ſuperficierum cum placentâ convenientiâ.

§. 8. Atque ita quidem liquet, quo pacto placenta utero affigatur. Supereſt jam, ut breviter, ac dilucidè demonſtrem embryoni *per os tantum* nutritium infundi ſuccum: eſt enim hic præcipuus hujus ſcriptionis ſcopus. Ut aliquis autem obſervetur ordo, animus eſt oſtendere 1. *etiam per os nutriendum eſſe fœtum*. 2. *Per illud tantum nutriri*, quæ, quantum potero, ratione, experientiâ, experimentiſque dilucidabo, & confirmabo. Quantum autem ad *prius*, illud, colendi mihi Parentis *Obſervatio* XXXII, *part.* I. *cent.* 2., quæ eſt de infante abſque funiculo umbilicali edito, uti & in eandem ſcholium ſatis ſuperque demonſtrant, ideoque, dum illis circa hanc quæſtionem aſſentior, ejuſdemque ibi in plurimis ſum opinionis, eadem hîc non apponam. Sufficiet ſolum oſtendiſſe fœtum ſuccum alimentarium per os tantum ſumere, quare hîc demonſtrandorum cupidi dictam obſervationem

nem adeant. Verum, nè prorſus videar otioſus, nonnulla adducam, quæ hypotheſin hanc etiam confirment.

§. 9. Satis autem conſtat, ubicunque quædam ſit cavitas, & præſertim cujus circumferentia, laterave ſint intus mollia, ibi etiam ſemper exiſtere cauſam cavantem, materiam ſcilicet quæ cavitate illas (ut hic ſunt os, aſpera arteria, bronchia, æſophagus, ventriculus, inteſtina, vaſa lactea, &c.) & per conſequens earum latera, quæ alias ad ſe invicem accedentia (experientia id quoque comprobante) coaleſcerent, apertas teneat. Hanc autem eſſe ſtatuo illum liquorem, cui fœtus intra membranas placentæ innatat; nec, quin ille multas particulas nutrientes ſibi permixtas habeat, ullus dubito. Quotquot autem per venam umbilicalem tantum nutriri fœtum ſtatuunt, eundem nutrimentum attrahere non poſſe ajunt, quod in utero non reſpiret, & ad ſuctionem requiratur reſpiratio. At illi & eundem reſpirare ſciant, & barbarum verbum eſſe *ſuctionem*, niſi eò forte intelligatur *propulſio*, quæ fit partim ex inſpiratione, unde corpus illud, quod abdomini incumbit, circumdatve, ab eodem, cum intumeſcit, propellitur, partim etiam à muſculis labiorum, & linguæ, qui, dum à ſpiritibus inflantur, premunt extra uterum, cum ſugere dicuntur, matris papillam, & partes vicinas, unde in inſpiratione lac in os impellitur; intra

intra uterum verò, & in brutis, quæ cum dentibus naſcuntur, corpus iſtud ſpongioſum circa dentes (de quo & ſatis accurate parens meus dictâ obſervatione) in hominibus vero, qui ſine dentibus prodeunt, ſpongioſi corporis loco linguam premunt, & gingivas, atque itidem humor membranis fœtum involventibus contentus, paulatim in os depellitur: paulatim dico, quod hæc impulſio non ceſſet in utero, extra eum autem tantum aliquando, ſed majori longe quantitate ſimul, fiat. Hanc itaque impulſionem, quoniam in utero reſpiratio multo minor eſt, quam extra eundum, multum adjuvat ipſius matris reſpiratio; ejus enim diaphragmate, uti & inteſtinis ab hoc deorſum propulſis, neceſſario uterus, & conſequenter liquor membranis inhærens premitur, quare etiam dicta liquoris in fœtus os impulſio intra uterum ſic promovetur, adjuvaturque.

§. 10. Nutritionem fœtus per os deſtruere præterea conantur, qui ajunt quædam animalia eſſe producta, quæ inſtrumentis ſuctionis caruerint, quibuſve ſaltem os fuerit clauſum, ac proinde ſugere non potuerint, nec conſequentur per os nutriri: hanc autem objectionem (quam poſt pluribus abſolvam) ita infringo, dicoque exempla proſtare, quod quædam animalia fuerint producta abſque vaſis umbilicalibus, vel ſaltem his abruptis per aliquod tempus, & cöalitis,

ac

ac per conſequens per umbilicum nutriri non potuerint, ut hîc quidem nihil profecerint. Quantum autem attinet ad objectionis ulteriorem explicationem de privatione inſtrumentorum ad ſuctionem neceſſariorum, dico 1. rarius hæc contingere, illiſque, qui contigiſſe ferunt, vix habendam fidem propter plenius proponendas rationes; 2. ſi contigerit, illa animalia tamen habuiſſe circa illum locum alia organa, viaſve, per quas alituram acceperint, quæ ſæpius non animadvertuntur, quod non exacte illi inquirant, atque ex aliorum fere relatu ſcribant; 3. illa foraminula, aut organa videri quidem, nec tamen eſſe occluſa; 4. ſi ipſis clauſa eſſe, aut ita videri concedamus id ultimis geſtationis diebus fuiſſe factum, quibus à matribus alimentum accipere non potuere, eoque tempore propriâ particularum nutrientium quadrâ vixiſſe crediderim; intra corpus enim maternum exiſtentia parum, aut ſaltem longe minus, quam in lucem edita per inſenſibilem tranſpirationem amittunt, & cum non amplius potuerint ſucco proprio vivere, ſanguine, ſpiritibus, & humoribus diuturnâ, ac continuatâ fermentatione, ceſſante particularum blandarum, ac pinguium adductione, acrioribus redditis, ideo nimis maturè, aut macilenta in lucem prodeunt. 5. idéo etiam mortua produci, vel ſaltem non diu vivere; 6. hæc animadverti quidem circa bruta,

quæ

quæ non tam diu geruntur, ſed nunquam, quantum mihi innotuit, circa homines: vel ſi his talia contigerint, adfuiſſe tum etiam dictas circumſtantias. 7. quidni poſſit, ore, ſeu aliis organis, loco oris factis, occluſis latex nutritius per nares, aures &c. in cavitatem oris, aut in ventriculum immitti? quidni etiam poſſet per anum impelli in inteſtina, loco ventriculi, & ſic in vaſa lactea? at inauditas plane eſſe eas vias clamitas, ac contra ordinem, curſumque conſuetum: concedo. Sed, ſicuti viatori, occluſis viis ſolitis, aliæ ſunt quærendæ, aut ſiſtendus gradus, ſic & ejuſmodi caſibus nutrimentum ſumendum eſt per vias conſuetas, aut moriendum; & quia forſan per vias inſolitas accipiunt, ideo etiam mox moriuntur, quamprimum in lucem producuntur, vel ſaltem non diu ſuperſunt, quia extra uterum tali modo nutriri & ſubſiſtere nequeunt. Per anum autem hominem ali poſſe nutrientes clyſteres exemplo ſunt.

§. 11. Diximus ſupra, cum nutritionis per os neceſſitatem demonſtrare conabamur, cauſam requiri, quæ cavitates, de quibus ibi, apertas teneat, quod cum deſtrui non poſſit, quidam nihilominus inſurgunt in noſtram ſententiam, putantes ſe cauſam (ſalivam ſcilicet, bilem, & ſuccum pancreaticum) cavitates antea dictas conſervantem inveniſſe, eamque ad noſtræ hypotheſeos refutationem ſufficere: ſed ni-

nihil agunt. 1. cum pernego paucula iſta ſufficere ad tot, tantaſque cavitates integras conſervandas, & ſuſtinendas, cum inſuper ampliores indies reddi debeant illæ; 2. dico non ſolum ſufficere, ſi os internum, æſophagus, ventriculus &c. aperta teneantur; verum etiam os externum (gingivæ nempe, & labia) ne illa unà cum linguâ, & gingivis ſibi invicem adhærendo tandem cöaleſcant, quare, ut per illa continuò aliquid tranſeat, perquam neceſſarium eſt; 3. ſi tranſitus hîc negetur, reſpirare nequiret fœtus quod §. 9. affirmavi. Reſpiratio autem intra uterum æquè neceſſaria eſt fœtui, quam alimenti per os aſſumtio; 4. undenam mæconium? ex particulis craſſis, haud dubie dicent, ſalivæ, bilis, ſucci pancreatici: id verò ex prædictis liquoribus produci poſſe; ſaltem tantâ copiâ, non eſt admittendum. Quo enim, quæſo, pacto tanta quantitas craſſorum fæculentorum à particulis adeo tenuibus, ſubtilibuſque producatur? quæ eâ de cauſâ ad nutritionem, ſive ad adhærendum ineptæ ſunt, ut ſaliva, bilis, ſuccus pancreaticus, cum in tenello tali corpuſculo longe adhuc, quam in matre, ſive in adultioribus exiſtunt tenuiores, ſubtilioreſque, dum talia etiam ſunt ejùs vaſcula, quæ dictos liquores tranſmittunt; 5. unde liquor, qui invenitur in fœtuum ventriculis, & qui analogus eſt ei, qui Amnio membranâ fœtum proximè cingente re-

pe-

peritur, & quem, antequam ubera preſſere, aliquando evomunt? Dicet forte quiſpiam per vaſa gaſtrica hujuſmodi materiam pervenire in ventriculum; verum non videtur tam copioſa materia, & quidem per poros tam anguſtos, ibi deponi poſſe. Sed poſito hoc, quomodo portio vitelli ovi, quæ aliquando in ventriculo pulli gallinacei reperta eſt, eò deponatur, mihi explicetur? non putem certè quemquam dicturum per vaſa gaſtrica eam inferri in ventriculos; 6., quod præcipuum, addo, non tantum cauſam hîc requiri conſervantem, & latera ſuſtinentem, ſed & generantem, ſeu efformantem. Generale enim eſt axioma, quod, ubicunque ſint cavitates, ibi etiam cauſæ fuerint efformantes, requiranturque perpetuò conſervantes; quis enim ſine cauſâ effectus? liquor itaque Amnio concluſus mihi eſt cauſa os internum, tracheam arteriam, pulmonum bronchia, æſophagum, ventriculum, inteſtina, vaſa lactea efformans; quid autem præter hunc iſta efformaſſet? nam, quamvis iterum in auxilium ſaliva vocetur, biliſque ac ſuccus pancreaticus &c. quæ jam ante non ſufficere oſtendi, tamen illi liquores hæc efformare non potuere, quoniam illa debuerunt jam efformata fuiſſe, antequam dicti liquores illic potuerint ſeparari, & in ea immitti: ita ut ulteriori opus non ſit demonſtratione, quâ fœtum in utero matris per os ſumere nutrimentum doceam.

§. 12. Poſt-

§. 12. Poſtquam igitur liquet *etiam per os nutriri fœtum*, probandum reſtat, ſuccum iſtum nutritium *per os ſolum* admitti: quod ſi ſtatuatur, unuſquiſque Medicus, & rerum Anatomicarum vel parum peritus, ſatis intelliget hypotheſin hanc repugnare circulationi ſanguinis, quæ à matre prægnante in fœtum, & vice verſâ plurimis retrò annis fieri dicta eſt, paucis admodum exceptis, qui meam hypotheſin quidem attingere, eique, at obſcurius, aſſentiri videntur, ſed nihil demonſtrant, & nemo huc uſque quidquam, (quantum quidem noſſe licuit) quod probet, attulit, præter virorum par clariſſimum, *Charletonem* videlicet, ac *Entium*, quibus forte addendi *A. Everhardus*, & *Franc. Bayle*, quorum ſcripta, abſolutâ jam hâc qualicunque ſcriptione, videre demum contigit, ita ut, cum illos nonnulla non ſpernenda ad hanc meam hypotheſin adferre viderim, diutius hæſerim, (ne compilator viderer) hanc diſſertationem in lucem ederem, nec ne; ſed, quoniam plurimorum, quæ in hanc hypotheſin dicentur, à dictis ſcriptoribus nulla (quod ſciam) fiat mentio, non omnino operam luſurus mihi viſus ſum, ſi intricatam hanc quæſtionem, & quæ tam diu Medicorum, & Anatomicorum torſit ingenia, quantum poſſem, diſtinctius enodarem; eóque magis iſthæc mihi ſedit ſententia, quo plures hodie contraria de circulatione ſentire intellexi.

§. 13. Ut igitur hanc meam hypotheſin confirmem, nego tam diu jam admiſſam fœtus cum matre circulationem, imo dicere audeo ne guttulam quidem ſanguinis à matre in fœtum, & vice verſâ, tranſire: ſed, ne temerarius videar, objectiones diluam præcipuas, ac deinceps cujuſvis præjudicii immunem mihi eſſe animum videre erit.

§. 14. Primò itaque objici poſſet, quod ſi vaſis placentæ cum uterinis tale non ſit commercium, ut ſanguis vice verſâ tranſeat, fluxus menſtruus ſtato tempore rediret, continuareturque, atque abortus eſſet cauſa: id autem minimè ſtringit argumentum; ſimiliter enim quæro, cur fluxus menſium non procedat, cum ovum, ſeu embryon nondum utero eſt annexum: illud autem fieri putamus, quod ſanguis fæmininus imprægnatus fermento virili jam non auſcultet fermento, quod alias ſanguinem ſingulis circitèr menſibus plus ſolitò movet, niſi forte ille nimis exiſtat craſſus, vel fermentationes ſatis ſint potentes, quare tum ſanguis fermentum eludit, ut in viraginibus, viriſque, qui fluxum propter ſanguinis fermentationes potentiores non patiuntur.

§. 15. Secundò non opus eſſe, ut placenta agglutinetur utero, ſi circulatio reciproca, & utrinque vaſorum unio non eſſet vera: Id equidem concedo; aſt dico eam agglutinationem non

non fieri ob requiſitam circulationem, ſed debe-ri diſtenſioni, quæ fit internâ fermentatione, & incremento embryonis, unde, ut §. 7. fuſius, utero annectitur.

§. 16. Tertium obſtaculum eſſe poſſet in vaſis placentæ, quæ utero tam arctè inſeri quiſpiam forte affirmabit, quam plantarum, ſeminumve radices terræ inhærent, & hinc conſtare, matris vaſa ſanguinem effundere in fœtum. Verum quidem eſt placentam, & aliquatenus etiam vaſa ejus in utero, ſed ſuperficietenus tantum, inſinuari, idque fieri neceſſum eſſe jam demonſtravi, & mox ulterius patebit: ſed hinc non ſequitur vaſa fœtus, & matris neceſſariò eſſe unita; imo unita (aut potius agglutinata) hîc & illic ſibi invicem ſunt, ſed non ita, ut utrinque ſanguinem (intellige ante partum, antequam avulſa, & læſa fuerint) tranſmittant, dixi enim ſupra non aliter applicari placentæ vaſa, quam partes quædam fructus in factitias inæqualitates vaſis, cui anguſtiori, diverſiſque intus diſtincto ſculpturis includitur, cedunt, quia internâ fermentatione, & ſuccorum protruſione in eaſdem coguntur, quare quoque fructus eâdem figurâ, iiſdemque vaſis induitur lineamentis: ſic etiam quædam partes placentæ à motu embryonis, ſive ejus accretione in inæqualites uteri coguntur, inſinuanturque, & arcte affiguntur, ut abſque magnâ moleſtiâ quandoque, ac ruptione

ab utrâque parte vaſorum ſanguiferorum ſecundæ divelli nequeant.

§. 17. Quartò ajunt ſanguinem poſt partum ab utero fluentem certo eſſe indicio vaſa fœtus cum matris vaſis fuiſſe unita, ac proinde veram eſſe dictam circulationem: At hoc jam ex præmiſſis ſolvitur; illa enim fluxio, ſive lochia ſolum dependent, ut poſtea uberius explicabitur, à læſione quorundam tam uteri, quam placentæ vaſorum, productâ vel à matris nimiis preſſionibus, vel fœtus calcitrationibus, vel ſecundarum ab utero divulſione; atque eâ de cauſâ etiam, quo illæ magis, minuſve arcte utero affixæ fuerint, & majori, minorive avellendæ fuerint vi, ac quò vaſa majora, aut minora, plura, aut pauciora fuerint læſa, vel quò ſanguis maternus plus, minuſve acris, tenuis, aut craſſus fuerit, eò fluxus ſanguineus major erit aut minor, tardius, citiuſve ceſſabit.

§. 18. Quintò; ſi aqua, vel cera liquefacta in arterias umbilicales ſiphonis ope injiciatur, omnis fere à convexâ, uteroque affixâ placentæ parte effluet: Quod experimentum plane adverſariis videtur favere. Haud dubie enim hanc per illa effundi dicent foraminula, per quæ ſanguis ex eorum opinione, dum, cum maternis eſſent unita, à fœtu tranſit in fœtam, & vice verſâ, quod tamen nego; & præterea experimen-

mentum hoc non uſque procedit, imo ne guttula quidem effundetur, ſi placentæ convexa pars tempore partus à matris nimis vehementibus nixibus, fœtus calcitrationibus, aut obſtetrice divellente non lacerata, poſteave ab aliis, aut denique ab Anatomico in expurgando ſanguine non incautè tractata ſit. Verum omnis aqua levi, continuâque manuum preſſione per venam redibit, de quibus ulterius circa finem hujus exercitationis.

§. 19. Sextò ſtatuunt illa animalia, quæ ſine ore, aut eo occluſo prodierunt, nutriri non potuiſſe: Ajo, quod ſi talia dentur exempla, vias tamen aliquas circa os exſtitiſſe non animadverſas, ut §. 10. jam dictum plenius.

§. 20. Septimò fruſtrà placentam, & vaſa umbilicalia eſſe dicent, ſi negatæ circulationi non inſerviant, nec humor embryon nutriturus per ea ſimul cum ſanguine materno deferatur, quoniam illorum alius uſus excogitari nequit: Reſp. quamvis eorum uſus demonſtrari non poſſit, eumque continuò ſenſibus non excogitemus, non abſurda ponenda eſſe; abſurda enim ea eſſe evincam: Deinde etiam nego eorum nullum eſſe uſum, ſed non eſt talis, ut per ea ex matre ſanguis, & per conſequens cum eo nutrimentum deferatur in corpuſculum fœtus; verum ut ſanguis hujus per ea circulum faciat in placentam, non autem ulte-

rius, & illic ab aëre in cellulis, ſeu ſpongioſâ placentæ ſubſtantia depoſito temperetur, & refrigeretur, atque ex eâ iterum per venam umbilicalem tendat in fœtus hepar, & ſic tandem ad cor: Hanc igitur ob cauſam ſtatuo funiculum umbilicalem longitudinis quoque tantæ eſſe, ut ſanguinis refrigerium tanto ſit majus; certo enim conſtat, quo remotior ſit à corde, eò frigidiorem evadere ſanguinem: Præterea placenta, & præcipue ejus membranæ, neceſſario requiruntur ad lympham nutritiam continendam, & ſervandam, ut poſtea uberius.

§. 21. Aëris autem, quo fœtus ſanguinem etiam refrigerari diximus, minus facilis cuipiam forte videbitur in placentam tranſitus: Hunc vero in ejus ſubſtantiam, quæ fere inſtar pulmonum celluloſa eſt (quare quidem aliquatenus alter fœtus pulmo dici mereretur) ſingulis matris inſpirationibus propelli ſuppono per poros diaphragmatis, & uteri, cujus ſubſtantia ſpongioſa (præſertim impraegnationis tempore) ac proinde valde poroſa eſt, quam ob cauſam æque aër, imo facilius per uterum, quam per poros membranæ pulmonariæ in pectoris, & per poros diaphragmatis in abdominis cavitatem tranſire poteſt: Verum aliquis objicere poſſet, cum mater jam obierit, unde tum ſanguis fœtus refrigerabitur, quoniam aër non amplius tunc inſpiratur, nam fœtum aliquamdiu adhuc poſt ma-

matris mortem ſuperſtitem manſiſſe experientia docuit: Dico, quod tum matris fotus, & calor internus non tantus exiſtat, ut ſanguini refrigerio opus ſit, & quia calor ſenſim minuitur, tandemque ceſſat, ideo fœtum etiam emori putamus, & diutius, breviuſve ſuperſtitem manere, prout dictus calor diutius, aut brevius continuatur.

§. 22. Sed non ſufficit dicere ſecundarum, & vaſorum umbilicalium uſum eſſe talem, ac proinde ob hujus cauſam hæc eſſe facta, ſed opportet mechanice oſtendere, quare ita producta ſint: hoc itaque ut explicem (nam quod ſciam, à nemine unquam id fuit factum) puto placentam, & vaſa umbilicalia præter eum, quem modo dixi, alium inſuper habere uſum, vel ideo potius progenita eſſe, quod ſanguis, dum in embryone non, vel ſaltem non omnis (ut in adultis, vel aliquamdiu natis, ſed tantum aliqua ejus portio ad vaſa illa aperta tenenda, ne fœtu in lucem edito eſſent coalita, & ſic ſanguis ligato poſt partum funiculo umbilicali per placentam circulari nequiens ſiſteretur, moreretur que infans) pulmonum vaſa intrare poterat ob aquam intus ſubſtantiam pulmonum prementem, eorum loco intrare debuerit vaſa umbilicalia, & placentam, quia, quoniam pulmones omni ſanguini ex cordis dextro ſpecu expulſo ſufficientem non dabant locum, alius

requirebatur, quem ſanguis ille, ut decenter circulari poſſit, occuparet: quare autem iſti ſanguini in iis ſufficiens locus, & tranſitus non fuerit, jam dixi, quod ſcilicet pulmonum vaſa nimis premerentur, anguſtarenturque à lympha in bronchiis, eorumque cellulis contenta.

§. 23. Quæri hîc poſſet, quomodo, & quare aqua ſive lympha illa embryonis pulmones ingrediatur, & objici quod inde ſuffocaretur: Reſp. hoc non aliter ſe habere, quam in piſcibus, etiam aquam reſpirantibus, nec tamen ſuffocatis; deinde neceſſario illa quoque pulmones ingredi debet, quia alias embryon non poſſet nutriri per os, quoniam ille humor in inſpiratione æque per epiglottidem in aſperam arteriam, & pulmones, quam in œſophagum, & ventriculum impellitur: Quod ni fieret, aër ejus loco intraret, & tum eum reſpiraret, quod fieri intra uterum non poteſt, dum liquori innatat, unde ſtatim ſuffocaretur, non aliter ac illi, qui ſemel aërem reſpirarunt, in aquam injecti ſuffocantur, moriunturque; ergo neceſſariò lympha, cui embryon innatat, ad pulmones delabi debet, utque etiam efficiat, ne epiglottis, bronchia, & cellulæ pulmonum coaleſcant.

§. 24. Dum igitur ſanguis non eâ quantitate, quâ ex utrâque venâ cavâ in auriculam cordis dextram effundebatur, dextrum cordis antrum in-

intrare poterat, quia ab arteria pulmonali ex eodem non tranſmittebatur, ſaltem non eâ quantitate, factum fuit foramen rotundum in ſepto cordis intermedio circa ejus baſin, ut ſic multum in auriculam dextram effuſi ſanguinis, dum iter in arteriam pulmonalem ipſi maximam partem occluderetur, per foramen illud rueret in ſiniſtrum cordis thalamum: Cum autem aliquam portionem iſtius in cordis dextro ventriculo fermentari neceſſum eſſet, & tamen illa fermentata, ac verſus arteriam pulmonalam protruſa necdum poſſet per eandem omnis tranſmitti; hinc nihilominus paululum aſcendente ſanguine iſto, & obſtaculi nonnihil inveniente, factum fuit foramen ovale, *canaliculus* ſcilicet *arterioſus*, ut, quantum arterias pulmonales aſcendere, & tranſire non poſſet ſanguinis iſtius, in arteriam Aörtam effunderetur; & ſic commodè fieret ſanguinis circulus non tamen, vel ſaltem non magna portione, vaſa pulmonum intraturi, quamdiu fœtus in utero verſatur: Cum autem ex eodem excluditur, vice verſa ſanguis poſt partum non amplius circulatur per placentam, quoniam ligatione funiculi umbilicalis impeditur; ſed per pulmones; quorum bronchia, & cellulæ, ante partum, præſertim quando adhuc valde mollia exiſtebant, aliquatenus collapſa, & lympha repleta tum evacuantur. Sanguis enim ad juſtam circulationem

perficiendam ſatis ſufficientem locum non habens majori longè vi prorumpit, quia nunc circa umbilicum ſolitus ejus tranſitus ſiſtitur; præterea dum ejuſdem fermentationes in corde jam fiunt fortiores majori quantitate cogitur in vaſa pulmonalia, eademque per conſequens magis, ac magis diſtenduntur, unde etiam lympha ex bronchiis, & cellulis ſic ſenſim omnis exprimitur, & ſolus aër ſuccedit; quare etiam lympha evaneſcente illæ magis ſenſim cedunt, & quidem eo facilius, quoniam aër, corpus non ita grave, quam aqua, pulmonum ſubſtantiam, & eorum vaſa jam non ita comprimit: Hinc illorum ſubſtantia magis inſuper elevatur, & ſanguini ad eorum vaſa, occluſo ad placentam itinere, fortius propulſo inde liberior in eoſdem ingreſſus conceditur. Hinc autem maximè fieri ſtatuo, ut foramen rotundum, & ovale ſenſim collabantur, & evaneſcant, de quibus mox latius.

§. 25. Ultimò (ne nimius ſim) contendunt fœtum non poſſe accipere nutrimentum, ſi placenta non habeat vaſa ab utero, quibus ſanguis ex matre ad illum, ut inde nutriatur, poſſet accedere: At ſciant nihilominus nutrimentum ſatis commode, (dum ſanguis non nutrit ſub ratione ſanguinis, ſed tantum expulſæ ex arteriarum poris particulæ blandiores, & reſinoſæ, partibus ſolidis adhærendo, nutritionem, & aug-

augmentationem efficiunt) ad eum perduci poſſe, videl. per tubulos uteri, in quos ex fœtæ arteriis ſuccum illum deponi judico, atque iterum ex his in uteri cavitatem, quamdiu ovum, ſive embryon, ei nondum eſt annexum, & ſic per poros membranæ chorii in intermediam membranam celluloſam: vel, quando jam affixum eſt, ex dictis uteri tubulis verſus placentam, & membranam chorion, & ita in earum vaſa peculiaria, ſeu tubulos, continuò humorum transfluxu ex poris ſenſim ampliatis, & prolongatis relictos, progenitoſque, qui ſuis orificiis, internam uteri ſuperficiem ſpectantibus, abſorbent dictum laticem reſinoſum, ſeu nutritium: non aliter ac à vaſis chyliducis chylus, aut à lymphæducis humores à nutritione reſidui abſorbentur, vel potius, ne priſcorum more loqui videar, intruduntur, ſeu (ut in mari unda trudit undam, & in flumine gutta guttam) impelluntur in illorum orificia initium (loquor de vaſis lymphaticis) in partibus ſolidis habentia: Aut etiam non ſecus, ac Spiritus Animales in cerebro aſſiduò in principia nervorum in ventriculis cerebri exiſtentia ab aliis ab arterioſo ſanguine ſeparatis ſpiritibus, aliiſque à tergo continuè ſequentibus, ac prementibus adiguntur, ut ſic fiat eorum continuus per corpus vivens influxus, & circulus; Atque ita quoque ex dictis tubulis latex nutritius receptus

de

deponitur in ſacculis, ſive veſiculis inter chorion, & amnion, in quibus ad futuram fœtus alituram reſervatur: Ex his vero in formam vaporis, vel roris, quidni etiam (dum omnia ibi calent, ac proinde pori valde patuli ſunt) tenuis liquoris, quam primum ſpatiolum aliquod à particulis recedentibus intra amnion membranam relinquitur, propellitur (quoniam in corpore vivente humorum circulus eſt continnus) intra eandem, atque ſic, dum vacuum non datur, in abeuntium locum ſuccedit.

§. 26. Omittere tamen hoc loco non poſſum, quod mihi nuper contigit de membranâ, ſeu veſiculis, centeſimâ vix inveſtigatione reperiendis, inter chorion, & amnion contentis, quarum mentio §. præcedenti facta eſt, quæque ſuum hîc uſum habent: poſtquam igitur chorion ab amnio ſeparaſſem, placentamque eluiſſem, ac ea aliquamdiu repoſita fuiſſet in aquâ calidâ, antea ab invicem diductas ejus membranas diligentius inſpicere cœpi, paſſimque inveni membranæ amnio adhærentem etiam aliam membranam mollem admodum, ac fere pituitæ inſtar ſeu muci alicujus conſtantioris (forſan, quod jam aliquamdiu in aquâ calidâ poſita fuiſſet placenta) ita tamen, ut membranaceam referret formam, ſed quæ, aquâ aliquatenus tumentibus cellulis, ſtraminis latitudinem circiter æquabat; celluloſa enim erat, aut quaſi ex par-

parvis ſacculis, ſeu veſiculis conflata, quæ tenellis valde membranulis conſtabant.

§. 27. Quod autem corpus hoc veſiculare, ſeu celluloſum, inter dictas membranas intermedium, nunquam (:quod ſciam:) aliis fuerit conſpectum, nec facile quoque conſpici poſſit, id fieri putem, primò, quia ultimis geſtationis diebus cellulæ iſtæ non ita ſunt repletæ, ſed evacuantur magis, quia fœtus tum indiget multo nutrimento, & deinde tam preſſione partium matris externarum, quàm fœtus internarum magis exprimitur in cavitatem, quæ fœtum continet; tertiò, quod quamvis aliquatenus adhuc tumeant, mox, membranis fœtum amplectentibus in partu ruptis, liquor ille dictis cellulis contentus emanet, & ſic maximam partem effuſus ſit, antequam ſecundæ ab utero ſint ſeparatæ, & ab obſtetrice conſpiciendæ tradantur; quartò quod ideo portio reſtans ſtatim omnis effundatur, præſertim quando amnion vi, imprudentiâve à chorio avellitur, unde fit, ut ſacculi, ſeu cellulæ rumpantur porrò, & hinc non conſpicuæ ſint, quoniam tum nullo replentur liquore; vel denique licet aliquatenus conſpiciantur à peritioribus Anatomicis, animum tamen non attendunt forte ad hanc membranam intermediam, quia recurrunt ad hoc, quod ſingula membrana in plures alias dexteritate quadam (quod non nego) poſſit ſeparari, & ſine du-

dubio ita, quamvis caſu videant, negligunt illam, quam chorio, & amnio cautè à ſe mutuo ſeparatis, elutâque dein placentâ, mihi ità videre contigit, idque haud dubiè factum eſt, quod aquâ tepidâ (cui inſuper admixtus erat experimenti capiendi cauſa liquor quidam ſpirituoſus) in quâ ſecundæ jacuere aliquamdiu, oſcula, ſeu pori hujus intermedii corporis, quid ni etiam aliquatenus ejus cellulæ, quibus conſtat, partim calore aquæ, partim dicti liquoris ſpirituoſi particulis ſubtilioribus ſint aperta, atque ſic levi frictione, preſſione, & continuâ à manibus meis factâ ſecundarum devolutione aqua ſenſim ingreſſa fuerit, & quidem eò magis, quod ſecundum illam membranam, cui intermedia celluloſa adhærebat, inter interſtitia harum duarum membranarum, aquæ portio præ tenuitate ſuâ deſcenderit, & per apertiores poros hìc illic ipſos ſacculos intraverit, cum hi præterea ab unâ parte membranâ chorio deſtituerentur, atque adeo aquæ major daretur tranſitus: unde etiam mihi tandem corpus hoc celluloſum intermedium conſpicuum factum eſt: In hoc itaque concludo humorem pinguem, & reſinoſum ex uteri tubulis delatum colligi, & ad nutritionem reſervari. Nam inde per poros membranæ amnii, vel per vaſa, aut tubulos peculiares, ex iſta intermedia celluloſâ ſubſtantia exſurgentes, impellitur in intimam, quæ fœtum continet,

ca-

cavitatem, ut ſic ei in os impulſus tandem cedat in nutrimentum.

§. 28. Quoniam ex his itaque patet non neceſſe eſſe, ut fœtus à matre accipiat ſanguinem, ac conſequenter per venam umbilicalem humor nutritius cum eo embryon intret, demonſtrandum reſtat ſanguinem ex matre in fœtum, aut vice verſa circulari non poſſe: Id autem patet ex eo, quod vaſa placentæ cum vaſis uteri non uniantur, ut ſanguis tranſeat; neque enim ita uniri poſſunt. Nam quo naturæ inſtinctu incitata, & expergefacta ad recludenda ſemet, ut ſanguinem in vaſa embryonis effundant, exſpectent vaſa matris, quaque facultate, aut providentia ibi etiam jam jam parata exiſtant illa embryonis, ut ſanguinem maternum recipiant, & illic ita uniantur, & ſibimet quaſi ictu oculi applicentur, ſane non video.

§. 29. Præterquam autem, quod demonſtrare non poſſint, quo pacto illa applicatio, & unio fiat, probare aggredior vaſa embryonis ſanguiduca cum maternis nec uniri, nec uniri poſſe, ac per conſequens nullam habere tranfuſionis communicationem: Dico itaque Primò, ante imaginariam illam vaſorum unionem prius & embryonis, & matris arterias, venaſque aperiri debere, unde magnum ſanguinis oboriretur profluvium, præſertim ſi mater ſeſe multum moveret, ex quo ſanguinis profluvio non ſolum mag-

magna, & gravia ſymptomata, ſed etiam embryonis mors, ſive abortus, imo aliquando, ſi non excluderetur, mater ipſa tandem obiret, dum cuivis Anatomes vel modicè gnaro ſatis innoteſcat uterum tempore impręgnationis arctiſſimè claudi, ac proinde ſanguinem illum, negato exitu, putreſcentem haud dubie iſtorum accidentium cauſam fore.

§. 30. Secundò, venas eſſe continuationes arteriarum, ac proinde embryonis ſanguinis circulationem tantum fieri per ipſius propria vaſa, quare conſequenter cum ita ſeſe habeant matris venæ, arteriæque, nullam ſanguinis transfuſionis communicationem vaſa fœtus cum matris habere poſſunt: Eſſet etiam contra ſanguinis circulationem, ſi dicta transfuſio vera foret, quoniam arteriæ tendunt, ſanguinemque ferunt à centro ad circumferentiam, venæ autem revehunt. Et hîc arteriæ matris adducerent ad centrum, ad cor ſcilicet embryonis, qui venarum uſus: Sed dicet quiſquam arterias maternas in placentâ in venas ſanguinem immittere. At ille revehi dici non poteſt, quam diu metam, id eſt centrum non acceſſerit, ſed eâdem lineâ adhuc progrediatur: Atqui à corde matris, poſita circulationis communicatione, uſque ad cor fœtus progredi pergit, (nam profectò nemo demonſtrare poteſt curſum ejus verti, quam diu non ad cor embryonis pervenerit) ergo tum re-

ve-

vehi nondum dici poteſt, ac per conſequens circulationi, id eſt ſolito curſui ſanguinis repugnat: Ut hinc clare pateat error, & falſitas iſtius transfuſionis. Præterea embryonis vaſa ita, ut ſanguis transfundatur, conjungi æque impoſſibile putem, quam homini, cui pars corporis minus notabilis amputata eſſet, poſtea conſolidatione factâ alia amputatæ ſimilis applicetur ita, ut vaſa utriuſque ſanguiduca ſibi invicem adhæreant, ac ritè procedat circulatio.

§. 31. Tertiò; monſtrat ipſe uſus uteri faciem internam eſſe glabram, & quaſi viſcoſâ, aut reſinoſa quâdam materia obſeſſam, quæ oſtiola vaſorum uteri obliniendo, ac obducendo tali caſu occluderet, & proinde efficeret, quo minus ſanguis per eadem tranſire in vaſa embryonis, eaque, cum matris vaſis uniri poſſent. Sed dicat mihi quiſpiam, quomodo ſanguis, ſive humores embryonis, cum nondum, vel ſaltem non notabiliter affigeretur utero, circulum abſolverint. Si abſque matre. Quid ni poſtea, illo accreſcente, ita circulari pergant? nihil ſane impedit: Et cum ejus arteriæ, ac venæ inter ſe communicationem habeant, antequam utero affigitur, & poſtquam ex eodem eſt excluſum, quare etiam non unitæ manerent, quando placenta utero vel affixa jam eſt, vel qua facultate tranſitus humorum per embryonis propria vaſa

ceſſaret, & inverteretur, ut ſic tranſeat per vaſa materna?

§. 32. Quartò; Si ſanguis genitricis in fœtum, & vice verſa circularetur, vita fœtus dependeret à matris, quod falſum eſt. Fermentatio enim ſanguinis in fœtu non crebrior tum eſſet, quam in matre, quia impoſſibile eſt, ut, in ſtatu præcipuè ſano, ſanguinis circulatio in una corporis parte ſit crebrior quam in altera, quoniam ſanguis æqualiter ex ſiniſtro cordis antro utrique lateri diſtribuitur. Atque ideo ex corde matris non poteſt quoque in placentam, & in fœtum celerius propelli, ac in aliam quamlibet materni corporis partem, dum etiam fœtus, ſi ſanguis reciprocè transfunderetur, æque ac aliæ materni corporis partes ejuſdem corporis eſſet continuatio, & pars: Atque poſt partum fœtus pulſum præter propter altero tanto crebriorem, quam matris, aut adulti hominis deprehendimus; ideoque dicendum eſt fœtum minimè continuationem matris, ſed corpus eſſe, ut ita loquar, ſeparatum, quale ſi ſit, ſeparata etiam erit circulatio, nec ejus vita à materna dependebit, uti revera non dependet.

§. 33. Nec obſtat, quod ſecundum alios forte longe aliter fiat circulatio in embryone, quam in infante jam aërem reſpirante, multumque eâ reſpiratione augeatur ſanguinis motus: ipſe enim non augeri illum, at contra retardari multum

tum propter particulas aëris nitroſas, acidaſve contendo. Quod in iis clarum eſt, quibus impeditur reſpiratio; In his enim ſanguinis longe major eſt motus, ipſique plus caleſcunt, rubentibus admodum partibus exterioribus, quoniam dictis aëris particulis motus ſanguinis non refrænatur, nec ſanguis temperatur: Uti etiam videre eſt in incubo, anginâ, pleuritide &c correptis, qui vel reſpirare timent ob dolorem ex partium inflammatarum motu, aliarumve attactu naſciturum, vel nequeunt propter vias valde anguſtatas, quare tandem ſuffocarentur, ni commodis mediis admittatur aër. Sic quoque experimur nitroſa exhibita ſanguinis motum multum imminuere. Puto etiam inſuper magnam partem ob materiam aërisnitroſam, aut acidam (in quâ frigus aëris conſiſtere judico) uti & ob alimentum, quod poſt partum fœtus aſſumit magis craſſum, foramen rotundum, & ovale ſenſim collabi, & evaneſcere, quia circulationi ſanguinis ob dictas cauſas hunc magis craſſum, & tardum reddentes multum celeritatis decedit, unde illorum foraminum expanſio minor eſt, quam antea, cum præterea viæ iſtæ (præſertim nunc patientiores, ut §. 24. diximus) ſufficiunt, quæ extra hæc foramina exiſtunt, & perpendiculares, ſeu rectæ ſunt; ob quas etiam ſanguis, (qui indies craſſior, ac proinde gravior evadit) ſuâ gravitate per perpendicularem lineam, ſeu

viam potius propelletur, quam per curvam; quoniam inſuper dictæ viæ, vaſa nempe pulmonalia, ipſi ſufficiunt, & perquam neceſſarium eſt, ut tantum illas ingrediatur, quod ſanguini iſti craſſiori binâ cordis fermentatione nunc opus ſit, ut inde tanto magis dividatur, & attenuetur. Porro fœtus rhythmum (ſive arteriarum agitationem) longe alienum eſſe à fœtæ, aut cujuſdam adulti pulſu, id eſt crebriorem, in ipſo partu licet experiri, ſi videl: hac manu carpum matris, illa umbilicalem funiculum tangas.

§. 34. Quin etiam crebrior longe ſit fœtus circulatio, & pulſus neceſſe eſt. 1. Eſt enim ſanguine materno longe fluidior fœtus ſanguis, utpote ex tenuiore, ac multo ſubtiliore alimento proveniens: fluida autem, quibus tanta diviſione non opus eſt, citius fermentari quis ignorat? Illud ipſum autem in moribundis quibuſdam liquet, quorum ſeceſſionem faciente ſanguine, eave jam facta, fluida portio ſupernatans multo fermentatur crebrius, quam quidem antea: Atque hinc moribundis pulſus quandoque creber. 2. in utero per diaphoreſin, & exſpirationem (per hanc enim continuo etiam multas particulas ſubtiles deperdimus, uti id ſingulis exſpirationibus ex expulſorum vaporum copia ſatis patet) ac per diureſin non tantum, quantum extra eundem, particularum fœtus ſanguinis

guinis fluidarum; & ſubtiliorum fit diſpendium, quia innatat fluido fere æque ſubtili, ac quod tranſpiratur, ita ut ex illius corpuſculo ſubtiles particulæ, uti quidem quando degit extra uterum, non tam abire poſſint: 3. Non ita ſanguini fœtus adhucdum matrici incluſi, ac jam geniti commiſcentur particulæ aëris nitroſæ, quas ejus motum retardare jam dixi. 4. Continuò fovetur ab utero, & partibus ejus proximis, & propterea ob dictarum aëris particularum minorem quantitatem fœtus prorſus liberatur à frigore illius externo, à quo quomodo ſanguinis motus retardetur, quantaque inde proveniant mala, imo aliquando ipſa mors, unicuique ſatis innoteſcit. Ex allatis etiam fœtum ita rubere putem. Illo namque calore, quin & crebriore motu, ac tenuitate ſua ſanguis ratione ſanguinis minima vaſa ſubintrat; unde ille color, qui ſenſim iterum evaneſcit cum propter frigus externum, tum propter alimenta craſſiora, & inde creſcenti fœtui craſſiorem redditam cutem. Ex his itaque quivis facile perſpexerit fœtus ſanguinis circulationem in utero celeriorem eſſe, quam cum diutius extra eum degit jam adultior.

§. 35. Quinto ſi vaſa umbilicalia conjungerentur cum uterinis, ac ſanguis matris tranſiret in fœtum, hujus ſanguis æque craſſus eſſet, ac illius: Nihil tamen iſtius craſſitiei in placen-

ta deponitur, nec deponi poteſt, quia ſanguis in ſtatu integro nunquam extravaſatur: Fœtus autem ſanguis dilutus eſt, & fluidus, ut ex crebriori pulſu patet, ac jam demonſtratum eſt.

§. 36. Sexto æque duco impoſſibile duo dari in uno corpore corda, quam uno in circulo duo centra: Etenim ſi circulatio à fœta in fœtum concedatur conſiderandus eſt hic tanquam materni corporis pars, haberetque adeo duo corda genitrix, ac conſequenter duo centra circulus, quod in hoc ponere uti abſurdum, ſic & in illa id ſtatuere non minus ridiculum eſt: Fœtum autem, ſi ſanguis à matre, & reciprocè transferatur, aliter ac matris continuationem, ſive partem conſiderari non poſſe, cum plenius demonſtraverim §. 32 plura addere ſuperſedeo.

§. 37. Poſtquam vero jam multis oſtendi matricis, placentæque vaſorum talem non eſſe unionem, ut ſanguis, & cum illo alimentum transfundatur, quæro inſuper, cur ovum, ſeu embryon, ſi utero nondum annexum creſcat, nutriaturque, non etiam jam annexum eodem modo poſſet accreſcere, atque nutriri? At dicet quiſpiam illo caſu ita procedere nutrimentum, & incrementum, uti hæc fiunt in oviparæ ovo ex ingenito ei ſucco. At nec ſic quidem argumenti vim eludet. Diſpar enim longè utriuſque ovi eſt ratio. Non enim majus fit oviparæ ovum, viviparæ contra: Proinde toto incu-

cubationis tempore illi ovo non apportatur novum alimentum. Viviparæ autem ovo nondum affixo, creſcentique novo quotidie opus eſt nutrimento; incluſo namque liquore uſque adeo increſcere non poteſt, ut uterum diſtendat: procul dubio enim, antequam utero firmiter annexum eſt, ſexies, aut octies majus evaſit, quam fuit, cum ingrederetur; ut cuivis pateat incrementum id non ab ingenito quodam proveniſſe ſucco: Deinde, ſi circulatio abſque ſanguinis materni transfuſione fiat in ovorum pullis matri non affixis quare ſimiliter non fiat in fœtu humano? ſane non invenio inde quidquam nutritioni obſtaculi, quoniam receptio ſucci nutritii per poros, aut tubulos ſecundarum intra ipſarum cavitatem eſt perfacilis, & magis clara, multoque minus periculoſa, quam ſi immediate per vaſa ſanguiduca ex matre in eum, qui utero includitur, fieret. Præterea ſi nutritio ſeminum, plantarum, arborum ita fiat per tranſudationem, non imaginariam, aut occultam, ſed protruſivam, cum per corticum poros ſucci terræ ope materiæ æthereæ intro propelluntur in tubulorum (qui ipſis ſunt tanquam venæ, & arteriæ) poros, velut in ora: Quid impedit, quo minus aſſumamus etiam ſuccos ex matre per poros membranarum embryon, tanquam corticum, involventium, propelli intra earum cavitatem, & ſic ejus os ingredi?

§. 38. Porro ſi communicatio vaſorum ſanguiducorum matris cum fœtus talis eſſet, qualis ad nutrimentum cum ſanguine materno accipiendum requireretur, unio dictorum vaſorum Fœtum, ſeu potius placentam tam firmiter fere utero affixam teneret, quam quamvis aliam materni corporis partem, ita ut vix ab utero divelli poſſet: Et licet illa vehementiſſimis parturientis conatibus, ut & fœtus calcitrationibus, nec non obſtetricis abſtractionibus divelleretur, ex divulſione cujuſque conjuncti vaſis tot vulnera exorirentur, ut vehementem, & copioſam ab utero hæmorrhagiam brevi poſt ſequeretur matris interitus, cujus contrarium docet experientia; niſi cum, obſtetrice, vel aliâ placentam, ejuſque membranas vehementer, ſubitòque nimis avellente, vaſa uteri propullulantia ita lacerantur, & rumpuntur, ut præ nimio ſanguinis fluxu mater extinguatur. Quod etiam accidere poteſt, ſi parturientis ſanguinis ita incitetur motus, iſque ita tenuis, acriſque ſit, ut vaſa illa, quæ hîc illîc aliquatenus ex dicta avulſione, licet non violenta, plerumque læduntur, immenſum aperiantur. Non tamen diffitemur poſt partum, & placentæ avulſionem ſequi hæmorrhagiam, ſed tanta non eſt, quanta quidem eſſet, ſi unumquodque unitum vas rumperetur; deinde nego omne id, quod poſt partum ab utero profluit, purum putum eſſe ſanguinem, verum multum lymphæ

reſinoſæ, qualis geſtationis tempore in placentam ad fœtus nutrimentum tranſudat, ſanguini iſti eſſe admixtum, quem mixtum liquorem *lochia* dicunt. Ipſe autem putem ideo poſt partum cum dictâ lympha nonnihil ſanguinis ab utero defluere, quod in partu à matre, & fœtu, & poſt hunc excluſum placentæ à matrice divulſione, quædam Anaſtomoſes, ut ajunt, & vaſcula exteriora propullulantia lædantur, rumpanturque, ac ſanguinem effundant, qui lymphæ antea in ſecundas, & nunc in cavitatem uteri tranſudanti, commixtus lochia conſtituit.

§. 39. Hæc autem lochiorum fluxio major eſt vel minor, & citius ceſſat, vel tardius, prout vaſa uteri externa, & forte propullulantia, plus minus à matris preſſionibus, & fœtus calcitrationibus vehementioribus, avulſionibuſve placentæ ab utero nimis ſubitaneis læduntur; habita etiam ratione numeri, magnitudiniſque ruptorum vaſorum: Sanguinis etiam ex utero profluvium eò copioſius, & magis diutinum eſt, quo ſanguis maternus eſt acrior, unde læſa vaſcula plus aperiuntur, vel quo magis movetur, fluidiorve eſt: Hinc enim facilius, celeriuſque effluit per aperturas. Contra aliquando contingit, uti mihi narratum eſt, ut poſt unum demum, alterumque diem à fœtus excluſione ſolitæ fiant fluxiones. Hoc autem ideo fieri judico, quod ſanguis puerperæ ex partu difficiliori (nec enim id contingere

 aliter

aliter putem) admodum defatigatæ ſpirituum inops multò moveatur minus, adeoque ejus preſſio ad uterum, & dilatatio vaſculorum ex iſto minori motu collapſorum ſit multò minor, & forſan ſimul ejus tranſitus præ craſſitie nimiâ difficilior, quare non mirum, ſi minor, vel nullus ſit ſanguinis ab utero effluxus: poſtea autem, motu ſanguinis cardiacis, ut vocant, fomentationibus, alimentiſque, ac potibus corroborantibus iterum aucto, ſolitus utero venit fluxus.

§. 40. Continuantur vero lochia per aliquot dies, quia uterus ob humores ſubſtantiâ ſpongioſa contentos, copiamque ſanguinis, quo vaſa uterina præ eorum amplitudine replentur etiamnum, & expanduntur, non tam ſubitò collabi poteſt, ſed, humoribus illis pedetentim effluentibus, & hinc etiam ſenſim uteri vaſis collapſis, magis ac magis, ut ita dicam, contrahitur, id eſt partes, ſive cellulæ, ſeu fibræ, ſuſtinente cauſâ ſublata, magis ſe invicem accedunt: Hinc primò anguſtatis illis viis, & poris, per quos ſuccus nutriens gravidationis tempore in membranas, fœtum involventes immittebatur, illius ſucci, uti & ſanguinis ceſſat effluxus: ſed quædam tamen aquoſa remanet fluxio, quam ex læſis vaſculis ſanguiducis, vel forte & lymphæducis provenire crediderim, quæ huc uſque viis illis, ſeu tubulis, per quos nutriturus humor geſtationis tempore

pore deferebatur, ampliores exiſtunt, non obſtante, quod ſimul cum dictis viis ſint collapſa, & compreſſa, non ita tamen, ut tam lymphæ, quam ſanguini tranſitum denegent. Denique fluxio ex his vaſis etiam ceſſat, quia humores non tam copioſè in illa impelluntur, quod fit, cum quod in mammaria vaſa ob eorum majorem, quam uterinorum, proportione habitâ, amplitudinem copioſius deferantur, tum quod ſubſtantia uteri collabatur, ejuſque vaſa iterum intorqueantur, anguſtenturque. Ceſſat etiam fluxio, quoniam uteri interna ſuperficies glabritie ſenſim obducitur: Illo namque humorum in uteri vaſa affluxu non ita forti, aut copioſo exiſtente, particulæ craſſiores lymphæ non ita propelluntur, ſed ſenſim adhærendo augentur, ſicque aperturas vaſorum occludunt, conſolidanturque, ac fluxus in totum ceſſat; haud ſecus ac in vulnere aliquo, aut contuſione contingit, ubi primum videmus effundi ſanguinem, deinde ichorem, poſtea lympham, ultimo deprehendimus ſuccum quendam reſinoſum, aut limoſum, & tandem fit conſolidatio: Tali itaque modo in utero quoque, magis magiſque reſinoſâ, ac limoſa illa lympha occluſis tubulis, & ruptorum vaſorum aperturis, rem ſeſe habere ſuppono.

§. 41. Ut autem eò, unde digreſſi ſumus, redeamus, repetendum hîc, quod §. 36. jam

dic-

dictum, abſurdum eſſe duo in uno eodemque corpore dari corda, adeoque vanam è fœtâ in fœtum circulationem, cum fœtus ſua vivat animâ, nec ſpiritibus vegetetur maternis. Hujus autem veritatem jam ſupra ex pulſu crebriore probavi, pleniuſque demonſtrat ſectio Cæſarea, quæ ſatis indicat aliam eſſe circulationem fœtus, aliam matris, ac conſequenter fœtus circulationem, vitamque minimè dependere à circulatione, vitâve maternâ, niſi quatenus ſuum nutrimentum à matre accipit; experientia namque docet hac ſectione fœtus ſæpe manere ſuperſtites matribus diu emortuis. Imo materno in cadavere aliquot haud dubie dies ſuperviverent, ni frigus, quod oritur poſt matris obitum, impediret; nam ceſſatione motus ſanguinis progreſſivi, ac per conſequens ſpirituum, qui tubulos, & poros partium apertos tenent, ſeparationis, & influxionis defectu omnia collabaſcunt, frigeſcuntque: Itaque fœtus ſi vita, & ſanguis ejus à matre profluerent, hac extincta, extemplo etiam extingueretur: ceſſante enim circulatione matris, ceſſaret fœtus ſanguinis circulatio, quoniam ille egrediens ex fœtu, impedituſque à coagulato, aut ſaltem valde incraſſato materno ſanguine, neceſſario fœtum, imo & ante matris mortem interimeret; quoniam appropinquante interitu partes inferiores prius langueſcunt, ac frigeſiunt, quam principales, & ſuperiores, ideoque calor

lor ipſius fœtus ſanguinis, utpote ab utero derivati, primò omnium deficeret, dum craſſior ſanguis ſuâ gravitate deſcendit, parteſque inferiores petit: Ex hoc itaque ſolo dictam circulationem imaginariam eſſe, ac falſam intellexeris. Quod etiam luce meridiana clarius comprobat exemplum illud Parentis mei admodum venerandi *Obſerv.* 32. *part.* 2. *fol.* 355. de fœtu membranis ſuis incluſo extra matricem vivo in aquâ reperto, poſteaque educato: Si verò id cuipiam minus videatur verum, quamquam illud ſat manifeſta probent teſtimonia, à me nuper factum id ſatis confirmaverit experimentum; cane enim gravidâ, non hujus, ſed alîus experimenti gratia, vivâ diſſectâ, poſtquam uterus extra abdomen proruiſſet, & hujus pullum unum, & alterum ex utero examinaturus cepiſſem, placuit reliquos, qui, matre jam diu mortuâ, per mediam circiter horam aëri externo expoſiti nihilominus vivebant, membranis involutos in aquam tepidam immittere, & reperi etiam poſt aliquot horas eorum pulſus.

§. 42. Hiſce, ut & hypotheſi huic colophonem addam, eamque tanto magis confirmem, contrariam verò deſtruam, adjungam breviter, quid mihi nuper in ſecundis tam hominum, quam brutorum experiri licuerit, quod, quia huc etiam facit, paucis addam. Humanam itaque placentam purgans obſervavi primo aquam,

quam

quam ſiphonis ope per arteriam umbilicalem infundebam, per alteram non effluere partem, niſi ubi illa parum rupta erat. Secundo aquam illam, ſæpius, at leniter manibus preſſa placenta, ſenſim per venam non ſine grumoſo rediiſſe ſanguine. Tertiò purgatâ placentâ, & parenchymate liberata, aquam denuo infuſam corpus placentæ fungoſum tumidum reddidiſſe, nec tamen, niſi loco parum læſo, effluxiſſe, at puram, claramque per venam fuiſſe expulſam, adeo ut, quibus meam hypotheſin confirmem, non videantur plura requiri argumenta. Quid enim plenius, quam, quod modo adduxi, experimentum, demonſtrat fœtus vaſa nullam ſanguinis transfuſionis communicationem habere cum genitricis vaſis, adeoque illius ſanguinem per ſua vaſa, & minimè per materna circulari, conſequenterque fœtum per ea non nutriri. Quartò etiam comperi ne guttulam quidem ceræ liquatæ per arteriam, deinde per venam ad ſaturationem poſtea infuſæ effluxiſſe, cujus contrarium ſane in aliis placentis ſæpius fui expertus, è quibus cera ita profluxit, ut totas minimè implere potuerim.

§. 43. Denique comperi placentam (uti videndi cupidis domi meæ demonſtrare poſſum) à convexâ, uteroque obverſa parte membranâ obductam fuiſſe, ſed multo minus æquali (ob internæ uteri faciei inæqualitatem) quam quâ con-

concava pars tegitur, quam productam à membrana chorio, ſeu potius prolongationem, aut continuationem illius eſſe puto. Ideo autem placentam hanc nec aquam, nec ceram emiſiſſe putem, quod dicta membrana non, niſi parum admodum uno loco, fuerit læſa; ex aliis contra copioſè aqua, & cera effluxerunt, quoniam in illis membrana hæc multum læſa, lacerataque fuit, vel etiam abfuit; ideoque alios non animadvertiſſe, aut examinaſſe non adeo mirum eſt. Nam illa, ſi placenta nimis ſubitè, & incaute divulſa fuerit, cum firmiter valde accreſcat, vel in utero remanet, vel lacerata partim utero, partim lobulis placentæ adhæret, ita ut non videatur, ſaltem ad eam non attendatur, eòque minus, dum placenta à convexâ parte eſt inæqualis, & ex diverſis lobulis aut quaſi cotyledonibus, non diſſitis, ut in vitulis, ſed ſibi invicem contiguis conſtat: Si vero utero adhæreat (ut plerumque fieri opinor) non tamen firmiter propter frequentes huc illuc diſtractiones, ac eâ de cauſa dein putreſcat, gravia ſymptomata, imo mortem inferre poteſt, præſertim ſi inſuper portio ipſius placentæ ſubſtantiæ ei adhæſit: uti cuidam haud dubie è conſanguineis meis contigiſſet, ni poſtea putrefacta nonnihil (unde quolibet momento vitæ extremum exſpectabamus) fruſtatim ab utero decidens ægrotam liberaſſet: Hæc fruſtula vero examinans

nans aliud nihil eſſe reperi, quàm partes dictæ membranæ cum adhærente ipſius placentæ ſubſtantiæ portione. Hæc addo obſtetricis, reliquarumque parturienti inſervientium cautelæ gratiâ, ne ita, ut plerumque, ſollicitæ ſint, cum membranæ fœtum amplectentes minus ſunt integræ, ſed præcipue, num placentæ convexa pars ſit integra, videant, utpote quæ multo facilius putreſcat, quàm, quæ cingit, membrana, atque ita, ſi qua in utero adhuc reſtent, commodis educant remediis.

§ 44. Placentæ autem quam domi meæ habeo, membrana ea propter procul dubio nihil, aut minimum læſa fuit, quod leniter, & caute admodum fuerit ab utero ſeparata, quare ne guttulam quidem liquefactæ ceræ tranſmiſit; quod certe abſque hujus effuſione haud ſucceſſiſſet, ſi ſanguis ex matre in fœtum, & vice verſâ transfunderetur, circulareturque, ſed per aperturas ex laceratione, & ruptione unitorum (ut fertur) vaſorum relinquendas omnis, aut ſaltem plurima pars ceræ effluxiſſet, uti ſatis patuit ex aliis, quas mihi ſervo, placentis, quarum membrana convexam illarum in utero partem tegens defuit, vel lacerata, ruptaque adfuit.

§. 45. Obſervationem hanc ſecundarum humanarum confirmant etiam brutorum ſecundæ. Eodem namque modo ſe habent cotyledones, quo humana placenta, quos vaccæ hujus loco

ha-

habent; & ſi recte placentam inſpicias, eiſdem fere cotyledonibus, ſeu lobulis gaudet, niſi quod hîc ſibi mutuo incumbant, non ita verò in ſecundis vaccinis, per quas paſſim diſperſi ſunt figuræ ovi gallinacei minoris non diſſimiles, nec tamen in tantam altitudinem propullulantes, ſed magis plani, & intro vergentes: Horum cotyledonum in his ſecundis nullos fere vidi laceratos, ſed ſingulos membrana obductos, atque prorſus illæſos; in illis iterum multos ruptos, ſuâque membranâ orbos, ſanguinemque effundentes, cujus laceratio eo modo facta eſt, quo membranæ placentæ humani fœtus, ictibus nempe, aut calcitrationibus in lucem prodeuntis vituli, vehementioribuſque matris parturientis preſſionibus, nec non ruſticorum fortioribus (præ nimis firmâ ſecundarum adhæſione) vituli ex matre avulſionibus; ſic quoque vidi hujus vaccæ partum multò fuiſſe difficiliorem, quam illius, quod confirmat dictæ membranæ ruptionem à magis, vel minus firmâ ſecundarum agglutinatione ſolum dependere.

§. 46. Sciant autem membranam illam in vitulis magis eſſe conſpicuam ob majorem craſſitiem, & ſæpius conſpici, quia, dum matrix brutorum magis eſt membranoſa, humanâque intus æqualior, facilius ſeparatur, ſeceditque. Ex hac igitur membranæ ſecundarum, tam hominum, quam beſtiarum obſervatione, uti & ſu-

pra ex aquæ, & ceræ denegato tranſitu abunde etiam patet nullas eſſe Anaſtomoſes, aut ſanguinis tranſmiſſionis communicationem cum vaſis uterinis, & plancentæ, ac per conſequens fictum ſanguinis materni in placentam, & porrò in ipſum fœtum tranſitum, ſed proprium eſſe fœtus ſanguinem, qui per placentam circulatur, ac proinde aliam eſſe matris, aliam fœtus circulationem, aliaſque per vias ſucci nutrituri receptionem: Alia inſuper his addi poſſent Hypotheſin confirmatura. Sed ne nimiâ turgeſcat mole hæc diſſertatio, vela contrahere jubeor. Sufficiant hæc ad dilucidationem, confirmationemque methodi, quâ fœtus nutrimentum non per vaſa umbilicalia, at per os tantum (quod demonſtrandum erat) accipit: dicam tamen ſummatim, quomodo particulæ ſucci nutritii reſinoſæ cedant in nutritionem, & incrementum fœtus, & quo pacto tandem non ſufficiens in dies grandeſcenti fœtui ille ſuccus partum accelerantium cauſarum una ſit.

§. 47. Dum itaque pro modulo, quibus potui, invictis argumentis, demonſtrationibuſque oſtendi fœtum omnem materiam in ejus nutritionem ceſſuram per os accipere, ac poſtea expoſui, quomodo eadem ex ore deſcendat per œſophagum in ventriculum, ulterius explicabo, qua ratione ſanguinem, & poſtea particulæ ejus nutritiæ partes ſolidas accedant, Matris itaque motu, preſſione videl. muſculorum abdominis, & motu dia-

diaphragmatis reciproco, & ab inteſtinis ab hoc deorſum propulſis, &c. uterus deprimitur, conſequenterque commovetur liquor cum innatante fœtu: His autem motionibus, ut & fœtus diaphragmatis, ac ejus ventriculi, & inteſtinorum periſtaltico motu, dictus liquor eo, quo dixi, modo in os impulſus, ac nonnihil in ventriculo mutatus per pylorum expellitur in inteſtinum duodenum, & jejunum, ubi tenuior ejus pars dicta methodo, mediantibuſque inteſtinorum, duodeni, ac jejuni valvulis, quibus liquoris progreſſus ad reliqua inteſtina quodammodo impeditur, propellitur in orificia vaſorum chyliducorum, & ſic porro per hæc ad pancreas Aſellii, atque hinc per ſecundi generis dicta vaſa ad ſaccum chyliferum, & in ductum thoracium, indeque preſſione partium vicinarum, & particularum chyloſarum ſubſequentium, ac ope valvularum hujus ductus impedientium, quo minus chylus ille, qui jam hunc ductum aſcendit, retrogrediatur, repellaturve, in venam ſubclaviam protruditur. Deinde cum ſanguine in venam cavam deſcendentem, ſeu ſuperiorem, ad cor, ut ſic denique in auricula cordis dextra etiam cum ſanguine, ex inferioribus corporis partibus per venam cavam aſcendentem, ſeu inferiorem, illuc reducto, miſceatur ad coctionem, ſeu fermentationem, ejus ulterioris diviſionis gratia, in corde ſubeundam, & tandem lege circulationis omnibus partibus ſoli-

lidis, ad earum augmentationem, deſtribuendam.

§. 48. Notandum autem eſt circulationem ſanguinis in fœtu alia methodo, quam in adultioribus, procedere: ideoque non poſſum non illam, ut à me in fœtu recens nato ſeria viarum inveſtigatione, improboque labore fuit obſervata, hîc paucis referre, ut ſic demum ex iſtâ circulatione, ſive ſanguinis motu progreſſivo, nutritionem, & incrementum fœtus explicemus. Sanguis itaque ex utraque vena cava effuſus in auricula cordis dextra chylo permixto impraegnatus ex eâ auriculâ pro parte per foramen rotundum in ſiniſtrum (ſecus ac in adultis) cordis thalamum rectà tranſit, pro parte etiam in dextram cordis auriculam pergit, ac ex ea (ut *omnis* ſanguis in adultioribus) in dextrum cordis antrum delabitur; inde per *latum communum truncum* à baſi cordis longitudinem minimi digiti tranſverſi habentem in *utramque arteriam pulmonarem* (hic latus communis truncus in adultioribus, cum in majorem altitudinem excreverit, vulgo dicitur arteria pulmonaris, quæ poſtea in duos diſpeſcitur ramos, quos hîc ob faciliorem explicationem arterias pulmonares voco, idem & de vena pulmonari intelligas.) per quas non omnis tamen tendit, ſed tertia ejus circiter pars illo impetu, quo ex cordis ventriculo dextro paulo ſuperius per *foramen ovale* (quod quidam recte *canaliculum arterioſum* ex ſimilitudine vocitant pellitur, effunditur in

arte-

arteriam aortam, ubi illa ſeſe incurvat, & inferiora petit, ita ut hujus ſanguinis pars etiam tantum ſemel fermentetur, nimirum in dextro cordis ſpecu, quia ex dextro cordis thalamo per communem truncum arterioſum egreſſus ſanguis non omnis per utramque arteriam pulmonarem pulmones tranſit, ut ſic ex iis redeat per *utramque pulmonarem* in *communem truncum venoſum*, atque (ut in adultioribus) effundatur in ſiniſtrum cordis antrum, ſed *tantum duæ circiter ejus partes*; ſuppono enim, dum ſupra communem truncum arterioſum *trivium* ab utraque arteria pulmonari, & canaliculo arterioſo relinquitur, duas præterpropter ſanguinis partes per utramque arteriam, in utramque venam pulmonarem ad ſiniſtrum cordis ventriculum, atque unam etiam per ovale foramen in aortam arteriam tranſire partem; ita ut ſanguis in fœtu ſemel tantum fermentetur, quia nondum dimidia pars *iſtius ſanguinis*, qui quidem effunditur ex utraque vena cava in dextram cordis auriculam, per pulmones pergit, cum in adultis contra omnis ex dicta auricula in cordis ventriculum dextrum protruſus exinde per arterias pulmonares pulmones permeet, & ita ſemel fermentatus ex pulmonibus per venas pulmonares rediens ſecunda vice in ſiniſtro cordis thalamo fermentetur.

§. 49. Sanguis fœtus itaque cum admixto chylo in corde fermentatus ex ejus ſiniſtro ſpecu, uti

& canaliculo arterioſo in aortam arteriam propellitur, atque ita per totum fœtus corpuſculum diſpergitur. Et ſic quidem fluidarum ejus, qui in utero eſt, partium explicuimus nutritionem, ſolidarum tantum accretionem exponere reſtat, quam hac methodo peragi ſtatuo, dum ſuppono ſanguinis motu progreſſivo in corde orto, vel ſaltem aucto, latera arteriarum diſtendi, iiſque diſtenſis poros dilatari, ut & hinc commodiorem particulis chyloſis dari tranſitum. Harum itaqe ſimul cum ſubtilioribus, quæ illis vehiculi ſunt inſtar, per poros extruſarum quædam aptiores adhæſioni ſolidis applicantur partibus non qualitate quadam aſſimulatrici, aut electrici; verum diverſis corporis partibus (vel carni vel oſſi, &c.) quibus obviam fiunt, pro diverſitate ſuorum pororum, & partium ſuperficierum ope ætheris corporum poros perfluentis agglutinantur; hic enim ex poris partis egreſſus, ſi harum particularum facilius, illarum difficilius tranſmeet poros, priores relinquet, poſteriores removebit, uti id uſque experiri licet, ex quavis duorum liquorum difficili commixtione; illæ itaque ſolidis quotidie partibus dicta methodo agglutinatæ ſenſim ſingulas partes increſcere faciunt: Quæ autem nimis flexiles, & mobiles, ideoque adhæſionibus minus ſunt idoneæ, (qualis aqueæ &c.) motu illo, quem acceperunt à ſanguine, quique, quam diu homo vivit, continuatur, partim in orifi-

orificia vaſorum lymphaticorum initia in partibus ſolidis habentium impelluntur, partim per inſenſibilem tranſpirationem foras erumpunt, ac in auras evaneſcunt, atque ita etiam nutritionem, augmentationemque partium fœtus ſolidarum oſtendimus.

§. 50. Hæc autem augmentatio tam diu in utero continuatur, donec tandem fœtus fermentationes fortiores evadant, copioſiores ſpiritus gignantur, vires accreſcant, & ille ob auctum idcirco calorem, humoriſque, cui innatat, & quo nutritur, rarefactionem liberiori aura indigeat; præterea ſucco hoc alimentario imminuto, inteſtinorumque fæculentis, ac urina ſenſim acrioribus factis, ut & nimia ſui copia partes continentes diſtendentibus, ſolitò major ſpirituum in tubulos ventriculi, inteſtinorum, veſicæ &c. fit influxus. Hinc anima fœtus primo jam veluti ſomno expergefacti inſolitè affecta hoc jam moleſtiori, & incommodiori hoſpitio educere corpus geſtiens determinat ſpiritus copioſius ſolito ad muſculos movendis inſervientes cruribus, unde pedum calcitrationibus circumdantes fœtum membranæ utplurimum diſrumpuntur, quem motum inſuetum, utpote vim utero inferentem, non poteſt non ſtatim inſequi inſolitus, & copioſior ſpirituum in uteri ſubſtantiam, vicinaſque partes influxus, quo rotundior facta matrix os aperit, cui apertioni majori etiam fœtus capite, inſtante partu, huic interno

 uteri

uteri orificio plerumque proximus contribuit; nam uteri fundum calcitrando ſeſe quoniam nec uterus, nec partes abdominis externæ (ut perito-næum, muſculi ei ſuperincumbentes &c.) amplius dilatationem patiuntur, nec cedunt, protrudit, atque ita oſtioli uterini labia jam aliquatenus aperta ulterius dehiſcere facit (uti cortices ſeminum, ac lapilli fructuum aliquamdiu terræ commiſſi ab intus intumeſcentibus nucleis diffringuntur, & diſſiliunt) atque tandem perforat, aqua è membranis effluente interim vias pro faciliori ejus exitu madidas, ac lubricas reddente; & ſic denique accedentibus matris conatibus (eo enim momento ſpiritus per totum nervoſum genus à ſpinali medulla tanto feruntur impetu, ut omnes fere partes comprimantur, exprimaturque ex corpore fœtus) debilis, queruloque vagitu ſortem deplorans ſuperas viſit auras.

Atque ita quidem conſtat, quo pacto lotium inter, ac oletum oriamur homunciones. Pari ſorte, pari naturæ lege prodit Cræſus, Iruſque. Ne itaque ſuperbiat quiſquam; ſed memor ſit ſui. Naſcentes quippe excipiunt morbi, & *ea lege nos eſſe natos* Cicero ait, *ut nemo in perpetuum eſſe poſſit expers mali.* Denique, ut ejuſdem veriſſimo utar dicto, *moriendum certe eſt, & id incertum, an eo ipſo die.*

FINIS.

C O-

COROLLARIA.

I. *Rationem tàm in, quàm extra Medicinam, experientiâ longè nobiliorem contendo.*

II. *Adeoque calumniari illos, qui veram Medicinam conjecturalem eſſe dicunt.*

III. *Quare illa abſque Philoſophiâ cæca, atque empyrica, ac proin valde periculoſa eſt.*

IV. *Porro Anatomiæ, & Chemiæ cognitio Medicum perfectiorem reddit.*

V. *Ventriculi cerebri ſpirituum promptuaria mihi ſunt.*

VI. *Virginem imprægnari poſſe, illæſâ virginitate, aſſero.*

VII. *Teſtes virorum nil ſunt (quidquid alii de glandulis clamant) quam glomer, & intorſio vaſorum.*

VIII. *Viros non habere ſemen ſtatuo;*

IX. *Id autem mulieribus eſſe dico.*

X. *Idcirco hominem ex animalculo generarì ſubtilius voco figmentum,*

XI. *Nec non ex utriuſque ſexus (ut alii) ſeminis in utero commixtione: aut viri ſolius ſpermatis (quæ major chymæra) in eodem coagulatione.*

XII. *Qui negant fermentationem alimentorum in ventriculo, & præcipue quidem ſanguinis in corde, negant propriam vitam, quam conſiſtere ajo in motu ſanguinis progreſſivo, qui extra hujus circulationem, & hæc extra il-*

lius in corde fermentationem dari nequit.

XIII. *Corpus magis nutritur noctu, quam interdiu.*

XIV. *Ex terrore ſolo hominem peſte, aut alio diuturno morbo corripi poſſe abſurdum.*

XV. *Omnis dolor oritur ex obſtructione,*

XVI. *Ideoque morbos calidos, quos vocant, calida item tollant medicamina, niſi quis mendoſam velit inſtituere curationem: namque*

XVII. *Intemperiem ſalinam volatilem dari pernego;*

XVIII. *Quoniam omnes morbos à ſanguine præternaturaliter craſſo (exceptis à cauſâ externâ ſubitò advenientibus) oriri ſuppono.*

XIX. *Atque hinc eorum eluceſcit error, qui julapiis, claretiſque, ac decoctis frigidis, & emollientibus morbos calidos, ut vocitant, dum pellere conantur, immane quantum augent.*

XX. *Craſſitiei ſanguinis præternaturalis acidum ſemper cauſam agnoſcere erroneum.*

XXI. *Atque ideo Scorbutum non niſi ab acido produci falſiſſimum.*

XXII. *Verum cauſam ejus triplicem quidem crediderim.*

XXIII. *Plethoram affirmo dari nullam, niſi reſpectu cacochymiæ, ſeu dictæ craſſitiei ſanguinis.*

XXIV. *Quâ de causâ in omni morbo venæ ſectio*

(ubi

(ubi requiri putatur (antè omnia inſtituenda eſt.

XXV. *Etenim, qui poſt purgationem hanc jubent inſtituere, oleum, & operam perdunt, imo illa tum plus nocet, quam prodeſt.*

XXVI. *Ubi adeſt intemperies acris, itidem ſanginem præternaturaliter craſſum ſtatuo:*

XXVII. *Sic emollientia morbos acrès adaugent.*

XXVIII. *Et inde quoque morbi nonnulli inſanabiles antiquioris ſectæ ſequacibus, nobis autem nulli, niſi forte ſolutæ unitatis, ac malæ conformationis quidam.*

XXIX. *Morborum cauſas à primis viis, & partibus ſolidis deducere in praxi ſuperficietenus tantum procedere eſt,*

XXX. *Quod hæ intemperatæ dici nequeant, niſi reſpectu ſanguinis.*

XXXI. *Quapropter ſtomachica, ſplenica, hepatiea, cephalica, pectoralia, uterina, & hujuſmodi generis plura nullius momenti, & in unam redigenda videntur claſſem.*

XXXII. *Hinc in morbis curandis ratio ventriculi curationis non eſt habenda, ſed ſanguinis.*

XXXIII. *Medico in initio quarundam afflictionum adhibere licet remedia indicationi curativæ plane contraria.*

XXXIV. *Cucurbitulæ, præſertim ſacrificatæ, ſetones, fonticuli tanquam ſtultiſſima, & tormenta inutilia è medicinâ proſcribenda ſunt.*

XXXV. *Sic ſectio ſanguiducorum vaſorum in fronte, temporibus, ſub linguâ non ſolum nugatoria, ſed periculoſa eſt.*

XXXVI. *Exſiccantia ubique mala, imo peſſima.*

XXXVII. *Potiones, decocta &c. æque operantur, & ſua præſtant ratione quantitatis, ac qualitatis.*

XXXVIII. *Acida ſubtiliora in Medicinâ maximi uſus eſſe profiteor.*

XXXIX. *Craſſa & terreſtria poſſunt motum ſanguinis augere.*

XL. *Si quis aſſeveret Panacœam dari, illi equidem non multum repugnabo.*

FINIS.

Car-

Carmen in laudem Domini
PETRI STALPARTII
VANDER WIEL.

PLaudite Pierides, ſincero plaudite corde;
Et placidos, hilares, comites, nunc ducite ſaltus:
Finiit, En! curſum ſtudiorum *Veſter Amicus.*
Nectite Pierides, ex auro nectite ſerta
Cultori Veſtro: Qui jam conamine claro,
Parnaſſi docti ſpinoſa cacumina vicit.
Fundite Pierides STALPARTO, fundite vota,
Ut mox magna *Patris Præclari* nomina portet.
Nomen & auguſtum celſiſſima ſidera tangat.

Sic Magni Stalpartii *Filio unicò: Arti imprimis Apollinari nato: Hujuſque Candidato dudum meritiſſimo, ex affectu l. m. que gratulabatur.*

JOHAN EGIDIUS EUTH,

Med. Doct. Archiater Saxoniæ Ducis Pr. Hag. Batav.

Ad

Ad Doctiſſimum, & in rebus Medicis verſatiſſimum

D. PETRUM STALPARTIUM VANDER WIEL

Cum, emenſo ſtudiorum ſtadio, Intricatiſſimam, maximéque arduam illam

DE

FOETUS NUTRITIONE MATERIAM,

Pro Gradu Doctoratus, Diſputatione ſolidiſſima extricaret.

ERgo dies venit, quo *Tu* STALPARTIA *Prole*
PETRE, ſodalitii portio multa mei,
Scandis in excelſum Lauri ſublimis honore;
Per reliquam turbam dum mea vota volant?
Macte tuis cœptis; iter hæc ad ſidera pandent,
Virtutique dabunt præmia digna tuæ.
Sic dulces poteris fructus guſtare laborum,
Sic erit ex animo pallida cura procul.
Gaudia, crede, mihi, ſimul injecere ſtuporem
Quæ nunc ingenii das documenta tui.
O quoties lecta illa mihi, quotieſque relecta,
Cum ſatiare animum non potuere meum!
Sed mihi quid mirum eſt, ferias quod vertic
cœlum,

Und

Undè tibi ſecli fama ſequentis eat?
Suxiſti CRANI dio manantia lacte
Ubera, cui ſemper fama perennis erit.
Quin celebri multum gnatus genitore ſuperbis,
Indignus quondam nec Patre gnatus eris.
Nam te per majora vehet faſtigia rerum
Multa anima virtus, nec minus artis amor.
Ille ego ſed non ſum, raras depingere mentis
Qui valeam dotes, ingeniique tui.
Vos ſed, Pierides, ad tempora læta vocatæ
Fundite concordes ore favente ſonos!
Dicite Io Juvenes, & Io bis dicite, cani:
Tranſeat hic totus nunc ſine nube dies!

Sic gracili modulatus avenâ eſt

JOHANNES BROEN,

Med. Doct. Leydenſ.

Ad Ornatiſſimum Dominum

P. STALPART. VANDER WIEL,

Poſt demonſtratam

FOETUS IN UTERO NUTRITIONEM,

Medicinæ ſacris initiandum.

PEtre mihi haud fictos inter, proba corda, ſodales
Optime; Theſeâ cognite Petre fide;
Tu jam, digna equidem ſuboles, genitoris anheli
Greſſibus inſiſtens dulce ſubibis onus?
Quamque laboranti tanto tulit ille catervæ
Tempore, nec tanto tempore fractus opem,
Tune animis, validiſque vigens Tirynthius annis
Hanc miſeris ſpondens jam velut alter ades?
Sic quondam impatiens nimii prope ponderis Atlas
Sentiit Herculeas lætus adeſſe manus.
Sic trepidas aquilæ nequeunt generare columbas,
Gignentiſque ferox robore fervet equus.
Promovet ingenii multum vis inſita dotes,
Auget & has noti juſta cupido boni.
Tu patrii felix laudem, exemplumque laboris,
Quod faveat ſtudiis, nec leve calcar habes.
Mira Parens nuper nobis ſpectacula pandens,
† Scriptio, ait, natum hæc excitet uſque meum.

Eſt

† Ita quidem Pater *Præfat Part.* I. *Obſ. Medic.*

Eſt tibi relligio carum luſiſſe parentem:
Optantis votis par tibi cura fuit.
Sic, quiſquis patriam viſurus venerat Hagam,
Hic, teſtis, ſtimulus quam tibi ineſſet, erat.
Dumque unam ſolers, quâ per naſcentia gliſcat
Membra novum robur, das bene noſſe viam:
Quis non perſpiciat, quæ ſint tibi robora, mentis
Quæ bona, quæ menſes non peperere decem?
Ergo ubi conceptis promiſſa ſilentia verbis,
Nec tibi jam ſanctam fas temerare fidem;
Dicendis damna nocitura ſilentia rebus,
Quarum à te multos mentio facta juvet.
Cumque premes quondam amiſſi veſtigia patris,
Emeritum quis non occubuiſſe neget?
Hæc fiant votis, STALPARTI, ardentibus opto:
Degenerem nunquam ſi qua juvare queant.
Conſilio, prece ſi nequeam, montitiſque placebo:
Hoc noſter Fluddo non neget arctus amor.
Cum tibi Pæoniâ cingentur tempora lauro,
Et meritum cernes præmia tanta caput:
Eſto memor vaſti quos campos æquoris intres,
Suſtineaſque datâ munera quanta fide.
Mille tibi infeſtas peſtes, hydraſque renatis
Frontibus, & totidem monſtra parata putes.
Nec leve credideris mortis tela horrida avaræ,
Spiculave indomitæ perdomuiſſe luis.
Ergo animis opus Alcidæ. Sic vincere morbos,
Sic & fas Stygium dibilitare genus.
Nec ſequere illorum male cautam inglorius artem,
Quos error multis pernicioſus agit.

Aſt imitare viros, ratio quos ſana gubernat;
Si qua nocent, mentis nubila pelle tuæ.
Illud ut efficiat labor improbus, utere verno
Ætatis ſpatio. Sit didiciſſe leve.
Adjice Craniadæ præceptis, longior uſus
Quod monſtrat. Quemvis non eadem herba levat.
Quod juvenem Æaciden, non illud Neſtora ſanet;
Sanguinis eſt alter dives, at alter inops.
Præcipue vilis non ſit tibi vita gementum;
Somnia nec Samii ſint tibi vera ſenis.
Hac ratione dabis famæ ſuper æthera nomen
Ferre, & Apollineâ quondam eris arte potens.
Sic, poſtquam attigeris actæ ſpatia ultima vitæ,
Cœleſtes poteris carus adire choros.
Vos autem gaudete ægri, queis membra fatiſcunt
Languida, nunc miſeris non licet eſſe diu:
Auxilium feſſis novus en Aſclepius artus
Quamlibet infractos ille levare venit.
Quæ mala, morborum quæ me nunc lædere peſtes,
Heu, juveni nimium quæ nocuere! queant;
Si ſenior, qui me juvit, STALPARTIUS, olim,
Invalidum junior ſi minus eſſe ſinat?
Tutior at gemino fautore ſuperbiet Haga,
Hinc opifer ſi ſtet filius, inde pater.

J. FLUD. A. GHILDE Hagienſis.